BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XL
F
1
NAPOLI

A-F-1

C. VALERII
CATULLI,
ALBII TIBULLI,
ET
SEXTI AURELII
PROPERTII
OPERA.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI


dulcedine cantus
Trahitur
CATVLLVS
TIBVLLVS
PROPERTIVS
J. Edelinck Sculp.

C. VALERII
CATULLI
OPERA

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT
PHILIPPUS SILVIUS T. E. C. P.
JUSSU CHRISTIANISSIMI
REGIS,
IN USUM SERENISSIMI
DELPHINI.



PARISIIS,
Ex Typographia Frederici Leonard Regis, Sereniſſimi
Delphini, & Cleri Gallicani Typographi, viâ Jacobæâ.

M. DC. LXXXV.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

AD

SERENISSIMUM
DELPHINUM,

PHILIPPUS SILVIUS T. E C. P.

CV I dono lepidum Librum Catulli
Commentariolo novo explicatum ?
O DELPHIN, *tibi. Namque tu ſolebas*
Catulli Veneres, facetiaſque ,

Vrbanumque ſalem, elegantiaſque,
Riſus, delicias, jocos dicaces,
Ipſas eſſe aliquid putare nugas;
Jam tum, cum manibus tuis Marones,
Flaccoſque, & Senecæ gravem cothurnum,
Et ſi quid Latiis modis Camœnæ
Plectro unquam cecinere grandiori,
Tractabas, vigiles & ad lucernas
Arpinis aciem uſque & uſque chartis;
Defixumque animum æmulus tenebas;
Aut per Romulidum priora ſæcla
Decurrens, Dominæ ampla fata Romæ,
Altricem populi Lupam Togati,
Prætextas, trabeas, feras ſecures,
Minaces aquilas, forum, Senatum,
Faſces, prœlia, fœderumque ritus,
Legeſque, & Sacra, Cærimoniaſque
Divûm multiplices, theatra, thermas,
Inſtructas acies, locata caſtra,
Juges excubias, & arma cunctas
Formidata diu per orbis oras.

Diſcebas avidus ; ferumque Pœnum
Ad Cannas, Thraſymenicaſque lauros
Scandentem gelidas ſequens per Alpes,
Aut Byrſæ meritam vicem inferentem
Mirans Scipiaden, morâve cautâ
Vincentem Fabium, aut Macedonum arvis
Sternentem Æmilium æreas phalanges,
Et quidquid decorum exhibent Quiritum
Annales cupidè legens, Paternis
Sueſcebas aciem applicare factis,
Magnis, Juppiter! & laborioſis.
Tum te nec manibus bonum Catullum,
Jocorum & ſalium patrem Catullum
Pigebat tenuiſſe, & hoc ſevero
Contractam ſtudio explicare frontem,
Sæpè & Virgilii gravem jocoſis
Mutare hendecaſyllabis Camœnam.
En noſtrâ tibi pumice expolitus
Leporum ac Venerum parens Catullus
Siſtit ſeſe iterum, tuiſque geſtit
In famam auſpiciis, & ora ferri.

Hunc tu ut excipias benignus, oro,
Tibi haud indecorem hoſpitem futurum,
Charum Nobilibus ſodalem, & olim
Magni Cæſaris hoſpitem Catullum;
Et probes ſtudium tibi offerentis,
Devotumque animum, & fidele pectus,
O DELPHIN, *ſoboles beata* MAGNI,
Quem totus ſtupet ac veretur orbis;
DELPHIN, *deliciæ, atque amor Lycæi,*
DELPHIN, *præſidium decuſque noſtrum,*
Cui dono lepidum librum Catulli.

LUTETIÆ PARISIORUM,
KAL. MART. AN. CHR. M. DC. LXXXV.

PRÆFATIO.

HABES tandem aliquando, Lector optime, ex munificentia Regia Latinæ elegantiæ urbanitatiſque Triumviros Poëtas, jocorumque ſimul & gratiarum parentes, Catullum, Tibullum ac Propertium, poſt longam ſatis temporum intercapedinem, nova toga novoque cultu demùm adornatos. Tanta nimirùm fuit tarditas, tam diuturna procraſtinatio, totque ac tantis, dum exornantur, procellis conflictati ſunt, ut hanc ipſis fata viderentur lucem invidere. Et quidem fluctibus obruti certo periiſſent naufragio, niſi benignum illud, quo nati fuerant, ſidus affulſiſſet, eoſque finibus optatis reddidiſſet incolumes.

Ante complures enim annos, cùm primùm illuſtriſſimus Dux MONTAUSERIUS CAROLUS SANCTA-MAURÆUS, vir non ſolùm optimis belli paciſque virtutibus præ cæteris inclytus, ſed in primis etiam omnibus probitatis, eruditæ ſapientiæ, ſinceræ religionis ac fidei partibus ac numeris abſolutus, & ad hujus ætatis admirationem natus, ab LUDOVICO MAGNO Regum maximo SERENISSIMUM DELPHINUM vitæ & morum præceptis ſuſcepiſſet informandum, is apprimè meditatus, quâ poſſent ra-

tione non alumni modò Regii privata, ſed & publica ſtudia promoveri, ſapientiſſimo ac invictiſſimo Regi fuit auctor, ut Scriptores Latinos omnes interpretatione faciliori, brevioribuſque notis illuſtrandos ſelectis viris mandaret; quò ſic & laboribus, & ſumptibus parceretur.

Iſtud autem munus cum Regis juſſu plurimis eruditione & doctrinâ præſtantibus viris deferretur, tum fortè mihi Catullus, Tibullus, ac Propertius contigerunt accurandi. Fuerat animus mihi Provinciam hanc acriùs, quantum poſſem, deprecari, negotiumque multæ operæ & laboris, cui meæ forſan vires non ſuppeterent, detrectare, quoniam me multa aliàs à Catullo, multa quoque à Tibullo ac Propertio gravioribus ſtudiis occupatum deterrebant, ſed tandem, quo nonnihil ſaltem iſtius qualiſcumque opellæ meæ in auguſti Principis obſequium conferre poſſem, onus impoſitum non gravatè ſubii, quod quantâ fide & diligentiâ ſuſtinuerim, facilè intelliget, quiſquis hos aliquando Romanæ Linguæ Vates elegantiſſimos attigerit.

Ut igitur unâ eâdemque operâ & Auctoris textus & ſenſus oculis appareret, continuam verſibus, aliis totidem verbis, interpretationem, interpretationi verò quàm potui breviſſimas annotationes, quæ nihil tamen præterirent difficultatis, non omiſſis etiam interdum variis lectionibus, ſubjunxi. Nullum ego Scriptorem, qui hos Poëtas lepidiſſimos attrectaverit, prætermiſi, omnes pervolvi, multaque ex iis in opus meum ſelegi, quos etſi ſæpè non nominavi, propriâ tamen laude nolim defraudatos. In primis verò mi-

hi paſſim in denſioribus tenebris facem prætulit vir divini propè ingenii ſublimi virtute, eruditionis omnigenæ mirabili felicitate, ac reconditiſſimæ cujuſcumque diſciplinæ ſingulari prorſus cognitione dudum apud omnes commendatiſſimus PETRUS DANIEL HUETIUS Abbas Alnetanus, cujus poſt virum illuſtriſſimum JACOBUM BENIGNUM BOSSUETIUM Condomenſem olim, nunc Meldenſem Epiſcopum, rebus tùm divinis tùm humanis longè inſtructiſſimum, in erudiendo SERENISSIMO DELPHINO ſecundæ fuerunt partes. Utinam vir ſummus ſuas in Catullum, Tibullum & Propertium doctiſſimas obſervationes mecum voluiſſet communicare; eas tibi, candide Lector, magnâ animi alacritate fuiſſem impertitus.

Ad calcem porro horum cujuſlibet trium Auctorum accuratiſſimos locupletiſſimoſque vocabulorum omnium indices induſtriâ ſummâ, magnoque labore concinnatos invenies. Si quid autem utilitatis, aut fructûs ex hoc meo labore, Lector optime, perceperis, non tam mihi quàm iſtis ducibus meis habeto gratias: ſicubi verò quid à me erratum fuiſſe compereris; ne me, precor, accuſes aſperiùs, qui, quod potui, præſtiti; ſed nemini unquam mortalium non errare contigiſſe memineris, meumque interim ſtudium, ac voluntatem æqui bonique conſulas.

Jam verò cur tam lentas paſſi ſint tres hi terſiſſimi Poëtæ moras, ut prodirent in lucem, candide Lector, cauſas accipe. Nondum uno, aut altero menſe, ferventibus operis prælum ſudaverat, cùm ſubitò conſilium Bibliopolâ mutante, rebuſque aliis intento, vix

inceptum opus in plures annos eſt intermiſſum. Quod quidem cum moleſtè ferret illuſtriſſimus litterarum ac litteratorum patronus Dux MONTAUSERIUS, iniquam docti Catulli, comitumque ejus ſortem miſeratus effecit, ut horum præſens editio tot jam annos ceſſata, ac propè depoſita in manus denuò ſumeretur, ac tandem abſolveretur. Subinde itaque opus identidem revocatum ad incudem ſatis proſperè gradum maturabat, adeò ut jam tum anno 1681. Catullus eſſet typis excuſus, totuſque penè Tibullus, cum nova exorta tempeſtas cymbam meam curſu excuſſit, longeque ſubmovit è portu. Siniſtra nempe ac immanis quorumdam hominum perniciem mihi machinantium dolebat inhumanitas, perditiſſimos quoſdam nebulones, qui pretio conducti me palam raptum, diriſque affectum injuriis ac probris traduxerant, debitas meritaſque pœnas perſolviſſe. Quidvis igitur audentes inimici effrænatâ opprimendi me libidine perciti, non jam per cuniculos, ſed apertâ vi, nullo Juris colore, ſed ſummo ſcelere, propriis me laribus ſpoliatum bonis omnibus ejiciunt, domumque meam noctu invadentes fortunas meas, libros, ſcrinia, ſchedas, cartulas, res denique omnes direptas jubent expilari. Me tunc temporis ſic extorrem, ac ærumnis & calamitatibus obrutum exceperunt ægritudines continuæ, morbique graviſſimi, quibus per biennium fere deſperatâ meâ ſalute, mihi libris eſt interdictum. Ubi verò tot malis, ope divina, paulatim relevatus, tantillum cœpi reſpirare, ſtatim animum, manumque ad opus adjunxi, quod tibi nunc demum abſolutum exhibetur. Hæc te, Lector optime, nolebam neſcire. Vale.

CAII VALERII
CATULLI
VITA.

AUCTORE ALEXANDRO GUARINO Ferrarienſi.

CAIUS Valerius Catullus Poëtarum elegantiſſimus, nitidiſſimuſque ab Aulo Gellio lib. 7. cap. 20. & ob eximiam eruditionem à poſterioribus Poëtis doctus appellatus, Olympiade 173. ut ex Chronicis Euſebii colligitur, Veronæ natus eſt, anno antequam Criſpus Salluſtius Hiſtoriarum ſcriptor in Sabinis Amiterni, 16. antequam Virgilius Maro in pago, qui Andes dicitur, nunc vulgò *Pietoli* nominatur, naſceretur. Ortus eſt Valerio patre, honeſtæ conditionis viro, qui Julii Cæſaris, ut Suetonius inquit, hoſpitio familiariter uſus fuit. Is Romam à Manlio in tenella adhuc ætate deductus brevi adeo profecit, ut ingenii facilitate & doctrinâ Verannii, Fabulli, Calvi, Furii, Aurelii & aliorum præclariſſimorum virorum amicitiam ſibi comparaverit; Memmium Prætorem in Bithyniam ſubſecutus Aſiæ quoque magnam partem peragravit. M. Tullium, & Cornelium Nepotem ſumma cum veneratione coluit; fratrem unicum immaturo fato in Phrygia præreptum Elegis deploravit: amavit Hypſitillam civem ſuam, & Clodiam, quam ſub nomine Leſbiæ, ut Apuleius auctor eſt, carminibus ſuis celebravit. Scripſit opuſculum iſtud, cujus tres eſſe partes non ignoramus, in quarum prima Lyricis; in ſecunda Heroïcis, quos Virgilius licet Poëtarum optimus, tamen imitan-

dos duxit. In tertia verò parte Elegis conſcribendis ſumma ingenii felicitate verſatus eſt. Scripſit & amatorium de Incantationibus carmen, uti Plinius lib. 28. cap. 2. his verbis docet: *Hinc Theocriti apud Græcos, Catulli apud Latinos, proximeque Virgilii incantamentorum amatoria imitatio.* Scripſit & Ithypallicum Carmen, quo lucum Priapo dedicavit, cujus meminit Maurus Terentianus. Scripſit & alia multa, ſicuti ex ejus verſiculis, qui ab Aulo Gellio, & aliis Latinis Grammaticis citantur, & minime in hoc opuſculo inveniuntur, * conjectura aſſequi poſſumus. Sed hæc omnia temporum vetuſtate amiſimus, quemadmodum & reliqua pene omnia, niſi parentis mei doctrina diligentiaque præſto fuiſſet, jam prorſus periiſſent. Mortuus eſt Romæ Catullus trigeſimo ætatis ſuæ anno, quo tempore Virgilius Cremonæ ſtudiis eruditur, ut Euſebius docet.

* *Nota illos in Priapum Verſus, de quibus Terentianus Maurus, quoſque dicit periiſſe Guarinus, inter Opera Catulli Carm. 18, 19 & 20 à nobis ſuo loco repoſitos fuiſſe.*

CAII VALERII
CATULLI
VITA
EX PETRO CRINITO,
LIB. II. CAP. VII.
DE POETIS LATINIS.

CAIUS Valerius Catullus Veronæ natus eſt, quo tempore Terentius Varro in urbe claruit. Quidam Criſpum Salluſtium Catullo ſupparem faciunt. A Catulli autem nata ibus ad Publ. Virgilium paulominus quàm duodeviginti anni connumerantur, ſi quorumdam annales ſequimur. Quando & illud pro comperto habetur, Carmen de Paſſere Leſbiæ ad Virgilium fuiſſe miſſum:

Si forſan tener auſus eſt Catullus
Magno mittere Paſſerem Maroni.

Cæterùm non humili loco, aut obſcuro natus eſt; ſiquidem ejus parens, auctore Suetonio, Julii Cæſaris hoſpitio familiariter uſus eſt. Valerius autem Catullus primò traditur à Mallio Romam deductus, cum adhuc in tenerâ ætate ageret. Paulò mox ingenii facilitate & doctrinâ adeo Romæ acceptus, atque civilibus bellis gratus fuit, ut M. Tullii patrocinium meruerit: quod ipſum eleganti Epigrammate ingenue teſtatus eſt, quo gratias Ciceroni patrono agit:

Diſertiſſime Romuli nepotum,
Quot ſunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque poſt aliis erunt in annis,
Gratias tibi maximas Catullus
Agit peſſimus omnium Poëta,
Tanto peſſimus omnium Poëta,

Quanto tu optimus omnium Patronus.

Mallium verò & ejus nuptias magno ſtudio celebravit, cum quo ſe excuſat parum ſibi licere veteres amores, ut anteà, decantare, quoniam fratrem amiſerit, ex cujus interitu ſtudium inquit ſuum ſcribendi carminis ſe abjeciſſe: ſic enim ad Mallium:

Sed tibi ne mea ſint ignota incommoda, Malli,
Neu me odiſſe putes hoſpitis officium:
Accipe, quam merſer fortunæ fluctibus ipſe,
Ne amplius à miſero dona beata petas.
Tempore quo primum veſtis mihi tradita pura eſt,
Jucundum cum ætas florida ver ageret.
Multa ſatis luſi; non eſt Dea neſcia noſtri,
Quæ dulcem curis miſcet amaritiem.
Sed totum hoc ſtudium luctu fraterna mihi mors
Abſtulit: heu miſero frater adempte mihi.
Tu mea tu moriens fregiſti commoda frater,
Tecum una tota eſt noſtra ſepulta domus.

Inter cæteros amicos, Furium & Aurelium magnopere dilexit, Cinnam quoque, Cornificium, Fabullum, & Verannium, quem alicubi & Veranniolum blanditer appellat. Puellam præterea Ipſitillam concivem ſuam, & Clodiam amavit, quam ficto nomine Leſbiam dicit; ſicuti Madaurenſis Apuleius teſtatur in oratione ad Claudium Maximum. Eruditorum conſenſu docti cognomen accepit: ita enim peculiari epitheto Catullus cenſetur: atque hunc quidem Ovidius Virgilianæ majeſtati opponit; tantum nominis apud eruditos ac laudis eſt conſecutus. Sed & verſus ipſius, quanquam ut duriuſculi notantur, quod uterque Plinius affirmat, tamen perelegantes habiti ſunt, ac ſectatores complures in his invenit, ſicuti Pompeium, Saturninum, & Sentium Augurem, qui Catulli Epigrammata, ac Licinii mira diligentia, ac ſtudio ſunt æmulati, ut alias diximus.
Valerius Martialis Catullum ſibi ipſi audacter præponit ſic enim ad Macrum;

Nec multos mihi præferas Poëtas,
Uno ſed tibi ſum minor Catullo.

Opus ſuum ad Cornelium Nepotem miſit, virum doctrinâ, & rerum cognitione egregium. Dividitur in libros tres, ut

Primus

primus Lyricos, ſecundus Elegiacos, tertius Epigrammata contineat. Ad hunc enim modum ordinem hic meliorem cuſtodiemus. Elegiam de Coma Berenices ex Poëta Callimacho in Latinos numeros convertit, eamque ad Ortalum amicum miſit, quæ in Elegiarum adhuc libro legitur.

Idem Valerius *Catullus* à Fabio Quintiliano & Diomede inter Iambicos reponitur, ab aliis inter Lyricos. In Atticis verò noctibus, ut Poeta elegantiſſimus ac venuſtiſſimus à Gellio laudatur. Neque illud omittendum eſt, fuiſſe ab ipſo *Catullo* alia complura compoſita, quæ vitio longæ vetuſtatis deſiderantur. Caius autem Plinius Hiſtor. natural. 28. ad Cæſarem Veſpaſianum, cum de Magia diſſerit, amatorium de Incantamentis Carmen à *Catullo* editum refert. *Hinc Theocriti*, inquit, *apud Græcos*, *Catulli apud nos*, *proximeque Virgilii Incantamentorum amatoria imitatio.* Sed & Carmen Ithypallicum ſcripſit, ut eſt optimus teſtis Maurus Terentianus ad Novatemum, * qui hos Catulli verſiculos citat.

Et fermè modus hic datur à pleriſque Priapo,
Inter quos cecinit Carmen quoque tale Catullus,
Hunc tibi lucum dedico, conſecroque, Priape,
Nam te præcipuè in ſuis urbibus colit ora
Helleſpontiaca cæteris oſtreoſior oris.

Cæſarem maxime Julium, Mamurram, & Nonium Strumam Iambicis nominatim proſcidit ex veterum conſuetudine: ut Caius Lucullus Iambicorum auctor, Luciliuſque & Nævius. Qua in re dignum illud memoria eſt, quod ipſe Cæſar, cum perpetua ſibi ſtigmata, ut ait Suetonius, impoſita videret ex Catulliano Carmine de Mamurra, eadem tamen die Poëtam ipſum cœnæ adhibuit, ſimulque hoſpitio ſuo non ſecus atque antea uti eum permiſit. Mortuus Romæ eſt juvenili admodum ætate, cum annum circiter trigeſimum ageret, ut quidam putarunt, quo tempore Publius Virgilius in urbe Cremona ſtudiis operam daret. Vulgatum quoque de Valerio *Catullo* illud eſt:

Tantum parva ſuo debet Verona Catullo,
Quantum magna ſuo Mantua Virgilio.

* Vir doctus dicere debuerat ad *Novatum* non *Novatemum*, generum ſcilicet Terentiani, ad quem librum ſuum emendandum miſit, ut ipſe teſtatur his verbis Terentianus:

Hos prius, Baſſine fili, & tu gener Novate mi,
Perpolite quàm poteſtis curioſiore limulâ.
Non pater tanquam, ſocerque, ſed velut ſim extrarius.

CAII VALERII
CATULLI
VITA.
EX LILIO GIRALDO
De Poëtarum Hiſtoria.
DIALOGO X.

FUit quoque hac parte Caius Valerius *Catullus* patria, ut ſcitis, Veronenſis, Poëtarum omnium, ut multorum eſt opinio, in hoc genere lepidiſſimus: doctiſſimus quoque vel eorum temporum Poetarum teſtimonio ac conſenſu. Natus quidem is in Peninſula Sirmione Lacus Benaci in agro Veronenſi, ut ipſemet ad ipſam Sirmionem cecinit, Olympiade circiter centeſima ſeptuageſima, ut Hieronymus ex Chronicis Euſebii obſervat. Patrem habuit Valerium, Cæſari hoſpitem, tametſi Catullus ipſe in Cæſarem aliquando invectus eſt, id quod vel ex iis, qui leguntur verſibus facile reſciri datur. Nam & Suetonius (in Cæſar. cap. 73.) *Valerium*, inquit, *Catullum, à quo ſibi verſiculis de Mamurra perpetua ſtigmata impoſita non diſſimulaverat, ſatisfacientem eodem die cœnæ adhibuit, hoſpitioque patris ejus, ſicut conſueverat, uti perſeveravit.* Hactenus Suetonius. Sui temporis *Catullus* virorum illuſtrium, cum in arte oratoria, tum in poetica, amicitia uſus eſt, Ciceronis, Planci, Calvi, Cinnæ, & aliorum. Clodiæ puellæ miro flagravit amore, quam diſſimulato nomine Leſbiam, ut docet Apuleius, ipſe nuncupavit. Inter Iambicos Poetas à Diomede & Fabio reponitur, ab aliis inter Lyricos: ego eum inter varios, ac Epigrammatum potius Poetas annumeraverim. Fratrem habuit, quem mirabili quodam & fraterno amore proſecutus eſt, cujus mortem

ſuis verſibus deploravit ad Ortalum ſcribens & ad Manlium. Ad hunc enim ita:

Sed totum hoc ſtudium luctu fraterna mihi mors
Abſtulit; ô miſero frater adempte mihi.
Tu mea tu moriens fregiſti commoda frater,
Tecum unà tota eſt noſtra ſepulta domus.
Omnia tecum unà perierunt gaudia noſtra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Cujus ego interitu tota de mente fugavi
Hæc ſtudia, atque omnes delicias animi.

Ad Ortalum verò docet eum in Phrygia periiſſe: ita enim, ſi meminiſtis, canit:

Namque mei nuper Lethæo in gurgite fratris
Pallidulum manans alluit unda pedem,
Troia Rhetæo quem ſubter littore tellus
Ereptum noſtris obtegit ex oculis.
Alloquar? Audierone unquam tua verba loquentem?
Nunquam ego te, vita frater amabilior,
Aſpiciam poſthac? At certè ſemper amabo,
Semper mœſta tua carmina morte canam;
Qualia ſub denſis ramorum concinit umbris
Daulias abſumpti fata gemens Ityos.

Eidem & Inferias perſolvit, illuc uſque navigans, ubi perierat, his verſibus:

Multas per gentes, & multa per æquora vectus,
Adveni has miſeras fratris ad Inferias;
Ut te poſtremo donarem munere mortis,
Et mutum nequicquam alloquerer cinerem.
Quandoquidem fortuna mihi te te abſtulit ipſum,
Hei miſero indignè frater adempte mihi.
Hæc tamen interea priſco quæ more parentum
Tradita ſunt triſtes munera ad Inferias
Accipe fraterno multum manantia fletu,
Atque in perpetuum frater, ave, atque vale.

Sed hæc vobiſcum: ſcitis enim quantum à principio ſemper mihi quædam, quæ legi poſſunt, hujus Poetæ placuerunt: quare nos reliquum ejus vitæ ſequamur. *Catullus* verò & ipſe immaturo diſceſſit fato triginta & eo minus annos natus, ut ex Annalibus colligitur.

Quot autem aut qualia ſcripſerit, haud facile dixerim: nam præter ea quæ in manibus habentur, Terentianus & Attilius, aliique Auctores nonnulla ipſius alia carmina in medium afferunt, ut Ithypallicum illud: *a*

Hunc Lucum tibi dedico, conſecroque, Priape,
Nam te præcipue in ſuis urbibus colit ora
Helleſpontiaca, cæteris oſtreoſior oris.

Plinius quoque in natur. Hiſt. *Catulli* his verbis meminit. *Hinc* inquit, *Theocriti apud Græcos, Catulli apud nos, proximeque Virgilii Incantamentorum amatoria imitatio.* Quibus verbis quidam ſignificari autumant Epigramma illud, quod legitur in Acmen & Septimium, quod mihi parum probatur. Sed & Aldum Manutium memini dicere, ſe *Catulli* Poëma habere, quod Ver inſcribitur *b*, idem & Eraſmus fatetur, necdum tamen mihi illud videre contigit. Quæ verò à doctis quibuſdam de *Catulli* Paſſere afferuntur, obſcœna ſcilicet & impudica, minus à me probantur: minus quoque id, quod vir alioqui elegantis ingenii ſcriptum reliquit, compertum haberi ad Virgilium Carmen de Paſſere Leſbiæ miſſum fuiſſe, propter illud Martialis:

Si forſan tener auſus eſt Catullus
Magno mittere Paſſerem Maroni.

Nam Poëtæ jocus eſt, & propterea ea dictione *forſan*, uſus eſt, nec id temporis ratione fieri potuit, cum Julio Cæſare *Catullus*, Auguſto Virgilius floruerit. Illud quoque parum conſtat, quod ab aliquibus eſt proditum, *Catullum* Hendecaſyllaborum licentia abuſum fuiſſe: id enim ipſe non primus effecit, ſed & Sappho & Anacreon, ut Donatianus obſervavit. Atque huc uſque de *Catullo*, ne aliorum ſomnia referamus.

a *Hoc Carmen reſtitutum eſt Auctori ſuo inter Opera Catulli Carm. 18.*
b *Carmen illud ad calcem hujus editionis habetur, diciturque Pervigilium Veneris.*

GERHARDUS JOHANNES VOSSIUS

DE POETIS LATINIS.

QUod Martialis de *Catullo* ſcripſit, quòd auſus ſit *magno mittere Paſſerem Maroni* per Paſſerem συνεκδοχικῶς intelligens totum Poëma, nempe ab initio, quia primum Epigramma foret de Paſſere, poëtice magis quam vere ſcripſit; idcirco addit *forſan*. Nam ut Hieronymus in Chronicis prodit *Olympiad. 173. ann. 2. Valerius Catullus ſcriptor Lyricus Veronæ naſcitur*. Ubi pro *Lyrico*, mallem Epigrammatum ſcriptorem dixiſſet. Olympiadis verò 177. ann. 3. teſte eodem Hieronymo naſcitur Virgilius, & Olympiad. 180. an. 4. *Catullus* trigeſimo ætatis anno moritur. Olympiade autem 181. ſumpſiſſe Virgilium togam, indeque Mediolanum, & poſt breve tempus Romam tranſgreſſum eſſe Hieronymus quoque in eodem Chronico eſt auctor. Erat is annus Maronis ſeptimus decimus, ut in Virgiliana Donati vita legimus. Hæc arguunt, non ejus tum ætatis fuiſſe Maronem, ut ei *Catullus* ſua mitteret carmina.

CUR VALERIUS CATULLUS AB Antiquis doctus fuerit vocatus.

MUlti quidem cenſent Caium Valerium *Catullum* Veronenſem alia plura ſcripſiſſe Poëmata, quam ea, quæ nobis hodie in manibus ſunt. Cum enim, inquiunt, à coætaneis ſuis, ac etiam à poſteris docti cognomen *Catullus* dicatur promeritus; alia ſine dubio eum compoſuiſſe neceſſe eſt, quæ majorem præ ſe ferrent eruditionem, quam quæ vulgò ſcripta ab ipſo Poëmata circumferuntur, non aſpernanda quidem illa, ſed eximiam aliquam, ac ſingularem doctrinam in eorumdem Auctore fuiſſe nequaquam indicantia. Sed verò quàm leve ſit, illud ac futile, quod dicitur, nemo non videt. Ego ſane *Catullum* plura alia, quam quæ manibus omnium teruntur, Poëmata ſcripſiſſe non negaverim, cum multa præſertim ejus carmina laudentur à Gram-

maticis, aliiſque Scriptoribus, quæ nunc in ipſius, quæ ſuperſunt, operibus non leguntur, Pliniuſque etiam referat amatorium de Incantamentis Carmen ab eodem fuiſſe editum. Sed, ut dicam quod res eſt, ſi *Catullus* ex eis lucubrationibus, quæ per tot naufragia, temporumque viciſſitudines ad nos uſque pervenerunt, doctus vocari non meruit; multo quidem minus ex aliis, quæ perierunt, hoc ipſi cognomen ſeu epitheton tribui meritò poſſe putaverim, qui, quamvis ille nihil omninò ſcripſiſſet, ac nihilominus ab ſuorum temporum hominibus doctus fuiſſet appellatus, pravum illos judicium tuliſſe non cenſerem. Quis enim neſcit antiquorum extitiſſe plurimos, ac etiam noſtra hac ætate quoſdam vixiſſe, qui cum doctiſſimi extiterint, nihil tamen ſcriptum reliquerunt? Ego certe neminem eſſe ſanæ mentis arbitror, qui id lubens non fateatur. Cum igitur *Catullus* à veteribus peculiari cognomine doctus ſit vocatus, etiamſi nihil ab eo fuiſſe ſcriptum pro comperto haberetur, quis ſine manifeſtæ temeritatis nota perperam illos judicaſſe audeat aſſerere, quando præſertim tot ſimul egregiorum virorum ac procerum fides & cenſura facile non eſt aſpernanda? Si porrò ea tantum ſola compoſuiſſet *Catullus*; quæ nos hodie legimus, nonne doctus ex iis, immo doctiſſimus haberi deberet? Quid enim potuit in argumentis, quæ ſunt ab ipſo tractata, deſiderari? An, quod quibuſdam durior viſus eſt, ipſum ut minus doctum explodemus? Sed M. Varro, Nigidiuſque Figulus, ut doctiſſimi, ita & eruditiſſimi à veteribus dicti ſunt, & tamen eorum alter, omnes enim Nigidii lucubrationes exciderunt, cum *Catullo* in ſuo genere comparatus, non lapide, ſed ferro durior exiſtimatur.

Sed qualiſcumque tandem ſit illa durities, quam uterque Plinius, aliique nonnulli deprehendunt in *Catullo*, cum ea ſanè doctrinæ non adverſetur, qui in Carminibus Iambicis omnibus Latinis optimo jure prælatus eſt; ut in quibus & inventione, & nitidiſſimo verborum apparatu, ſupra quàm credi poteſt, emineat, qui in Hendecaſyllabis eſt inimitabilis, qui in Elegis Latinorum omnium terſiſſimus ac candidiſſimus habetur, qui, inquam, tam eſt in Heroïcis rarus, excellenſque, ut à non paucis nemini, præterquam Maroni, qui in multis etiam *Catullum* eſt imitatus, poſtpona-

tur; cur doctus quodam etiam peculiari vocabulo non fuerit appellandus, non intelligo. Verum & qui tot titulis commendatus juvenis trigeſimum nempe aut circiter ætatis annum agens exceſſit, quanto ſi diutius vixiſſet, Romanis ornamento erat futurus? Cum maxime non alius inter Latinos fuerit, unum excipio Virgilium, qui tam viridi ætate tantam ſibi gloriam, tantum nomen compararit.

Huc pertinet, quod hominum doctrina non ſemper plene ex eorum ſcriptis colligitur; quod quidem exemplo Virgilii facile probatur. Cum enim Virgilium Latinorum Poetarum omnium non magis aliis virtutibus, quàm ſumma eruditione præſtantiſſimum fuiſſe citra temeritatem inficias ire nemo poſſit; quis tamen parem in illius atque Lucretii operibus nitere doctrinam affirmet? Doctrinam vero non omnes poëticas dotes, operumque artificium, ſed Philoſophiæ cognitionem dico. Sed vero Virgilius, dixerit aliquis, aliud in ſcribendo propoſitum, aliud ſpectavit Lucretius, qui quanquam Philoſophica tantum ſex libris, quos de rerum natura compoſuit, erudite tractavit, Virgilius tamen, ſi quando exactiſſimi Poematis locus exigat, non modo abſolute prorſus res philoſophicas, ſed abſolutius etiam quàm Lucretius calluiſſe comperietur. Eximie quidem is ſic egerit, quoniam aliis etiam argumentis, veterumque teſtimoniis, quid Virgilius in Philoſophia potuerit, præclarè docemur. Verum ſi, ut mox dictum eſt, opera ipſa ſpectentur; non tantum is de quo loquimur, Lucretius, ſed Horatius quoque ex iis Marone doctior eruditiorque videri voluerit. Si denique ex operibus hominum excellentiam æſtimare pergimus, Archimedem Syracuſanum omnium qui unquam fuere Mathematicorum eminentiſſimum ac præſtantiſſimum ex ejus ſcriptis nequaquam fuiſſe diſcemus, qualis tamen ab omnibus antiquis eſt habitus. Supereſt igitur, ut *Catullum* non præter rationem doctum à veteribus appellatum fateamur, cum magnam quidem ex ejus, quæ ſuperſunt, carminibus eruditionem in illo fuiſſe intelligamus, ſed majorem forte ab ipſius coætaneis in eodem perſpectam fuiſſe credendum ſit.

Alii porro præter *Catullum* nonnulli docti ſunt etiam vocati. Horatius enim lib. 2. Epiſt. 1. de Pacuvio & Accio Tragœdiæ Scriptoribus loquens, Pacuvium *docti ſenis famam*

abſtuliſſe aſſeverat. Propertius etiam lib. 2. Eleg. 34. v. 89. Licinium Calvum non vulgarem *Catulli* amicum doctum vocat, cum ait:

Hæc eadem docti confeſſa eſt pagina Calvi,
Cum caneret miſeræ funera Quintiliæ.

Propertius etiam lib. 3. Eleg. 20. doctum vocat Hoſtium Cynthiæ ſuæ avum, quem Feſtus verbo *Teſqua*, ac Macrobius de Bello Iſtrico ſcripſiſſe teſtantur. Idem quoque Propertius eodem lib. 3. Eleg. 21. doctos dixit Epicurum & Menandrum.

Martialis denique lib. 2. Epigram. 77. Pedonem doctum appellavit, quo etiam cognomine Senecam lib. 4. Epigram. 40. Apollinarem lib. 4. Epigram. 87. Secundum lib. 5. Epig. 81. Neronem lib. 8. Epig. 70. varioſque variis locis viros nuncupavit. Verum & alios non paucos appellatos fuiſſe doctos conſtat. De *Catulli* tamen doctrina ut vulgatior, ita & conſtantior fuit opinio.

VETERUM

VETERUM
TESTIMONIA
DE
C. VALERIO CATULLO.

Horatius Lib. 1. Serm. Satyr. 10. v. 19.

NIL præter Calvum & doctus cantare *Catullum*.

Tibullus Lib. 3. Eleg. 7. v. 9.

Sic cecinit pro te doctus, Minoï, *Catullus*,
Ingrati referens impia facta viri.

Propertius Lib. 2. Eleg. 25. v. 4.

Iſta meis fiet notiſſima forma libellis,
Calve, tuâ veniâ, pace, *Catulle*, tuâ.

Idem eodem Lib. Eleg. 34. v. 87.

Hæc quoque laſcivi cantarunt ſcripta *Catulli*,
Leſbia queis ipſa notior eſt Helena.

Ovidius Lib. 3. Amor. Eleg. 9.

Obvius huic venies hederâ juvenilia cinctus
Tempora, cum Calvo, docte *Catulle*, tuo.

Idem Lib. 2. Triſt.

Sic ſua laſcivo cantata eſt ſæpè *Catullo*
Fœmina, cui falſum Leſbia nomen erat.

Velleius Paterculus Lib. 2. cap. 36.

Quis enim ignorat diremptos gradibus ætatis floruiſſe hoc tempore Ciceronem, Hortenſium, ſenemque Craſſum, Catonem, Sulpicium; moxque Brutum, Calidium, Cœlium, Calvum, & proximum Ciceroni Cæſarem, eorumque velut alumnos Corvinum, ac Pollionem Aſinium, æmulumque Thucydidis Salluſtium, auctoreſque Carminum Varronem

ac Lucretium, neque ullo in ſuſcepti operis ſui Carmine minorem *Catullum*.

Seneca Lib. 4. Suaſoriar.

Erat enim parvulus ſtatura propter quam cauſam *Catullus* in Hendecaſyllabis vocar illum ſalapurium diſertum.

Plinius natural. Hiſtor. Lib. 28. cap. 2.

Hinc Theocriti apud Græcos, *Catulli* apud nos, proximéque Virgilii Incantamentorum amatoria imitatio.

Idem Plin. natural. Hiſtor. Lib. 36. cap. 6.

Primum Romæ parietès cruſta marmoris operuiſſe totius domus ſuæ in Cœlio monte Corneliûs Nepos tradidit Mamurram Formiis natum, Equitem Romanum, Præfectum Fabrorum C. Cæſaris in Gallia. Neque indignatio ſit tali auctore inventa re. Hic namque eſt Mamurra *Catulli* Veronenſis Carminibus proſciſſus, quem, ut res eſt, domus ipſius clarius, quàm *Catullus* dixit habere, quidquid habuiſſet comata Gallia.

Idem Plin. nat. Hiſtor. Lib. 37. cap. 6.

Siquidem extat hodieque hujus generis gemma, propter quam ab Antonio proſcriptus Nonius Senator eſt, filius Strumæ Nonii ejus, quem *Catullus* Poëta in ſella Curuli viſum indignè tulit.

Martialis Lib. 1. Epigram. 7.

Vicit, Maxime, Paſſerem *Catulli*
Tanto Stella meus tuo *Catullo*,
Quanto paſſere major eſt columba.

Idem eodem Lib. Epigram. 110.

Iſſa eſt Paſſere nequior *Catulli*.

Idem Lib. 2. Epigram. 70.

Protinus aut Marſi recitas, aut ſcripta *Catulli*.

Idem Lib. 4. Epigram. 14.

Si forſan tenet auſus eſt *Catullus*
Magno mittere Paſſerem Maroni.

Idem Lib. 5. Epigram. 31.

Differ opus: nec te facundi ſcena *Catulli*
Detineat cultis aut Elegeia comis.

Idem Lib. 6. Epigram. 34.

Nolo quot arguto dedit exorata *Catullo*

Leſbia ; pauca cupit, qui numerare poteſt.

Idem Lib. 7. Epigram. 13.

Non quales teneri ploravit amica *Catulli*
Leſbia nequitiis Paſſeris orba ſui.

Idem eodem Lib. Epigram. 98.

Nec Marſo nimium minor eſt, doctoque *Catullo.*

Idem Lib. 8. Epigramm. 73.

Fama eſt arguti Nemeſis formoſa Tibulli,
Leſbia dictavit, docte *Catulle*, tibi.

Idem Lib. 10. Epigram. 78.

Nec multos mihi præferas priores,
Uno ſed tibi ſim minor *Catullo.*

Idem Lib. 11. Epigram. 7.

Da nunc baſia, ſed Catulliana,
Quæ ſi tot fuerint, quot eſſe dixit,
Donabo tibi Paſſerem *Catulli.*

Idem Lib. 12. Epigram. 44

Leſbia cum tenero te poſſet amare *Catullo.*
Te poſt Naſonem blanda Corinna ſequi.

Idem eodem Lib. Epigram. 102.

Nec ſua plus debet tenui Verona *Catullo*,
Meque velit dici non minus illa ſuum.

Idem Lib. 14. Epigram. 195.

Tantum magna ſuo debet Verona *Catullo*,
Quantum parva ſuo Mantua Virgilio.

Quintilianus Lib. 10. Inſtitut. Orator. cap. 1.

Iambus non ſanè à Romanis celebratus eſt, ut proprium opus, à quibuſdam interpoſitus, cujus acerbitas in *Catullo*, Bibaculo & Horatio.

Plin. Junior Lib. 1. Epiſt. 16.

Præterea facit verſus, quales *Catullus*, aut Calvus. Quantum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis! inſerit ſane, ſed datâ operâ, molliuſculos leviuſculoſque, duriuſculos quoſdam : & hoc quaſi *Catullus* aut Calvus.

Idem Lib. 4. Epiſt. 14.

Scimus alioqui hujus opuſculi illam eſſe veriſſimam legem, quam *Catullus* expreſſit.

Nam caſtum eſſe decet pium Poëtam
Ipſum; verſiculos nihil neceſſe eſt.

Juvenalis Satyr. 6. v. 7.

Nec tibi cujus
Turbavit nitidos extinctus paſſer ocellos.

Cornelius Tacitus Lib. 4. Annal. cap. 34.

Carmina Bibaculi & *Catulli* referta contumeliis Cæſarum leguntur; ſed ipſe D. Julius, ſed ipſe D. Auguſtus & tulere iſta, & reliquere, &c.

Terentianus Maurus Lib. de Metris.

Exemplis tribus hoc ſtatim probabis
Docti Carmine quæ legis *Catulli*.

Idem ibidem paulò poſt.

Et fermè modus hic datur à pleriſque Priapo
Inter quos cecinit quoque carmen tale *Catullus*.

. . . .

Et ſimiles plures ſic conſcripſiſſe *Catullum*
Scimus.

Aulus Gellius Noct. Attic. Lib. 7. cap. 20.

Catullus quoque elegantiſſimus Poëtarum in hiſce verſibus.

Miniſter vetuli puer Falerni
Inger mi calices amariores,
Ut lex Poſthumia jubet magiſtra
Ebrioſa acina ebrioſioris.

Cum *ebrioſo* dicere poſſet, & quod erat uſitatius, *acinum* in neutro genere appellare; amans tamen hiatus illius Homerici ſuavitatem, *ebrioſa*, dixit propter conſequentis litteræ concentum. Qui *ebrios* autem *Catullum* dixiſſe putant, aut *ebrioſos*, nam id quoque temerè ſcriptum invenitur, in libros ſcilicet de corruptis exemplaribus factos inciderunt.

Idem Lib. 19. cap. 9.

Ecquis noſtrorum Poëtarum tam fluentes carminum delicias feciſſet, niſi *Catullus*, inquiunt, fortè pauca, & Calvus itidem pauca.

Suetonius in Vita Julii Cæſaris, cap. 73.

Valerium *Catullum*, à quo ſibi verſiculis de Mamurra perpetua ſtigmata impoſita non diſſimulaverat, ſatisfacientem eadem die adhibuit cœ-

næ, hoſpitioque patris ejus, ſicut conſueverat, uti perſeveravit.

Apuleius Madaur. Apol. ferè ab initio.

Hic etiam illud reprehendi animadvertiſti, quod cum aliis nominibus pueri vocentur, eos Charinum & Critiam appellitarim. Eadem igitur opera accuſent C. *Catullum*. quod Leſbiam pro Clodia nominarit, & Ticidam ſimiliter, quod, quæ Metella erat, Perillam ſcripſerit, & Propertium, qui Cynthiam dicat, Hoſtiam diſſimulet; & Tibullum, quod ei ſit Plania in animo, Delia in verſu.

Idem ibidem paulò infrà.

Catullum ita reſpondentem malevolis non legiſtis.

Nam caſtum eſſe decet pium Poëtam
Ipſum: verſiculos nihil neceſſe eſt.

Euſebii Chronicon Olymp. 173. ann. 2.

Caius Valerius *Catullus* Lyricus Veronæ naſcitur.

Idem ibidem Olymp. 180. an. 4.

Catullus trigeſimo ætatis ſuæ anno Romæ moritur.

Auſonius Idyll. 7.

Cui dono lepidum novum libellum?
Veronenſis ait Poëta quondam,
Inventoque ſtatim dedit Nepoti.

Idem Idyll. 4. ad Symmachum.

Dein cogitans mecum non illud *Catullianum*,
Cui dono lepidum novum libellum, &c.

Macrobius Lib. 2. Saturnal. cap. 1.

Excepit Symmachus; quia *Saturnalibus optimo dierum*, ut dicit Veronenſis Poëta, nec voluptas nobis ut Stoïcis tanquam hoſtis repudianda eſt.

Idem Saturnal. Lib. 6. cap. 1.

Catullus

Currite ducenti ſubtemine, currite fuſi.
Felix; heu nimium felix, ſi littora tantum
Nunquam Dardania tetigiſſent noſtra carinæ.

Catullus

Juppiter omnipotens utinam non tempore primo
Gnoſſia Cecropiæ tetigiſſent littora puppes.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS PAR LA GRACE DE DIEU ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE. A nos Amez & Feaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, grand Conſeil, Requeſtes de noſtre Hôtel, & de noſtre Palais à Paris, Baillifs, Seneſchaux, Prevoſts, leurs Lieutenans, & à tous autres nos Juſticiers qu'il appartiendra; SALUT. Ayant fait choix de noſtre bien amé FREDERIC LEONARD noſtre Imprimeur, pour mettre ſous la Preſſe les anciens Auteurs Latins, Hiſtoriens, Poetes, & autres, ſur leſquels on a fait des Commentaires & des Notes pour l'inſtruction de noſtre fils le Dauphin, deſquels Auteurs le Terence, le Plaute, le Lucrece, le Phedre, le Sallufte, le Florus, le Tite-Live, le Cornelius Nepos, le Velleius Paterculus, le Juſtin, le Claudien le Quinte-Curce, le Juvenal, le Perſe, le CATULLE, le TIBULLE & le PROPERCE avec l'Interpretation & les Commentaires du Sieur DU BOIS D. E. C. D. P. ſont en eſtat d'eſtre imprimez, Et ledit LEONARD Nous ayant fait tres-humblement remontrer le prejudice qu'il recevroit, ſi aprés les grands frais qu'il doit faire pour l'impreſſion de ces Livres, d'autres entreprenoient de les contrefaire, ce qui pourroit arriver ſi Nous ne luy accordions nos Lettres de Privilege ſur ce neceſſaires. A CES CAUSES, deſirant traiter favorablement ledit LEONARD, & empeſcher qu'il ne ſoit fruſtré de ſon labeur, & des grandes dépenſes qu'il luy convient ſupporter pour leſdites impreſſions; Nous luy avons permis & accordé, permettons & accordons d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter leſdits Livres dans tous les lieux de noſtre obeïſſance, en telles Marges, Volumes & Characteres qu'il voudra, pendant le temps & eſpace de vingt années, à compter du jour que chacun d'iceux ſera achevé d'imprimer pour la premiere fois: faiſant tres-expreſſes inhibitions & défenſes à tous Marchands Libraires, Imprimeurs, & à tous autres de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, d'imprimer, ou faire imprimer, contrefaire, ou alterer leſdits Livres, les vendre ny les diſtribuer par toutes les Terres & Seigneuries de noſtre obeïſſance, d'autre impreſſion que de celle dudit Expoſant, à peine de trois mille livres d'amende applicable, un tiers à Nous, un tiers à l'Hoſpital General, & l'autre tiers audit Expoſant; de confiſcation des Exemplaires contrefaits, & de tous dépens, dommages & intereſts: A la charge de mettre deux Exemplaires de chacun deſdits Livres en noſtre Bibliotheque publique, un en celle du Cabinet de nos Livres de noſtre Chaſteau du Louvre, & un en celle de noſtre tres-cher & feal le ſieur d'Aligre Chevalier, Chancelier de France, avant que de les expoſer en vente, à peine de nullité des Preſentes. Si vous mandons que du contenu en icelles vous faſſiez & ſouffriez jouir & uſer plei-

nement & paiſiblement ledit LEONARD, & ceux qui auront droit de luy, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit donné aucun empêchement. VOULONS qu'en mettant au commencement ou à la fin deſdits Livres Copie des Preſentes, ou un Extrait d'icelles, elles ſoient tenuës pour bien & deuëment ſignifiées, & que foy y ſoit adjoûtée, & aux Copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conſeillers & Secretaires, comme à l'Original. MANDONS au premier noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, faire pour l'execution des Preſentes tous Exploits, ſaiſies, & autres actes requis & neceſſaires, ſans demander aucune autre permiſſion, nonobſtant toutes oppoſitions ou appellations quelconques, clameur de Haro, Charte Normande, Priſe à partie, & Lettres à ce contraires, dont Nous nous reſervons la connoiſſance, & à noſtre Conſeil; CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR. DONNE' à Verſailles le vingtiéme jour d'Aouſt, l'An de grace mil ſix cens ſoixante-quatorze; & de noſtre Regne le trente-deuxiéme Signé, Par le Roy en ſon Conſeil, DESVIEUX.

Regiſtré ſur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris le 10. Septembre 1674. ſuivant l'Arreſt du Parlement du 8. Avril 1653. & celuy du Conſeil Privé du Roy du ſixiéme Fevrier 1665. Signé, THIERRY *Syndic.*

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 6. Avril 1685.

ERRATA IN CATULLO.

PAg. 10. *v.* 12. *loco* linguæ, *lege*, lingua.
Pag. 22. *col.* 1. *Annot. lin.* 6. teſtis, *lege*, teſtis fide.
Pag. 24. *car.* 18. *v.* 3. *loco* viribus, *lege*, urbibus.
Pag. 40. *col.* 2. *Annot. lin.* 4. *loco* religionem, *lege*, regionem.
Pag. 61. *col.* 2. *lin.* 11. *loco* Rhamnuſis, *lege*, Rhamnuſia.

C. VALERII

[a] C. VALERII
CATULLI VERONENSIS
AD
CORNELIUM NEPOTEM
[b] LIBER.

CARMEN I.

QUOI dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum?

INTERPRETATIO.

Cuinam dedico novum hunc *libellum jocoſum, recens lævigatum ſicco pumice?*

ANNOTATIONES.

a CATULLUM prænomine Quintum vocat levi ductus conjecturâ Scaliger ex verſiculo ad Januam, *verùm iſti populo Janua. Quinte ſacit.* Subjicitque hoc prænomen inſcriptum *Catullo* in Ms. codice Jacobi Cujacii. Alii verò ut D. Hieronym. Apuleius, cæterique omnes Caium prænominant *Catullum*. Fuit autem *Catullus* è gente Valeria ſummæ antiquitatis. Valerii enim, qui & Valeſii in delectu & cenſu primi nominabantur; ut refert Feſtus in *Lacus Lucrinus*. Tres porrò exſtant ejus nominis Poetæ, Valerius *Catullus* Valerius Flaccus, & Valerius Martialis, & unus Hiſtoricus Valerius Maximus. Extat & nomen Valerii Antiatis hiſtoriarum ſcriptoris antiquiſſimi ſæpius à Livio laudati, & Valerii Sorani Poëtæ, quem Cicero lib. de Orat. doctiſſimum togatorum appellat. Fuit etiam alter præter hunc poëta nomine *Catullus* Mimographus, de quo Juvenalis Satyr. 13.

b LIBER. *Catulli* opus admodum mutilum & lacerum ad nos perveniſſe nemini dubium eſſe debet. Veteres enim Grammatici nia imeque Terentianus Maurus, plura producunt ex Catullo, quæ nuſquam hodiè comparent.

1. *Quoi dono.*] Verſus eſt Hendecaſyllabus, idemque Phaleucius, conſtatque ſpondæo, dactylo, & tribus trochæis: in hoc tamen carmine Catullus ordinem non ſervat. *Quoi*, dativus eſt pro, *cui*, quo ſe puero antiquiores uſos ad pinguiorem ſonum, ut ab illo *qui* nominativi caſus diſtingueretur, teſtatur Quintilianus lib 1. *Inſtitut. Orator.* Hæc porrò quaſi præfatio eſt totius libri, quem *Catullus* dedicat Cornelio Nepoti. Hunc Auſonius Gallum, Plinius accolam Padi nominat, qui in Chronicis ſuis Catulli, ut optimi ſuo ſæculo poëtæ meminerat: is verò mentione ſui honorifica delectatus libelli nuncupatione gratiam retulit bene merito.

2. *Aridâ pumice.*] Alii legunt, *arido*. Sed Servius 12. Æneidos, *Aridâ pumice* Catullum ſcripſiſſe teſtatur in genere fœminino *Pumicum uſus*, ait Plinius, *eſt in corporibus lævigandis, atque etiam libris.* Unde & Martial. lib. 13. *Nondum murice cultus, aſper que morſu pumicis aridi politus Artanum properas ſequi, libelle.*

Corneli, tibi. nanque tu ſolebas
Meas eſſe aliquid putare nugas
Jam tum, quum auſus es unus Italorum
Omne ævum tribus explicare chartis
Doctis, Juppiter, & laborioſis.
Quare habe tibi quicquid hoc libelli eſt
Qualecunque: quod, ô patrima Virgo,
Plus uno maneat perenne ſæclo.

INTERPRETATIO.

Tibi, ô Corneli, tu enim conſueveras exiſtimare lujus meos eſſe aliquid; tunc etiam quando conſiſus es Italorum ſolus explanare cuncta tempora tribus libris, quàm *eruditis, ô Juppiter, & operoſis. Itaque accipe hoc quodcumque eſt operis,* quod tibi offero, *quod* utinam *perduret diutius uno ſeculo, ô patrima Virgo.*

ANNOTATIONES.

3. *Corneli.*] Plures fuerunt eodem tempore hoc nomine illuſtres viri, quorum auctores meminerunt. Cornelius Cinna, qui pridie quàm Cæſar occideretur, de eo graviter erat concionatus. Cornelius Phagita, cujus inſidias Cæſar æger ac latens, ne Syllæ proderetur, vix dato præmio evaſit. Cornelius Balbus ejuſdem Cæſaris in bello civili legatus. Cornelius Gallus poëta, ſcriptor Elegiarum, Ægypto præfectus ſub Augusto, qui Catullo noſtro paulo junior, cum in ſuſpicionem venisſet contra principem conjuraſſe, violentas ſibi manus attulit. Deniq; *Cornelius* Nepos Transpadanus, cui Catullus hunc ſuum nuncupat librum, qui editis aliquot libris, Imperante Auguſto mortem obiit. Huic etiam Attici vita tribuitur.

4. *Nugas.*] Sæpè verſus ſuos poëtæ *nugas*, & luſus vocant. Horatius:

Neſcio quid meditans nugarum totus in illis.

Martialis:

Qui meruit nugas primus habere meas.

5. *Unus Italorum.*] Præcipuus, vel ſolus ex omnibus Italis. Atticum tamen idem feciſſe Cicero teſtatur in epiſtolis, niſi forſan plura complexus ſit Cornelius Nepos quàm Atticus.

6. *Tribus chartis.*] Ob brevitatem commendat Chronicon Nepotis, qui tribus libris omne tempus, atque etiam antiquiſſima mythologica complexus fuerat. Unde Auſonius: *Apologos Titiani, & Nepotis Chronica, quaſi alios apologos, nam & ipſa inſtar fabularum ſunt, ad nobilitatem tuam miſi.*

9. *Patrima virgo.*] *Patrimi* dicuntur ii, quibus mater ſolùm deceſſerit; quibus ſolùm pater *Matrimi* ſunt. Eleganter Catullus Minervam *patrimam* vocat, quæ tantùm patrem habebat. Alii legunt, *patrona*, maluntque invocari aliquam ex Muſis, quæ nempe Poetarum ſunt patronæ; quod ſanè rectè etiam convenit Minervæ in cujus tutelâ, & clientelâ ſunt ingenia, & artes. Eam Ennius & dominam & heram dixit. Alii legunt, *Peranna*, ut Poëta videatur invocare Deam temporis præſidem, quæ veteribus *Peranna* dicebatur.

AD PASSEREM LESBIÆ. Carm. II.

PASSER delitiæ meæ puellæ;
Quicum ludere, quem in ſinu tenere,

INTERPRETATIO.

Paſſer voluptas amica mea, cum quo ipſa conſuevit oblectari, quem gremio complecti,

ANNOTATIO.

1. *Paſſer.*] Catullus ab amicâ excluſus paſſerem, quo illa delectabatur, alloquitur, optatque, ut *ipſe* eum eo ludendo tam facilè curas animi, quibus angitur, levare poſſet, quam ipſa Lesbia.

Quoi primum digitum dare adpetenti,
Et acreis ſolet incitare morſus:
Quum deſiderio meo nitenti
Carum neſcio quid lubet jocari,
(Ut ſolatiolum ſui doloris
Credunt, quum gravis acquieſcit ardor)
Tecum ludere, ſicut ipſa, poſſem,
Et triſteis animi levare curas:
Tam gratum mihi, quam ferunt puellæ
Pernici aureolum fuiſſe malum,
Quod zonam ſolvit diu ligatam.

INTERPRETATIO.

cui inhianti offerre extremum digitum, & irritare morſus aſperos, quoties placet nitido amori meo ludere neſcio quid jucundum; ut vulgò putant eſſe aliquod levamentum moleſtiæ ſuæ, quando vehemens æſtus ſedatur. Utinam *queam tanquam ipſa jocari tecum, ac graves mentis ſollicitudines mitigare,* id mihi eſſet *ita jucundum, ut dicunt veloci virgini acceptum fuiſſe pomum aureum, quod removit cingulum diu vinctum.*

ANNOTATIONES.

12. *Puella pernici.*] Atalantam intelligit, quam cum pater nuptui tradere nollet, niſi ei, qui eam curſu quo præcellebat ipſa, ſuperaſſet, poſtquam multi proci eo in certamine victi eſſent, & occiſi, ipſa demum ab Hippomene victa eſt, malorum aureorum, quæ ille à Venere acceperat, pulchritudine capta, & retardata, eique in uxorem data eſt.

13. *Zonam diu ligatam.*] Olim cingulo, quod ex lanâ ovis fiebat, virgines præcingebantur, quod cum puella nupſiſſet, primâ nocte vir ſolvebat in lecto, teſtis Feſtus. *Cingulo*, inquit, *nova nupta præcingebatur, quod vir in lecto ſolvebat, &c.* Et paulo infra: *Cinxiæ item Junonis ſanctum nomen habebatur in nuptiis, quod initio conjugii ſolutio erat cinguli, quo nova nupta erat cincta.* Unde, Catullus alibi, *Zonam ſolvere virgineam.* Græci quoque λυσιζώνους, puellas Venerem expertas vocant.

DE PASSERE MORTUO LESBIÆ. Carm. III.

LUGETE, ô Veneres, Cupidineſque,
Et quantum eſt hominum venuſtiorum.
Paſſer mortuus eſt meæ puellæ,
Paſſer delitiæ meæ puellæ;

INTERPRETATIO.

Plorate, ô Veneres, Venuſtates, & Amores, & quidquid eſt hominum elegantiorum. Paſſer amicæ meæ extinctus eſt, paſſer voluptas amicæ meæ,

ANNOTATIO.

1. *Veneres, Cupidineſque.*] Multæ ſunt, nempè quatuor Veneres, ut & tres Cupidines. Quemadmodum docet Cicero lib. 3. *de natura Deorum.* Ab Ovidio Venus dicitur *geminorum mater Amorum*, qui licet diverſis parentibus geniti crediti ſint, tamen ad unum Veneris filium omnia propè, quæ de Amore dicta ſunt, transferuntur.

Quem plus illa oculis ſuis amabat.
Nam mellitus erat, ſuamque norat
Ipſam tam bene, quam puella matrem:
Nec ſeſe à gremio illius movebat,
Sed circunſiliens modo huc, modo illuc,
Ad ſolam dominam uſque pipilabat.
Qui nunc it per iter tenebricoſum
Illuc, unde negant redire quenquam.
At vobis male ſit, malæ tenebræ
Orci, quæ omnia bella devoratis:
Tam bellum mihi paſſerem abſtuliſtis.
O factum male, ô miſelle paſſer,
Tuâ nunc operâ meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli.

INTERPRETATIO.

quem ipſe ocellis ſuis cariorem habebat: erat enim dulcis & aquè agnoſcebat dominam ſuam, ut puella agnoſcit parentem ſuam: neque recedebat ab ejus ſinu, ſed circumvolitans nunc eò, modò illò, ad unam heram ſemper pipiebat: qui jam fertur per viam obſcuram, eò, unde dicunt neminem huc reverti. Tibi verò malè cedat, ô improba nox Inferorum, quæ abſorbes res omnes venuſtas: eripuiſti mihi paſſerem adeò elegantem. O gravem caſum! O infortunate paſſercule! Jam tuâ causâ erubeſcunt oculi amicæ meæ lachrimando tumidi.

ANNOTATIONES.

10. *Pipilabat.*] Frequentativum à pipo, as. Unde Ovid.

Accipitres pipant, Milvus hianſque lipit.

Varro contra ſentit: *Mugit bos*, inquit, *balat ovis, hinnit equus, gallina pipat.*

13. *Tenebræ Orci,*] Orcus à veteribus Inferorum Deus eſt habitus, quem & Plutonem, & Ditem patrem appellabant. Unde Cicero in Verrem: *Hic dolor erat tantus, ut Verres alter Orcus veniſſe Ennam, & non Proſerpinam aſportaſſe, ſed ipſam abripuiſſe Cererem videretur.* Sumitur etiam pro ipſo *Inferorum* loco, ut hic à Catullo, & à Propertio lib. 3. ubi vocatur Minos Arbiter Orci, tanquam Inferorum judex & moderator. Theocritus vocat Orcum, *ἀΐζοδυ ἀχέροντα.*

16. *O factum male!*] Ubi quid infeliciter evenerat, illud uſurpabant, *ô factum male!* ſicut contra in certis & proſperis rebus, *ô factum bene!* Utriuſque exempla crebra ſunt apud Terentium & Plautum.

18. *Turgiduli.*] Inflati ex nimio fletu. Ad quem alludens Martialis lib. 7. Epigram. 13.

Accidit infandum noſtræ ſcelus, Aule, puellæ,
Amiſit luſus, deliciaſque ſuas.
Non quales teneri ploravit amica Catulli
Leſbia nequitiis paſſeris orba ſui.

DE PHASELO, QUO IN PATRIAM REVECTUS EST.

Carm. IV.

PHASELUS ille, quem videtis hoſpites,
Ait fuiſſe navium celerrimus,
Neque ullius natantis impetum trabis
Nequiſſe præterire, ſive palmulis
Opus foret volare, ſive linteo.
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare littus, inſulaſve Cycladas,
Rhodumve nobilem, horridamve Thraciam,
Propontida, trucemve Ponticum ſinum.

INTERPRETATIO.

Navigium iſtud, quod cernitis, ô amici, dicit ſe fuiſſe velociſſimum Navigiorum, & potuiſſe ſuperare velocitatem cujusvis ratis navigantis, ſive remis, ſive velis neceſſe eſſet curſum tenere; & ait oram Adriatici pelagi periculoſi non poſſe hoc inficiari, neque Cycladas inſulas, neque claram Rhodum, nec Thraciam gelidam, nec Propontidem, nec ſinum Ponticum terribilem.

ANNOTATIONES.

1. *Phaſelus ille.*] Hoc Carmine poëta laudat navigium ſuum, quo vectus ex Bithynia per diverſa maria uſque ad Sirmionem oppidulum ad lacum Benacum, vulgò *Lago di Garda*, in Gallia Ciſalpina, unde natus creditur, redierat; illudque conſecrat Caſtori, & Polluci, Diis Nautarum tutelaribus.

6. *Adriatici.*] *Adriaticum* mare dicitur ille ſinus inter Lacinium extremum Italiæ, & Acroceraunium Epiri Promontorium excurrens, quod & Superum mare appellatur, & *Adriaticum*, ab Adria urbe ad iſtius maris littus, & ad Padi oſtium à Thuſcis condita, juxta Plinium lib. 3. cap. 16. *Nobilis portu oppidi Thuſcorum Adria, à quo Adriacum antea mare appellatum, quod nunc Adriaticum.* Unde & Horat. *Improbo iracundior Adria.* Lucan. lib. 5.

—— Sonat Ionio vagus Adria ponto.

Propert. lib. 3.

Ergo ego nunc rudis Adriatici vehar
æquoris hoſpes.

7. *Cycladas.*] Inſulæ ſunt in mari Ægeo circa Delum veluti in orbem ſitæ, unde nomen traxerunt.

8. *Rhodum nobilem.*] Rhodus inſula maris Carpathii Cariæ adjacens, inter Aſiæ inſulas tertia numeratur; cui Rhodos Neptuni filia ab Apolline adamata nomen dedit; ut ait Diodor. lib. 6. Urbem ejuſdem nominis habuit hæc inſula, quæ multis annis imperio maris potita eſt: fuit & in ea inſula admirandæ magnitudinis Coloſſus, ſeu ſtatua Solis; quem fecerat Chares Lydius Lyſippi diſcipulus, unde *Rhodii Coloſſenſes* dicti ſunt. Ut Lucanus:

—— Claramque reliquit
Sole Rhodum. ——

Horridam Thraciam.] Pars eſt Europæ ad Septentrionem vergens, quæ ab Ortu Propontidem, & à Meridie mare Ægeum ſpectat. Habet præter alias urbes ab autoribus celebratas Byzantium, ſeu Conſtantinopolim ad Boſporum, ubi nunc ſedem habet Turcarum Imperator. *Thracia* vero dicitur horrida vel ab incolarum feritate, vel à frigore quo deformatur.

9. *Propontida.*] Ultima ſyllaba producenda, ob duas ſequentes conſonas, vel legendum *Propontidem*, ut nonnulli legunt. *Propontis* autem mare eſt illud paulo laxius, quod ab Helleſponti anguſtiis ad Thraciam uſque Boſporum protenditur; primas enim anguſtias

Ubi iſte poſt phaſelus anteà fuit
Comata ſilva. nam Cytorio in jugo
Loquente ſæpe ſibilum edidit comâ.
Amaſtri pontica, & Cytore buxifer,
Tibi hæc fuiſſe, & eſſe cognitiſſima
Ait phaſelus. ultimâ ex origine
Tuo ſtetiſſe dicit in cacumine:
Tuo imbuiſſe palmulas in æquore:
Et inde tot per impotentia freta
Herum tuliſſe, læva, ſive dextra
Vocaret aura, ſive utrumque Juppiter
Simul ſecundus incidiſſet in pedem:
Neque ulla vota littoralibus Deis

INTERPRETATIO.

Juxta quem Phaſelus iſte, qui poſteà fuit Navigium, anteà fuerat ſylva frondoſa: crebrò enim frondibus reſonantibus ſibilavit in Cytorie vertice: idem *Phaſelus addit iſta notiſſima fuiſſe alias, & adhuc eſſe vobis. ô Amaſtri* urbs *Pontica, & Cytore* mons *buxis abundans; ait ſe fuiſſe in tuo vertice à ſummo principio, & tinxiſſe remos* ſuos *suis aquis, & poſteà portaſſe* me *dominum* ſuum *per tam multa maria ferocia, ſive dextra, ſive ſiniſtra impelleret aura, ſive Jupiter favens incubuiſſet unà in geminos pedes neque* unquam *à ſe nuncupata eſſe ulla vota numinibus*

ANNOTATIONES.

màris Ægei ſeſe coarctantis Helleſpontum vocant. Ubi latius exſpatiatur æquor, *Propontis* appellatur, quaſi ante pontum; ubi vero rurſus in arctum coit *Boſporus Thracius* nuncupatur. Inde iterum effunditur, vocaturque Pontus-Euxinus.

Ponticum ſinum.] Ad Boream ſupra Boſporum Thracium eſt *Ponticus ſinus,* vulgò dictus Pontus-Euxinus olim Axenus, id eſt, inhoſpitalis, atrox eſt, nebuloſus; & quia non eſt profundus, fluctuoſus eſt, & fervens, & ventis maximè obnoxius, Plin. lib. 6.

11. *Cytorio in jugo.*] *Cytorus* mons eſt Paphlagoniæ juxta Amaſtrim urbem buxo abundans. Unde Virg.

Et juvat undantem buxo ſpectare Cytorum.

Quod etiam noſter poëta innuit, cum dicit, *Cytore Buxifer.* &c. Fuit & Civitas *Cytorus* ſeu *Cytorum* dicta, Sinopenſium Emporium. Strab. lib. 12.

13. *Amaſtri.*] *Amaſtris* urbs eſt Paphlagoniæ, Seſamon olim ſecundum Strabonem vocitata, non procul à Cytoro monte ad Pontum-Euxinum.

20. *Sive utrumque Juppiter incidiſſet in pedem.*] Pes in navi ima pars eſt veli, ſeu angulus, quo fune religatur; duo autem pedes ſunt dexter, & ſiniſter. Dicitur itaque Juppiter, ſive ventus ſecundus incidere in utrumque pedem, cum navis à vento plenis ſeu æquatis velis impellitur. Alii *pedem* in navi accipiunt funem, quo velum tenditur, unde idem dicunt eſſe, *facere pedem,* quod, vela facere, Virgil,

Unà omnes fecere pedem, &c.

Seneca Tragic. in Medeâ.

Nunc prealto pede tranſverſos captare Notos, &c.

22. *Neque ulla vota.*] Prædicat ſe tantâ navigandi foelicitate ſemper curſum confeciſſe, nulla ut vota nuncupanda Diis littoralibus fuerint, ſcilicet Glauco, Nereo, Melicertæ, Neptuno, Thetidi, & ceteris, quibus templa in littoribus erant conſecrata.

Sibi eſſe facta, quum veniret à mari
Noviſſimo hunc ad uſque limpidum lacum.
Sed hæc prius fuere. nunc recondità
Senet quiete, ſeque dedicat tibi
Gemelle Caſtor, & gemelle Caſtoris.

INTERPRETATIO.

littoris præſidibus; etiamſi proficiſceretur ab extremo pelago uſque ad ſtagnum hoc nitidum. At iſta præterierunt; jam verò compoſito otio conſeneſcit. & ſe tibi conſecrat. ô Caſtor frater *gemine* Pollucis, *&* tibi, ô Pollux frater *gemine Caſtoris.*

ANNOTATIONES.

26. *Senet.*] Antiquum verbum, pro *ſeneſcat*; Accius in Thelepho.

Pecora langiuntque ſenentque.

Lucret. lib. 6.

Nunc etiam ſenet & trepido terrore repleta eſt.

27. *Gemelle Caſtor.*] Nemo neſcit *Caſtorem* & Pollucem fuiſſe fratres geminos ex Ledâ à Jove ſub Cygni formâ compreſsâ natos, qui & Tyndaridæ dicuntur, ab antiquis ſunt habiti Dii navigantibus maximè propitii. Unde Horat, lib. 4. Od. 8.

Clarum Tyndaridæ ſidus ab infimis
Quaſſas eripiunt æquoribus rates.

AD LESBIAM. Carm. V.

VIVAMUS, mea Lesbia, atque amemus,
Rumoreſque ſenum ſeveriorum
Omnes unius æſtimemus aſſis.
Soles occidere, & redire poſſunt.
Nobis, quum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

INTERPRETATIO.

Vivamus, ô Lesbia mea, & invicem diligamus, nec faciamus pluris uno aſſe reprehenſiones vetulorum auſteriorum. Dies occidere queunt, & reſurgere: quando vero tenue lumen nobis ſemel extinguitur, nox æterna nobis eſt una dormienda.

ANNOTATIONES.

1. *Vivamus.*] Talis eſt Horatii ad Amicam exhortatio.

Miſerarum eſt neque amori dare ludum:
Neque dulci mala vino lavere, aut exanimari metuentes patruæ verbera linguæ.

Idemque alibi:

Dum licet, in rebus jucundis vive beatus,
Vive memor quam ſis ævi brevis. &c.

Mea Lesbia.] Sub nomine *Lesbiæ* Clodiam amicam celebrat Catullus, ut Deliam Tibullus pro Plania, Propertius pro Hoſtia ſeu Lesbia Cynthiam illuſtrarunt.

6. *Nox eſt perpetua.*] Mortem intelligit, quam Ovid. comparat ſomno:

Stulte, quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago?
Longa quieſcendi tempora fata dabunt.

Unde & Virg.

---In æternam clauduntur lumina noctem.

Propertius eodem ferè modo:

Dum nos fata ſinunt, oculos ſatiemus amore.
Nox tibi longa venit, nec reditura dies.

Da mihi baſia mille, deinde centum,
Dein mille altera, dein ſecunda centum,
Dein uſque altera mille, deinde centum.
Dein quum millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne ſciamus:
Aut ne quis malus invidere poſſit,
Quum tantum ſciat eſſe baſiorum.

INTERPRETATIO.

Prabe mihi mille oſcula, mox centum alia, tum mille altera, poſtea centum altera, rurſus mille alia, ac rurſus centum alia. Poſteà vero quam plura millia aguaveri-mus, confundemus illa, ut ipſi ignoremus, quot fuerint; *aut ne improbus aliquis invidere queat, ſi tam multa noverit eſſe oſcula.*

ANNOTATIONES.

10. *Quum millia multa fecerimus.*] Etſi quæ petit baſia benè multa ſunt, non ſufficiunt tamen Martiali, qui de his lepidè more ſuo.

Nolo quod arguto dedit exerata Catullo
Leſbia; pauca cupit, qui numerare poteſt.

Fecerimus penultimam ſyllabam, quæ brevis eſt, produxit Poëta, ſicut & Ennius penultimam *dederitis*: *Neu mi aurum poſco. non mihi pretium dederitis.* Quod imitatus eſt etiam Ovid. lib. 4. de Ponto.

Et maris Ionii tranſieritis aquas.

11. *Conturbabimus.*] Invidiæ magnam vim ad nocendum antiqui putabant, cum eam ſola voluntate, & ipſo afflatu & contagione maleficam, & venenatam eſſe cenſerent; eam tamen vim irritam eſſe exiſtimabant, niſi illa rem certam, & numero comprehenſam teneret; hinc Catullus Baſia conturbat, ne quis invidus eorum numerum cognoſceret.

AD FLAVIUM. Carm. VI.

FLAVI delitias tuas Catullo,
Ni ſint illepidæ, atque inelegantes,
Velles dicere, nec tacere poſſes.
Verum neſcio quid febriculoſi
Scorti diligis. hoc pudet fateri.
Nam te non viduas jacere noctes
Nequicquam tacitum cubile clamat,

INTERPRETATIO.

O *Flavi cuperes narrare Catullo tuo, neque celare me poſſes tuos amores, niſi eſſent illiberales, & inhoneſti; ſed amas neſcio quid ſcorti morbidi. idque erubeſcis confiteri. Lectus enim tuus non ſilens, Flores.*

ANNOTATIONES.

1. *Flavi.*] Quinam è multis *Flaviis* amicus iſte Catulli fuerit, valde dubium.

6. *Nam te non viduas.*] Multa indicant te non cubare ſolum. *Viduas* autem dixit *noctes*, quomodo Ovid.

Cur ego tot viduas exegi frigida noctes.

7. *Nequicquam.*] Id eſt, *non*: ita poſuit Virgil.

E ſummo clypei nequicquam umbone pependit.

Sertis

Sertis ac Syrio flagrans olivo,
Pulvinuſque peræque & hinc, & illinc
Attritus, * * *
* * * *
* * * *
* * *
* * * * *
Quare quicquid habes boni, malique,
Dic nobis. volo te, ac tuos amores
Ad cælum lepido vocare verſu.

INTERPRETATIO.

& Syrium ſpirans amomum patefacit te non calibes cubare noctes, & cervical hinc, & illinc protritum * * * * * * * * *quapropter commemora mihi quidvis boni & mali nanciſceris; cupio ad aſtra tollere teipſum, ac tuas delicias eleganti Carmine.*

ANNOTATIONES.

8. *Syrio olivo.*] Ex *Syria* amomum optimum afferebatur, quod vocat Horatius: *Malobathrum Syrium*; hoc porrò indicat veteres unguentis, & odoribus etiam in lectis uſos.

17. *Ad cælum vocare.*] Applaudere nimiumque ſibi ipſe tribuere videtur poëta, tanquam ſit ipſe in cœlum ſcriptis ſuis ſublatus, illucque alios poſſit efferre.

AD LESBIAM. Carm. VII.

Quæris quot mihi baſiationes
Tuæ, Lesbia, ſint ſatis, ſuperque?
Quam magnus numerus Libyſſæ arenæ
Laſerpiciferis jacet Cyrenis

INTERPRETATIO.

Rogas, ô Leſbia, quam multa mihi ſufficiant oſcula tua? Quanta eſt *multitudo arenarum Libycarum, quæ jacent Cyrenis ferentibus Laſerpicium,*

ANNOTATIONES.

3. *Libyſſæ arenæ.*] A *Libyâ*, Gentile eſt, *Libys, os*, maſculinum: *Libyſſa* verò fœmininum, ut Phœnix, Phœniſſa. *Libya* porrò Africæ pars eſt, quæ propter nimium Solis æſtum, quo torretur, immenſis arenis, vaſtiſque ſolitudinibus ſqualet.

4. *Laſerpiciferis jacet Cyrenis.*] *Cyrene*, à quâ *Cyrenaica* regio, urbs eſt Pentapoleos in Lybia, propter arenas & ſolitudines toties decantata, à Batto Callimachi progenitore, ut creditur, condita: ſic dicta à *Cyrene* Penei Regis Theſſaliæ filiâ, quam Appollo adamatam in eam Libyæ partem tranſtulerat. Vide Juſtinum lib. 13. Dicitur *Cyrene es*, vel *Cyrenæ, arum*: dicuntur autem *Cyrenæ Laſerpicifera* quod in Cyrenaica regione herbæ genus quoddam Latinis, *Laſerpicium*, Græcis, Silphion, dictum, frequens reperiatur, cujus herba ſiccus *Laſer* appellatur, folium *Maſpetum* dicitur; ejus uſus eſt in medicamentis exquiſitus. Plura leges apud Plinium lib. 19.

Oraclum Jovis inter æſtuoſi,
Et Batti veteris ſacrum ſepulchrum:
Aut quam ſidera multa, quum tacet nox,
Furtivos hominum vident amores:
Tam te baſia multa baſiare
Veſano ſatis, & ſuper Catullo eſt,
Qua nec pernumerare curioſi
Poſſint, nec mala faſcinare linguæ.

INTERPRETATIO.

inter Templum Jovis ferventis, & anguſtum tumulum antiqui Batti; aut quot aſtra, quando nox eſt, cernunt occultos amores hominum; ſatis ſuperque eſt te oſculari. Catullo inſanienti tot oſcula, quot nec curioſi percenſere queant, nec improba lingua incantare.

ANNOTATIONES.

5. *Oraclum Jovis.*] *Oraculum* aliquando ſumitur pro templo, ut indicat hic Catulli locus, ut & ille Plinii lib. 22. cap. 23. *Ammoniaco nomen eſt ab Ammonis Oraculo, juxta quod gignitur arbor, quam Metopion vocant.* Locus autem ille dicitur *æſtuoſus* quod illic arenarum tumuli in modum marinorum fluctuum a ventis huc illuc concitentur. *Jovis* Ammonis templum, de quo hic Catullus, dicitur ædificaſſe Liber pater, ſeu Bacchus. Olim inter ſeptem orbis miracula numerabatur; aberatque Cyrenis cccc. M. paſſuum, ſi Plinio credimus lib. 5. cap. 5. de hoc etiam Diodor. lib. 4. Q. Curt. lib. 4. cap. 7. Lucan. lib. 9. Strab. lib 17.

6. *Batti.*] *Battus* Cyrenas condidit, qui fuit ibidem ſepultus, quemque Callimachus progenitorem ſuum fuiſſe dicit: unde vocatur Battiades a Catullo & Statio.

AD SEIPSUM. Carm. VIII.

MISER Catulle deſinas ineptire,
Et quod vides periiſſe, perditum ducas.
Fulſere quondam candidi tibi ſoles,
Quum ventitabas, quo puella ducebat
Amata nobis, quantum amabitur nulla.
Ibi illa multa tam jocoſa fiebant,
Quæ tu volebas, nec puella nolebat.

INTERPRETATIO.

Infelix Catulle, abſiſte tandem *nugari, & amiſſum habeas quod cernis perditum eſſe; felices dies aliàs tibi luxerunt, quandò frequenter ibas, quò vocabat puella* illa *tantùm à me dilecta, quantum nulla* alia *diligetur. Illic plura* alia *jocularia agebantur, quæ tu cupiebas, nec amica renuebat.*

ANNOTATIONES.

1. *Miſer Catulle.*] *Miſeri* ſunt, qui amant: id norunt, qui ſunt amori mancipati. Virg.

Sed miſera ante diem, ſubitoque accenſa furore; &c.

3. *Candidi ſoles.*] Id eſt, dies læti, & felices. Alludit Poëta ad illum morem, quo veteres lapillis dies notabant; felices, albis; infelices, nigris; quem morem refert Plin. lib 11. Catullo accinit Horatius, Lib. 4. Od. 5.

—— gratior it dies,
Et ſoles melius nitent.

Fulsêre verè candidi tibi ſoles.
Nunc jam illa non volt, tu quoque impote *
Nec quæ fugit ſectare, nec miſer vive:
Sed obſtinata mente perfer, obdura.
Vale puella, jam Catullus obdurat:
Nec te requiret, nec rogabit invitam.
At tu dolebis, quum rogaberis nulla.
Scelesta rere, quæ tibi manet vita.
Quis nunc te adibit? quoi videberis bella?
Quem nunc amabis? cujus eſſe diceris?
Quem baſiabis? quoi labella mordebis?
At tu, Catulle, deſtinatus obdura.

INTERPRETATIO.

Profectò luxerunt tibi felices dies, illa modò renuit, tu pariter potes nolle; nec illam ſequere, quæ te refugit: nec calamitoſus vitam dege; at obſirmato animo perpetere, obdureſce. Vale, ô amica: nunc Catullus obdureſcit: nec deſiderabit te, nec nolentem precabitur. Te verò pœnitebit aliquando, quando minimè rogaberis. Improba, cogita, quænam vita tibi ſupereſt; quis jam conveniet te? Cuinam apparebis pulchra? Quem amatorem modò habebis? Cujus amica vocaberis? Quem obſculabere? Cuinam labia ſtringes morſiunculis? Tu verò, ô Catulle, obſirmatus obdureſce.

ANNOTATIONES.

9. *Tu quoque impote.*] Mancus hic verſus, & varie legitur. In aliis Codicibus legitur *impote*, in aliis *impotens*, in aliis *inepte* & ubique deeſt pes extremus, qui nobis videtur ſic poſſe ſuppleri, tu quoque impotes nolle, ita ut, *im*, ἀρχαϊκῶς pro, *eam*. ponatur. Aut ut Scaligero placet, *impotens ne ſis*. id eſt, ne nimio amore vincaris.

14. *Rogaberis nulla*] Id eſt, *cum non rogaberis*: alii legunt, *nulli*. hoc eſt, à *nullo*. ſeu à *nemine rogaberis*. Nos legimus, *nulla*: quod dixit Catullus eo fere modo quo Terentius:

Nullus dixeris.

18. *Labella mordebis.*] Hoc etiam eſt in amantium deliciis, *Labella* morſiunculis ſtringere; unde Flora illa, cui cum Cn. Pompeio apud Plutarch. ſtupri conſuetudo erat, eum commendabat, quod numquam ab eo non morſa potuiſſet diſcedere. Plautus Pſeudolo.

Compreſſiones arctæ amantum comparet.
Teneris labellis molles morſiunculæ.

Horatius: — *Sive puer furens*
Impreſſit memorem dente labris notam.

AD VERANNIUM. Carm. IX.

VERANNI omnibus è meis amicis
Antiſtes mihi millibus trecentis:

INTERPRETATIO.

O *Veranni, mihi præſtans cunctis familiaribus meis, vel trecentis millibus;*

ANNOTATIO.

1. *Veranni omnibus è meis amicis antiſtes.*] Gratulatur *Verannio* familiari ſuo reditum ex Hiſpania, quo ipſe, & Fabullus profecti fuerant, cum Caio Piſone, qui in citeriorem Hiſpaniam quæſtor pro prætore miſſus fuerat. Hunc dicit Catullus ex omnibus ſuis amicis Antiſtitem, id eſt, inter omnes amicos principem. Alii legunt, antiſtans, quod & in idem recidit. Sed omnes Mſſ. Codices, ac editiones antiquæ lectionem noſtram repræſentant.

Veniſtine domum ad tuos penateis,
Fratreſque unanimos, tuamque matrem?
Veniſti? ô mihi nuncii beati!
Viſam te incolumem, audiamque Hiberûm
Narrantem loca, facta, nationes,
Ut mos eſt tuus; applicanſque collum,
Jucundum os, oculoſque ſuaviabor.
O quantum eſt hominum beatiorum,
Quid me lætius eſt, beatiuſve?

INTERPRETATIO.

an rediiſti domum ad Lares tuos, ad fratres concordes, & ad matrem tuam? Tandem *rediiſti? O mihi felices nuncii! Videbo te ſanum*, & valentem, *& auſculabo* te, *ut conſuetudo tua fert, explicantem Regiones Iberorum, mores corum*, & *populos. & inhærens collo tuo ſuavem vultum, & ocellos oſculabor. Quid* jam *hilarius me eſt, aut felicius* ex omnibus *hominibus quotquot beatiores ſunt?*

ANNOTATIONES.

6. *Hiberûm.*] *Iberi* dicti ſunt Hiſpani ab *Ibero* fluvio, *Ebro* vulgò dicto, proximi; poſtea tamen univerſa Hiſpania dicta eſt *Iberia*, ſeu *Hiberia*.

9. *Suaviabor.*] Mos fuit apud antiquos, qui viget adhuc hodie, abeuntes ac redeuntes amicos exoſculari. Unde Q. Cicero Tironi: *Tuos oculos etiamſi te venient in medio foro videro, diſſuaviabor.* Horat. Lib. 1. Od. 36.

Qui nunc Heſperiâ ſoſpes ab ultimâ
Caris multa ſodalibus
Nulli plura tamen dividit oſcula
Quam dulci Lamiæ.

DE VARRI SCORTO. Carm. X.

VARRUS me meus ad ſuos amores
Viſum duxerat è foro otioſum:
Scortillum ut mihi tum repente viſum eſt
Non ſane inlepidum, nec invenuſtum.
Huc ut venimus, incidere nobis
Sermones varii: in quibus, quid eſſet

INTERPRETATIO.

Varrus ceſſantem me è foro deduxerat ad videndam amicam ſuam, meretriculam quidem, nec inſcitam, nec inelegantem, qualis mihi ſubitò apparuit. Quum ad eam acceſſimus, multiplices ſermones nobis inciderunt, inter quos qualis eſſet

ANNOTATIO.

1. *Varrus me meus.*] Dubium eſt, quem *Varrum* intelligat. Scaliger negat eundem fuiſſe, qui cum tribus Legionibus à Germanis cæſus eſt, quod clades illa ad minimum quinquageſimo poſt anno contigiſſe referatur. Fuit & *Varrus* contubernalis Virgilii & Horatii, qui ab Horatio nunc *Varus*, nunc *Varius* dicitur. Sunt tamen qui velint *Varum*, & *Varium* eodem tempore Poëtas diverſos fuiſſe.

Jam Bithynia, quomodo ſe haberet,
Et quantum mihi profuiſſet ære.
Reſpondi, id quod erat: mihi neque ipſi,
Nec prætoribus eſſe, nec cohorti,
Quur quiſquam caput unctius referret:
Præſertim quibus eſſet *
Prætor, non facerent pili cohortem.
At certe tamen, inquit, quod illic
Natum dicitur eſſe, comparaſti
Ad lecticam homines. ego, ut puellæ
Unum me facerem beatiorem:
Non, inquam, mihi tam fuit malignè,
Ut, provincia quod mala incidiſſet,
Non poſſem octo homines parare rectos,
At mi nullus erat nec hic, neque illic,
Fractum qui veteris pedem grabati
In collo ſibi collocare poſſet.

INTERPRETATIO.

nunc Bithynia, & in quo ſtatu verſaretur, & quanta utilitati mihi fuiſſet pecuniâ. Ego *reſpondi id quod* verum *erat, neque* mihi *ipſi, neque Prætoribus, neque Comitatui fuiſſe, unde ullus* noſtrûm *caput odoratius reportaret;* cum *præcipuè* illi Provinciales, *quibus eſſet prætor ſpurcus homo, nihil facerent* prætoris *comites. Saltem tamen, inquit* illa, *acquiſiviſti homines ad lecticam* tuam *ferendam, quod* genus *hominum in eâ regione ortum eſſe traditur. Ego, ut me puellæ* iſti *jactarem unum fuiſſe fortunatiorem; non mihi, aio, res tam malè ceſſit, ut quamvis* mihi *accediſſet provincia infructuoſa, nihilominus poſſem acquirere* mihi *octo* lecticarios *proceros; tamen nullus mihi erat, neque eo in loco, neque in illo, qui valeret imponere collo ſuo ruptum pedem vetuſti lecti.*

ANNOTATIONES.

7. *Jam Bithynia.*] Regio eſt minoris Aſiæ ab Euxino mari juxta Boſporum Thracium ad Propontidem protenſa, quo Catullus C. Memmium Gemellum illuc à republica prætorem miſſum comitatus fuerat.

8. *Ære.*] Id eſt, *pecuniâ*, quæ primò Servio Tullo regnante Romæ ſignata eſt pecudis imagine, unde pecunia dicta. Ut teſtatur Plin.

10. *Nec prætoribus eſſe, nec cohorti.*] Hic Prætores appellantur, amici Prætoris, qui quaſi alteri Prætores videbantur. Nam præter cohortem prætoriam, quem à republicâ accipiebat Magiſtratus in provinciam proficiſcens, ipſe ſibi deligebat Comites ac domeſticos Convictores; qui ut ait Cicero, quaſi ex cohorte prætoria appellari ſolerent. De utraque cohorte mentio eſt apud Ciceronem Epiſtola prima ad Q. Fratrem.

11. *Caput unctius.*] Argumentum divitiarum eſt caput unctum. Unde Lucil.

Hi quos divitiæ producunt, & caput ungunt.

Unde etiam divites uncti dicuntur: Juvenal. —— *Unctamque Corinthon.* Cicero Orat. 4. contra Verrem: *Ita Palæſtritas defendebat, ut ab illis unctior diſcederet.*

13. *Nec facerent pili.*] Id eſt, *nihili*. Sicut dixit ante, *unius æſtimemus aſſis*; unde & alibi idem noſter Catullus:

Ludere hanc ſinit, ut lubet, nec pili facit uni.

22. *Grabati.*] Id eſt, *lecti*, ſeu lecticæ annoſæ, & veteris, & vilis fulcrum.

Hic illa, ut decuit cinædiorem:
Quæſo, inquit mihi, mi Catulle, paulum
Iſtos. commodò nam volo ad Serapin
Deferri. minimè, inquio puellæ:
Iſtud, quod modo dixeram me habere,
Fugit me ratio. meus ſodalis
Cinna eſt Caius. is ſibi paravit.
Verum utrum illius, an mei, quid ad me?
Utor tam benè, quam mihi parârim.
Sed tu inſulſa malè, & moleſta vivis,
Per quam non licet eſſe negligentem.

INTERPRETATIO.

Tunc, ait, *illa, ut convenit impudentiori: rogo* te, *mi Catulle*, commoda *mihi iſtos tantiſper: cupio enim deportari in tempore ad Serapin; hoc non eſt* verum *inquam puella, quod jam narraveram me poſſidere, aberravit animus*: ſed *Caius Cinna ſocius meus ſibi* iſtos *comparavit. Sed, quid meâ refert*, an ſint *illius, an mei?* nam *tam libenter* iis *utor quam ſi mihi* illos *acquiſierim. At tu male inepta es, & odioſa, per quam* mihi *non conceditur oſcitantem eſſe.*

ANNOTATIONES.

24. *Cinadiorem.*] Procaciorem, molliorem, impudiciorem.

26. *Nam volo ad Serapin.*] *Serapis* Ægyptiorum Deus, qui & Apis, & Oſyris dictus eſt: poterat ne ire pedes? Illo tempore non licebat Serapim intra urbem habere, ſed extra Pomœrium: quod Dio teſtatur lib. 4.

30. *Cinna eſt Cajus.*] Is Cajus Helvius *Cinna* dictus eſt Epigrammatum autor, de quo Ovid. Triſt. 2. dum commemorat Poetas, qui de rebus amatoriis ſcripſerunt.

AD FURIUM ET AURELIUM. Carm. XI.

FURI, & Aureli comites Catulli:
Sive in extremos penetrabit Indos
Longè ubi littus reſonante Eoâ
Tunditur undâ:

INTERPRETATIO.

O *Furi, & Aureli, Catulli ſocii. ſive progredietur* uſque *ad Indos ultimos, ubi ora verberatur fluctu Orientali procul perſonante:*

ANNOTATIONES.

1. *Furi & Aureli.*] *Furium* cognomine Bibaculum Cremonæ natum Quintilianus inter Iambicos ſcriptores numerat. Fuit & alter *Furius*, quem Cato de repetundis accuſavit: utrum autem compellet Poëta, an non uterque idem, non ſatis liquet. *Aurelius* autem iſte fortè eſt L. *Aurelius* Cotta prætor, qui legem promulgarat de reſtituendis judiciis equeſtri ordini.

2. *Indos.*] *Indi* ſunt Aſiæ populi in extremo Oriente poſiti, quorum Regioni *Indus* amnis ingens, qui in mare *Indicum* devolvitur, nomen dedit: Extremos etiam vocat Horat.

Impiger extremos curris mercator ad Indos.

3. *Undâ Eoâ.*] Id eſt, Oceano Orientali; *Eous, a, um*, derivatum à vocabulo Græco ἠώς, quod Auroram ſignificat.

Sive in Hircanos, Arabaſque molleis,
Sive Sacas, ſagittiferoſque Parthos,
Sive quà ſeptemgeminus colorat
Æquora Nilus:
Sive trans altas gradietur Alpeis,
Cæſaris viſens monumenta magni
Gallicum· Rhenum, horribileis, &, ulti-
moſque Britannos:
Omnia hæc, quæcunque feret voluntas
Cælitum, tentare ſimul parati,
Pauca nunciate meæ puellæ
Non bona dicta:
Cum ſuis vivat, valeatque mœchis,
Quos ſimul complexa tenet trecentos,
Nullum amans verè, ſed * *
* *

INTERPRETATIO.

ſive pervadet *ad Hircanos, ſive ad Arabas effœminates; ſive ad Sacas; ſive ad Parthos Sagittiferos; ſive illuc ubi Nilus ſeptemplex inficit mare, ſive ibit ultra excelſas Alpes inviſens Trophæa magni Cæſaris* ſive tranſibit *Rhenum Gallicanum; ſive feros & extremos* Britannos: *vos igitur prompti* mecum *unà adire cuncta iſta* loca *quocumque voluntas Deorum impellet: renunciate amicæ meæ pauca* hæc *verba minimè grata*, ut *vivat & valeat cum ſuis ſcortatoribus, quos pariter trecentos amplexa habet. neminem* ex iis *ſincerè diligens, ſed* * *

ANNOTATIONES.

5. *Sive in Hircanos,*] *Hircania* eſt Aſiæ Majoris Regio, ad mare Caſpium Tygribus nota.

Arabaſque.] *Arabes* Aſiæ pôpuli intra ſinum Perſicum, & Arabicum ad Oceanum Erythræum, ſeu Æthiopicum poſiti. *Arabia* triplex, Petrea, Deſerta, & Felix. Incolæ dicuntur *molles*, vel propter Cœli temperiem, vel quia ſunt effœminati. Tibullus:

Quos tener è terra divite mittit Arabs.

6. *Seu Sacas,*] *Sacæ* ſunt Scythiæ Aſiaticæ populi Jaxarti fluvio vicini, Maſſagetis proximi.

Sagittiferoſque Parthos.] *Parthi* ſunt Aſiæ populi Medis vicini, qui bella quondam ſagittis conficiebant; unde *ſagittiferos* eos vocat Poëta.

8. *Nilus ſeptemgeminus.*] Ægyptum intelligit, quam *Nilus* in ſeptem alveos diviſus pervadit. Unde Virg.

Et diverſa ſonans ſeptem diſcurrit in ora,
Et viridem Ægyptum nigrâ fœcundat arenâ.

9. *Alpeis.*] Montes ſunt altiſſimi quondam imperio Romano ſaluberrimi, qui Galliam, & Germaniam ab Italia dividunt. Dicuntur à Mela, à Genua Liguriæ oppido longo curſu, diremptiſque variis populis in Thraciam uſque penetrare.

10. *Cæſaris magni.*] Ipſe eſt *Cæſar*, cujus multa in Gallia extiterunt Trophæa, & victoriæ partæ.

11. *Gallicum Rhenum.*] *Rhenus* qui Gallos à Germanis dirimit, *Gallicus* dicitur, ad differentiam alterius *Rheni* illius, qui per agrum Bononienſem fluit.

12. *Britannos.*] Incolæ ſunt *Britanniæ*, quæ olim *Albion* dicta fuit, nunc *Anglia*: dicuntur Catullo *horribiles*. vel quia aſperi ſunt & inculti, & hoſpitibus feri; unde Horat.

Viſam Britannos hoſpitibus feros.

Vel quia quondam corpora inficiebant. Dicuntur extremi & *ultimi*, quia ſunt in extremo terrarum termino poſiti.

Nec meum reſpectet, ut ante, amorem:
Qui illius culpâ cecidit, velut prati
Ultimi flos, prætereunte poſtquam
Tractus aratro eſt.

INTERPRETATIO.

Neque cogitet, ſicut prius, amorem meum, qui ejus vitio extinctus eſt, tamquam flos extremi prati, ubi tranſeunte aratro violatus eſt.

ANNOTATIO.

22. *Prati ultimi flos.*] Elegans comparatio, quâ demonſtrat Poëta amorem ſuum extinctum.

AD ASINIUM. Carm. XII.

MARRUCINE Aſini, manu ſiniſtrâ
Non belle uteris in joco, atque vino.
Tollis lintea negligentiorum.
Hoc ſalſum eſſe putas? fugit te inepte,
Quamvis ſordida res, & invenuſta eſt.
Non credis mihi? crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit. eſt enim leporum
Diſertus puer, ac facetiarum.
Quare aut hendecaſyllabos trecentos
Expecta, aut mihi linteum remitte,
Quod me non movet æſtimatione,

INTERPRETATIO.

Aſini Marrucine male uteris lavâ tuâ manu per luſum & vinum; nam *furaris lintea incautiorum.* An *exiſtimas hoc jocoſum eſſe? Neſcis* homo *inſulſe, quam turpis ſit & inurbana res illa. Non mihi fidem habes? Fidem habe Germano* tuo *Pollioni, qui cupiat etiam talento redimi compilationes tuas.* Ille *namq; facundus juvenis gratiarum, ac venuſtatis* plenus *eſt. Itaq; aut expecta à me trecentos Phaleuces, aut redde mihi linteum* meum, *quod me minimè tangit pro pretio* ſuo,

ANNOTATIONES.

1. *Marrucine Aſini.*] *Aſinius* ille, fur linteorum, & *Marrucinus* per contemptum, quaſi ſtolidus dictus frater fuiſſe dicitur illius *Aſini* Pollionis, cujus elegantiam in ſcribendo ita prædicat Quintilianus, ut ei primas poſt Ciceronem eloquentiæ partes tribuere videatur.

9. *Diſertus puer.*] *Pueros* etiam adoleſcentes vocabant, quamdiu viri non erant. Guarinus legit *pater*, id eſt, auctor, inventor facetiarum; quod ſatis placet. Forſan Catullus non ſcripſit, *diſertus*, ſed *diſertus*, quia veteres non geminabant conſonantes, teſte Feſto: unde *diſertus* dicebant pro *diſſertus*. Sic Horatius:

Ferum Appii diſſertum Nautis.

Verum

Verum eſt mnemoſynum mei ſodalis.
Nam ſudaria Setaba ex Hiberis
Miſerunt mihi muneri Fabullus,
Et Veranius; hoc amem neceſſe eſt,
Et Veraniolum meum, & Fabullum.

INTERPRETATIO.

ſed eſt monimentum amoris *ſecii mei. Nam Fabullus, & Veranius dono dederunt mihi ex Iberis hæc lintea Setaba. Oportet* autem, *ut illud charum habeam, quomodo Veranium, & Fabullum meum.*

ANNOTATIONES.

13. *Mnemoſynum.*] Vocabulum Græcum *μνημόσυνον*, Latinè monumentum, pignus, & ſi dici poteſt, memoriale; linteum enim illud datum fuerat Catullo, tanquam amoris pignus.

14. *Sudaria Setaba.*] Urbs eſt citerioris Hiſpaniæ apud Conteſtanos Setabis appellata, in cujus agro linum naſcitur exquiſitum, ex quo conficiuntur lintea pretioſa, quæ *Setaba* vocant, ſeu *Setabina*: eſt & amnis in eadem Regione *Setabis* nomine ſecundum Strabonem, Melam, & Plinium.

Hiberis.] *Iberi* ſunt Hiſpani, ut ſupra vidimus. Lucanus:

Si tibi durus Iber, vel ſi tibi terga dediſſet
Cantaber.

AD FABULLUM. Carm. XIII.

CÆNABIS bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, ſi tibi dij favent, diebus:
Si tecum attuleris bonam, atque magnam
Cœnam, non ſine * *
Et vino, & omnibus cachinnis.
Hæc ſi, inquam, attuleris, venuſte noſter,
Cœnabis bene. nam tui Catulli
Plenus ſacculus eſt aranearum.
Sed contra accipies meros amores:
Seu quid ſuavius, elegantiuſve eſt.
Nam unguentum dabo, quod meæ puellæ

INTERPRETATIO.

Mi Fabulle, ſi te Dii amant, bene cænabis domi mea intra aliquot dies: ſi tecum apportaveris cibos multos & bonos.... nec abſque mero, riſu, & omnibus facetiis. Si iſta, inquam, apportaveris, mi jucunde amice, *bene cænabis* mecum; *nam crumena tui Catulli referta eſt araneis. Tu viciſſim referes à me ſyncerum amorem, aut ſi quid* aliud *eſt jucundius, aut venuſtius; etenim conferam* tibi *unguentum,*

ANNOTATIONES.

8. *Plenus ſacculus eſt aranearum.*] Significat ſibi non ſufficere unde cœnam paret, cum in marſupio nihil ſit præter *Araneas* juxta illud, Afranius apud Feſtum; *tamne arcula tua plena eſt aranearum?*

11. *Unguentum dabo.*] In conviviis veteres uncti diſcumbebant; quod nobis plurimus in locis indicant Horat. & Martialis. Unde Catullus amico promittit *unguentum* fragrantiſſimum tantâ elegantiâ, & venuſtate comparatum, ut olfaciens Deos rogabit, ut ſe totum naſum faciant.

Donarunt Veneres, Cupidineſque:
Quod tu quum olfacies, deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, naſum.

INTERPRETATIO.

quod gratiæ, & amores largiti ſunt amicæ meæ. Quando tu illud odorabicis, precaberis cœlites, ô Fabulle, ut te totum naſum efficiant.

ANNOTATIO.

14. *Totum te faciant naſum.*] Tanta enim olfaciendi voluptate detineberis, ut ſis optaturus totum corpus tuum ad illam conſequendam in *naſum* converti.

AD CALVUM LICINIUM ORATOREM. Carm. XIV.

Ni te plus oculis meis amarem,
Jucundiſſime Calve, munere iſto
Odiſſem te odio Vatiniano.
Nam quid feci ego, quidve ſum locutus,
Quur me tot male perderes poëtis?
Iſti dii mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi miſit impiorum.
Quod ſi, ut ſuſpicor, hoc novum, ac repertum
Munus dat tibi Sulla literator:
Non eſt mi malè, ſed benè, ac beatè,
Quod non diſpereunt tui labores.
Dii magni horribilem, & ſacrum libellum,

INTERPRETATIO.

O *Calve ſuaviſſime, niſi ipſe diligerem te plus oculis meis, teipſum hoc* tuo *dono odiſſem odio Vatiniano. Quid enim ego commiſi? Aut quid dixi, quamobrem me malè profligares tam multis poëtis? Superi multa incommoda inferant* tuo *iſti clienti, qui tibi dedit tot* Carmina *flagitioſa: quod ſi, ut conjicio, Sylla Grammaticus tibi donum iſtud mittit, novum, &* recens *inventum. Non malè* tibi *eſt, mi* amice, *imo verò benè, ac proſperè* ſuccedit, *quod tua opera non perit. Magni Cælites perdant, hunc horrendum, & execrandum librum,*

ANNOTATIONES.

2. *Jucundiſſime calve.*] Fuit ille Cornelius Licinius *Calvus*, (cujus meminit Quintilianus,) inſignis Orator, item & Poëta, qui Saturnaliorum diebus, quo tempore munera ſibi invicem mittere conſuevisſent, Catullo per jocum miſerat multa Carmina obſcurorum quorumdam Poëtarum.

3. *Odio Vatiniano.*] *Odio* quo pop. Romanus proſecutus eſt *Vatinium*, quem omnibus odioſum fuiſſe Ciceronis in eum teſtatur oratio: *Odio enim tui*, inquit, *in quo etſi omnes propter tuum in me ſcelus ſuperare debeo, tamen ab omnibus vincor*, &c. Poteſt & intelligi *odium*, quo *Vatinius* flagrabat in Ciceronem.

9. *Sulla literator.*] *Sulla* Grammaticus; ita vocabantur olim Poëtarum interpretes. Vide Suetonium de Claris Grammaticis, cap 4.

Quem tu ſcilicet ad tuum Catullum
Miſti, continuo ut die periret
Saturnalibus optimo dierum.
Non, non hoc tibi, ſalſe, ſic abibit.
Nam ſi luxerit, ad librariorum
Curram ſcrinia. Cæſios, Aquinos,
Suffenum, omnia colligam venena,
Ac te his ſuppliciis remunerabor.
Vos hinc interea valete, abite
Illuc, unde malum pedem tuliſtis,
Sæcli incommoda, peſſimi poetæ.

INTERPRETATIO.

quem tu videlicet dediſti ad Catullum tuum, ut toto die perderetur ipſis *Saturnalibus dierum auſpicatiſſimo*: non certè, *non hoc tibi ſic erit impunè, ô facete: nam ſimul atque diluxerit, ego percurram omnes tabernas bibliopolarum, & coacervabo Cæſios, Aquinos, Suffenum, & omnes peſtes. teque compenſabo hac pœnâ. Interim vos, ô vates perditiſſimi*, hujus *ætatis exitia; faceſſite hinc, & recedite eò, unde infauſtum pedem experiaſtis.*

ANNOTATIONES.

15. *Optimo dierum.*] *Optimum dierum* dicit Saturnalia, quia his diebus omnes omni curâ, laboribuſque vacui, jocis & luſibus dediti genio indulgebant, & pueri plaudentes clamabant, *Iò Saturnalia, hodie bona Saturnalia*: celebrabantur menſe Decembri quinque, vel, ut aliis placet, ſeptem diebus. Vide Macrobium.

18. *Cæſios, Aquinos.*] *Cæſius Aquinus, & Suffenus* videntur fuiſſe maledici, ac mordaces impudicorum Carminum ſcriptores.

19. *Venena.*] Hoc eſt, mala poëmata peſſimorum Poëtarum.

AD AURELIUM. Carm. XV.

COMMENDO tibi me, ac meos amores,
Aureli, veniam peto pudentem,
Ut ſi quicquam animo tuo cupiſti,
Quod caſtum expeteres, & integellum:
Conſerves puerum mihi pudicè,
Non dico à populo. nihil veremur
Iſtos, qui in plateâ modo huc, modo illuc
In re prætereunt ſuâ occupati:
Verum à te metuo, * *
* * *

INTERPRETATIO.

O *Aureli, ego tibi committo meipſum, & delicias meas* hoc *beneficium verecundum te rogo, ut ſi deſtinaſti mente tuâ quippiam, quod appeteres pudicum & intactum, tuearis mihi caſtè puerum* meum. *Non, inquam, à vulgo; nequaquam metuimus illos, qui detenti negotiis ſuis, nunc eò, nunc illò tranſeunt in viâ publicâ; ſed* huic *timeo à teipſo* * * *

* * * *
* * * *

Hunc unum excipio, ut puto, pudenter,
Quod ſi te mala mens, furorque vecots
In tantam impulerit, ſceleſte, culpam,
Ut noſtrum inſidiis caput laceſſas:
Ah tum te miſerum, malique fati,
Quem attractis pedibus, patente portâ,
Percurrent raphanique, mugileſque.

INTERPRETATIO.

* * * * * * * *hunc ſolum eximo*, & quidem *modeſtè*, *ut opinor. Sin* autem *improbus animus*, *& amor inſanus incitaverit* te, ô *ſcelerate; ad tantum crimen, ut impetas vitam meam fallaciis* tuis: *tunc vero*, ô *te infelicem*, *& ſortis infauſta! quem penetrabunt Raphani & Mugiles, pedibus adductis, & apertâ januâ.*

ANNOTATIONES.

18. *Patente portâ.*] Ut pertranſeuntes videte poſſint in majus Aurelii dedecus ſupplicium, quod ipſi minatur Catullus.

19. *Raphanique, mugileſque.*] Hic erat mos ab Athenienſibus inſtitutus, ut quos in adulterio deptehendiſſent, aliâve ſimili turpitudine; eorum in anum *raphanos*, aut *mugiles* marinos piſces magno cum cruciatu per vim immitterent. Unde & Juvenal.

—quoſdam mœchos & mugilis intrat.

AD AURELIUM ET FURIUM. Carm. XVI,

* * * *

Aureli pathice, & cinæde Furi:
Qui me ex verſiculis meis putatis,
Quod ſint molliculi, parum pudicum,
Nam caſtum eſſe decet pium poëtam,
Ipſum. verſiculos nihil neceſſe eſt:
Qui tum denique habent ſalem, ac leporem;

INTERPRETATIO.

* * * * *tu Aureli, & tu Furi me minus caſtum æſtimatis ex verſibus meis, quod ſint paulo ſolutiores. Par eſt* quidem *ſanctum Poëtam ipſum* per ſe *pudicum eſſe*, ſed *non eſt opus* ipſius *verſus* perinde caſtos eſſe, *qui tunc maximè condimentum habent, & venuſtatem, cum laſcivi ſunt*,

ANNOTATIONES.

5. *Caſtum poëtam.*] *Poëtas* decet eſſe viros probos, etſi verſus eorum ſunt laſciviores. Unde Martial.

Laſciva eſt nobis pagina, vita proba.

Et Ovid.

Crede mihi diſtant mores à Carmine noſtri,
Vita verecunda eſt. Muſa jocoſa mihi.

Notum etiam illud:

Laſcivus verſu, mente pudicus erat.

7. *Habent ſalem, ac leporem.*] Corruptos mores oſtendit hominum, quibus non placerent verſus, niſi eſſent *molliculi, & parum pudici*; quod etiam teſtatur Martial. l. 1. Epigr. 36. ad Cornel,

Lex hac Carminibus data eſt jocoſis
Ne poſſint, niſi pruriant juvare.
Quare depoſitâ ſeveritate,
Parcas luſibus, & jocis, rogamus,
Nec caſtrare velis meos libellos,

Si ſunt molliculi, ac purùm pudici,
*　*　*　*　*
*　*　*　*　*
*　*　*　*　*
Vos, quod millia multa baſiorum
Legiſtis, male me marem putatis:
Siqua forte mearum ineptiarum
Lectores eritis, manuſque voſtras
Non horrebitis admovere nobis;
*　*　*　*

INTERPRETATIO.

& obſcœni, * * * * * * * * * * *Vos verò exiſtimatis me minus virum* eſſe, *quia legiſtis plura millia oſculorum: ſi igitur aliquando legetis luſus meos, & non metuetis adhibere manus veſtras ſcriptis meis.* * * *

ANNOTATIO.

14. *Lectores ineptiarum.*] Carmina ſua vocat *ineptias*, ut anteà dixit *nugas*. *Ineptiæ* verò maximè ſunt in obſcœnis; ut jam ſuprà Carm. 6.

Ni tu quid facias ineptiarum?

AD COLONIAM. Carm. XVII.

O colonia, quæ cupis ponte ludere longo,
Et ſalire paratum habes: ſed vereris inepta
Crura ponticuli adſulitantis, inredivivus
Ne ſupinus eat, cavâque in palude recumbat:
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo vel Saliſubſuli ſacra ſuſcipiantur:

INTERPRETATIO.

O Colonia, quæ in longo ponte tuo *luſitare optas, & ſaltare præſto es: ſed times tremuli pontis ſublicas minus firmas, ne irreparabilis præceps ruat, & in profundo lacu ſubſidat. Ita tibi pons validus fiat ex tua ſententia, in quo etiam Saliſubſuli cærimoniæ perficiantur:*

ANNOTATIONES.

1. *O colonia.*] Quænam hæc *colonia* ſit, non ſatis liquet; Scaligero dubium non eſt quin ſit novum Comum, quod anteà Comum appellatum. Eò poſteà deductis à Julio Cæſare quinque Colonorum millibus, novum Comum appellatum eſt, *Colonia* ad lacum Larium ſita.

3. *Crura ponticuli.*] Columnas ligneas, ſeu ſublicas *pontis*: id eſt, times ne *pons* totus ita corruat, ut non poſſit ampliùs inſtaurari,

6. *Vel Saliſubſuli ſacra ſuſcipiantur.*] Senſus eſt: ita bonus & validus fiat pons iſte tuus, ut in eo etiam ſacra Martis perfici poſſint. Mars enim veteribus Latinis dictus eſt *Saliſubſulus*. Ut apud Pacuvium: *Pro imperio ſic Saliſubſulus voſtro excubet.* *Sacra* autem Martis ita celebrabantur, ut Ancilia à Saliis ejuſdem Dei Sacerdotibus per urbem magnis tripudiis & ſaltationibus portarentur. *Ancilia* porrò ſcuta illa erant, quæ in Templo Martis ſervabantur, & quæ

Munus hoc mihi maximi da, colonia, riſus.
Quendam municipem meum de tuo volo ponte
Ire præcipitem in lutum per caputque, pedeſque.
Verùm totius ut lacus putidæque paludis
Lividiſſima, maximeque eſt profunda vorago.
Inſulſiſſimus eſt homo, nec ſapit pueri inſtar
Bimuli, tremulâ patris dormientis in ulnâ.
Quoi quum ſit viridiſſimo nupta flore puella,
Ut puella tenellulo delicatior hœdo,
Aſſervanda nigerrimis diligentiùs uvis:
Ludere hanc ſinit, ut lubet, nec pili facit uni,
* * * ſed velut alnus
In foſsâ liguri jacet ſeparata ſecuri,

INTERPRETATIO.

Tribue mihi hoc beneficium, ô Colonia, maximi joci. Cupio quempiam civem meum tranſverſum agi per caput, & pedes de tuo ponte in cœnum; ſed eâ parte, quâ ſordidiſſimum, & maximè altum eſt baratrum totius ſtagni, & paludis lutulenta. Is eſt homo ſtolidiſſimus, neque tam ſapit, quam infans duorum annorum quieſcens in brachiis trementibus genitoris. Cui quamvis nupſerit adoleſcentula vigentiſſimo ætatis *flore, qua molliculo hœdo tenerior ſtudioſiùs* eſt *tuenda racemis nigerrimis; ipſam jocari patitur, ut placet, nec ipſam æſtimat unius pili * * * at deſidet tanquam alnus in foveâ liguſticâ bipenni ſucciſa.*

ANNOTATIONES.

quando bellum erat gerendum Conſul movebat dicens, *Mars vigila.* Alii cum Scaligero legunt, *ſuſcipiunto*, voluntque ut *Sali-ſubſuli* dicantur etiam Salii Sacerdotes; ſed hoc nullius ſatis idonei teſtis firmatum reperio, ſolaque pro hâc ſententiâ auctoritas affertur Catulli, quam nunc explicamus, quæque Scaligero non favet. *Salii* porrò dicti ſunt omnes Ludii & ſaltatores, qui ad cantum & tibiam in ſacris ludebant. Hinc illi apud Virgil. lib. 8. qui ad ſacra Herculis ſaltabant, Salii dicti:

Tum Salii ad cantus incenſa altaria [*circum*
Populeis adſunt evincti tempora ramis.

Præcipuè verò *Salii* appellantur Sacerdotes Martis à Numâ Pompilio inſtituti, quibus mos eſſet in portandis Ancilibus ſaltare. Vide Livium, & Dionyſ. Halicarnaſſ.

8. *Municipem.*] Idem eſt, ac ſi *Veronenſem* diceret. *Municeps* enim *meus* is eſt, qui ex eodem eſt quo ego ſum *municipio.* Qui verò ſint *Municipes* declarant Feſtus in vocabulo illo *Municeps*, & Aul. Gell. lib. 16.

13. *Bimuli.*] Per formam diminutivam, quâ multum delectatur poëta, ſumiturque hic *Bimulus*, pro *Bimus*, id eſt, duorum annorum.

16. *Nigerrimis uvis.*] Maturiſſimis, quæ nempè tunc maximè ſunt à Furibus cuſtodiendæ, quæque aliunde magno ſunt in aëris diſcrimine. Virgil.

Maturiſque nimis metuendus Juppiter uvis.

19. *Liguri.*] Mirum eſt quantum hic locus torqueat interpretes. Alii volunt hâc voce *Liguri* intelligi foſſam aliquam in regione Liguſticâ. Alii dicunt nomen eſſe proprium alicujus foſſæ in agro Veronenſi Catullo cognitæ, nobis ignotæ. Alii volunt hîc ideò dici Liguri ſecuri quod optimæ fierent *ſecures* in *Liguriâ*. Ego quidem putem legendum eſſe *Liguri ſecuri*, quòd nempè Ligures ad Appeninum ſiti ligna cædendi peritiâ præſtarent, lignariæque negotiationi in primis ſtuderent. Ut facilè intelligitur ex verbis Julii Capitolini in pertinace cap. 1.

Separata.] Id eſt, *exciſa, caſa*, Com-

Tantundem 'omnia ſentiens, quam ſi nulla ſit uſquam:
Talis iſte meus ſtupor nil videt, nihil audit.
Ipſe qui ſit; utrum ſit, an non ſit, id quoque neſcit.
Nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum,
Si pote ſtolidum repente excitare veternum,
Et ſupinum animum in gravi derelinquere cœno,
Ferream ut ſoleam tenaci in voragine mula.

INTERPRETATIO.

Perinde cuncta percipiens, quaſi illa non ſit uſpiam; ejuſmodi eſt meus iſte ſtupidus, nec quicquam cernit, nec audit; ignorat etiam quis ſit ipſe, an ipſe ſit omnino, nec-ne. Jam ipſum opto præcipitem agere de tuo ponte, ſi fortè *poteſt ſubitò excitare ineptam ſegnitiem, & mentem deſidem in fœtido luto relinquere, quemadmodum mula ſoleam ferream in gurgite uliginoſo* ſolet relinquere.

ANNOTATIONES.

munem ſequimur lectionem antiquoſque codices, quidquid vociferetur Scaliger, qui vult legi *ſuppernata*. Quod tamen non damnamus, ſed metri rationem ſervamus, nec inanes metaphoras affectamur. Suſpicio porrò vehemens injicitur ex fragmentis Feſti, quæ ſuperſunt, codices antiquiſſimos habuiſſe, *ſubpernatâ*; quod idem eſt ac exciſa, & ſucciſa. *Subpernare* enim eſt *poplites ſuccidere*, & ut ita dicam, *ſuffraginare*, Græcis *ἀ͗ξυλοκοπεῖν*, & *ἐ͗ξτευρίζειν*, Gallicè *ejarreter*.

21. *Meus ſtupor.*] Id eſt, *ſtupidus*. Vitium ponitur pro vitioſo cum inſigniter ac ſummè vitioſus ſignificatur. Ut cum dicitur de perdito cive, quod ſit pernicies & peſtis Reip, aut patriæ. Sic apud Terent, *Ubi illic eſt ſcelus qui me perdidit;* Id eſt, ille homo ſceleratus. Ut cum de inſulſo & fatuo apud eumdem Terent, in Heautontimor,

— In me quidvis harum rerum convenit,
Quæ ſunt dicta in ſtultum; caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus.

24. *Veternum.*] Lethargus; Cornelio Celſo *eſt inexpugnabilis dormiendi neceſſitas*; licet multi dicant hâc voce hydropem tantum ſignificari. Celſo conſentit Virgil.

Nec ſua regna, gravi paſſus torpere veterno.

Plinius lib. 8. *Primis diebus ſeptenis, tam gravi ſomno premuntur, ut ne vulneribus quidem excitari queant; tunc mirum in modum veterno pingueſcunt.*

* AD HORTORUM DEUM. Carm. XVIII.

Hunc lucum tibi dedico, conſecroque Priape,
Qua domus tua Lampſaci eſt, quaque ſilva Priape.
Nam te præcipue in ſuis viribus colit ora
Helleſpontia, cæteris oſtreoſior oris.

INTERPRETATIO.

O *Priape*, *dico tibi*, *& addico hunc lucum*, ſive teneat *te domus tua*, *qua Lampſaci* eſt, ſeu *ſilva*, *qua* illic eſt tibi dicata. *Veneratur enim te in primis regio Helleſpontiaca in ſuis oppidis*, quæ *oſtreoſior* eſt *reliquis littoribus* maris.

ANNOTATIONES.

* Hocce, & quæ duo ſequuntur Epigrammata in *Priapum hortorum Deum* compoſita, inter Virgilii Catalecta reperiuntur, Catullo tamen tribuuntur ab eruditis viris, tum propter ſtyli affinitatem, tum quod Terentianus Maurus ipſum tali Carmine in Priapum luſiſſe ſcribat. Hæc igitur, ut quaſi poſtliminio ad auctorem redeant ſuum, adſcripſimus.

1. *Priape.*] *Priapus* Liberi patris, & Veneris filius, ab antiquis hortorum Deus, & cuſtos habitus Lampſaci ad Helleſpontum Troadis in urbe non ignobili natus eſt. *Priapus* etiam Straboni, & Plinio urbs eſt ad Helleſpontum, a *Priapo* Deo ſic dicta, in quâ & coli cœptus eſt. *Priapum* porro Deorum antiquiſſimum eſſe, eumdemque cum ſole & Baccho ſcripſit Orpheus.

2. *Qua Lampſaci eſt.*] *Lampſacus* urbs eſt Aſiæ minoris ad Helleſpontum inter Granicum, & Simoentem fluvios, in quâ Priapus natus eſt, & exquiſitiſſimis honoribus colebatur.

Quaque ſilva.] Per *ſilvam* intelligit vineta uberrima, quæ in Lampſacenâ, & Parianâ regione ſunt.

4. *Helleſpontia ora.*] Regiones ad *Helleſpontum* pertinentes præ cæteris Diis Priapum præcipuè colebant, ut pote quæ hortis amæniſſimis, & vinetis uberrimis abundarent.

HORTORUM DEUS. Carm. XIX.

Hunc ego juvenes locum, villulamque paluſtrem,
Tectam vimine junceo, cariciſque maniplis,
Quercus arida, ruſticâ conformata ſecuri

INTERPRETATIO.

O *pueri*, *ego* Priapus, cum ſim *Quercus ſicca*, *fabricata aſciâ ruſticanâ*, *hunc agrum & hanc villam paludoſam cooperſam virgultis junceis*, *& caricis faſciculis*,

ANNOTATIONES.

1. *Hunc ego.*] Agris non modo credebatur Priapus afferre fœcunditatem, in quibus ſtatueretur, & coleretur, verùm & fures arcere putabatur; hoc itaque ſe præſtare debere prædicat, quod nimirum ab agelli domino aſſiduè, ac religiosè colatur; monet inſuper pueros, ne quid ex iſto furentur agro, cujus nempe dominus pauper eſt, & ipſe diligens cuſtos, agrumque vicinum indicat, ex quo commodius longè aliquid rapere queant, cum hujus dominus ſit dives, & negligentior Priapus.

3. *Quercus arida*] Priapus, ſeu Priapi ſtatua ex arboris trunco fiebat, falcem manu tenens, qua & fures arcere, & aves abigere crederetur. Hunc ita deſcribit Horat. lib. 1. Sat. 8.

Nutrivi:

Nutrivi : magis , & magis , ut beata quotannis.
Hujus nam Domini colunt me , Deumque ſalutant ,
*Pauperis tugurii Pater , filiuſque **
Alter aſſiduâ colens diligentiâ , ut herba
Dumoſa , aſperaque à meo ſit remota ſacello :
Alter parva ferens manu ſemper munera largâ.
Florido mihi ponitur picta vere corolla
Primitu , & tenerâ virens ſpica mollis ariſtâ :
Lutea viola mihi , luteumque papaver ,
Pallenteſque cucurbita , & ſuave olentia mala ;
Uva pampineâ rubens educata ſub umbrâ.
Sanguine hanc etiam mihi (ſed tacebitis) aram
Barbatus linit hirculus , cornipeſque capella ,
Pro queis omnia honoribus hæc neceſſe Priapo
Praſtare , & Domini hortulum , vineamque tueri.
Quare hinc , ô pueri malas abſtinete rapinas.

INTERPRETATIO.

ſic *ſevi , ut ſingulis annis magis ac magis fertilis ſit. Iſtius enim* villæ *heri , tenuis* ſcilicet *caſa* habitatores *paterfamilias , &* ejus *filius me venerantur , & habent* me *Deum* ſuum ; horum *alter continuâ ſedulitate faciens , ut herba ſpinoſa , & horrida ab æde meâ abſit , alter* verò *perpetuò mihi offerens dona manu liberali : primo* quidem *florente vere datur mihi parva corona verſicolor , &* ſertum *ex ſpicis teneris , &* adhuc *virentibus ariſtis.* Adduntur etiam *croceæ violæ , & papavera purpurea , & cucurbita pallida , & poma fragrantia , racemus* quoque *maturus in umbrâ pampineâ nutritus. Præterea caper barbiger , & capra corneis pedibus imbuunt mihi iſtud altare ; ſed* hoc *ſilebitis ; propter quæ munera convenit* mihi *Priapo facere iſta omnia , ac cuſtodire hortum vinetumque heri. Quapropter , ô juvenes , removete* hinc *mala* veſtra *furta.*

ANNOTATIONES.

Olim truncus eram ficulnus , inutile lignum :
Cum faber incertus ſcamnum faceretne Priapum ;
Maluit eſſe Deum. Deus inde ego furum aviumque
Maxima formido : nam fures dextra coercet , &c.

4. *Magis , & magis.*] Ita ut aſſiduè poſterior annus ſuperiorem fertilitate vincat.

10. *Florido mihi.*] Demonſtrat hîc poëta florum Corollas ex ſpicis , & ex uvis ſerta offerri Priapo conſueviſſe.

11. *Primitu.*] Hic pro *primò* , & adverbialiter ponitur , ut apud Plautum *ſimitu* , pro *ſimul* ; qui vero , *primitiæ* , pro *primitu* repoſuerunt , verſum corruperunt.

15. *Sed tacebitis.*] Habebant antiqui Deos majorum , & minorum gentium. Hos poſteriores *Semones* , quaſi *ſemihomines* vocabant ; quos nec dignos Cœlo adſcriberent ob meriti paupertatem , ut ſunt Priapus, Hippôna, Vertumnus ; quos veteri religione non victimis , aut hoſtiis , ſed lacte dumtaxat , libo , & frugibus in patellâ appoſitis placare ſolebant. Hinc Virg. Eclog. 7.

Sinum lactis , & hæc tibi liba , Priape, quotannis
Expectare ſat eſt.

Eamdem ob cauſam hoc loco Priapus cautè ſileri jubet , quod villicus ipſi interdum hircum , aut capellam faceret , ne hunc extraordinarium honorem , & inſolitum cultum , alii Dii inviderent.

Vicinus propè dives eſt, negligenſque Priapus.
Inde ſumite; ſemita hæc deinde vos feret ipſa.

INTERPRETATIO.

Proximus hortus *eſt abundans*. & ejus cuſtos *Priapus incurioſus.* *Exinde rapite; hæc iſta via* in ipſum *vos ducet.*

HORTORUM DEUS. Carm. XX.

Ego hæc, ego arte fabricata ruſticâ,
Ego arida, ô viator, ecce populus
Agellulum hunc, ſiniſtrâ, tuſe quem vides,
Heriqne villulam, hortulumque pauperis
Tuor, malaſque furis arceo manus.
Mihi corolla picta Vere ponitur:
Mihi rubens ariſta Sole fervido:
Mihi virente dulcis uva pampino:
Mihique glauca duro oliva frigore,
Meis capella delicata paſcuis
In urbem adulta lacte portat ubera:
Meiſque pinguis agnus ex ovilibus
Gravem domum remittit ære dexteram;
Tenerque, matre mugiente, vaccula
Deûm profundit ante templa ſanguinem.
Proin' viator hunc Deum vereberis,
Manumque ſorſum habebis. hoc tibi expedit.

INTERPRETATIO.

Ego ipſamet, *ô viator*, *en ego ſicca farfarus conformata rudi manu cuſtodio iſtum agellum exiguum*, *quem tu cernis à læva* parte, & ſimul *prædiolum*. & *hortum parvum tenuis domini*, indeque *repello rapaces manus prædonis. Mihi datur verno tempore corona multicolor*; æſtate vero, & *fervente Sole* imponitur mihi ſertum *ex ſpicis maturis.* Autumno, *frondente palmite*, datur *mihi racemus ſuavis*; hyeme, *rigente algore*, *mihi* dantur *virides olea*. Ideo *capræ molles pabulis meis paſtæ referunt in oppidum ubera lacte diſtenta*, & *agnus obeſus*, & delicatus *ex oviariis meis remittit domum pecuniâ plenam manum* domini; & *tenera vitula parente* ipſius fruſtrà *boante*. *effundit ſuum cruorem ad aras Deorum*. *Proindeque*, *ô hoſpes*, *metues memetipſum Deum*. & *manus* tuas *hinc removebis*. *Iſtud* autem *tibi convenit* facere.

ANNOTATIONES.

3. *Siniſtrâ.*] Id eſt, è regione agelluli ad lævam poſitâ.

5. *Tuor.*] Antiquitùs dicebatur pro, *tueor.*

9. *Glauca.*] Alii legunt *cocta.* ſed melius, *glauca*, id eſt, viridis.

13. *Gravem domum.*] Ita ferè Virg.

Nonnunquam gravis Ære domum mihi dextra redibat.

14. *Tenerque.*] Pro *tenera*, quod nemo mirabitur, qui meminerit unum ovem, non unam aliquando veteres protuliſſe: deinde etiam nomina in, *er*, deſinentia veteribus paſſim communia fuerunt; ut *pauper*, *celer*, *uber*, &c. Nevius de bello Punico.

Fames acer augeſcit hoſtibus.

17. *Sorſum habebis.*] Hoc eſt, ſeorſum habebis, & continebis, ne quid præripias: alii tamen legunt, *ſurſum*, quia putant fures habere manus in ſinu demiſſas conſueviſſe.

Parata namque crux, * *
Velim pol, inquis: at pol ecce, villicus
Venit: valente cui revulſa brachio
Fit iſta * *apta clava dextera.*

Interpretatio.

Etenim pœna tibi præparata eſt * * *Cupio certè, ais, hanc pœnam; ſed certè venit colonus villæ dominus, cujus dextera apta eſt hæc clava robuſto brachio revulſa.*

Annotatio.

19. *Pol.*] Particula affirmans, hoc eſt, per Pollucem, cujus repetitio elegans eſt, & joco, & irriſioni conveniens.

AD AURELIUM. Carm. XXI.

Aureli pater eſuritionum,
Non harum modo, ſed quot aut fuerunt,
Aut ſunt, aut aliis erunt in annis:
* * * * *
Nec clam: nam ſimul exjocaris unà
Hærens ad latus, omnia experiris.
Fruſtrà. nam inſidias mihi inſtruentem
Tangam te * *
Atqui ſi id faceres ſatur, tacerem.
Nunc ipſum id doleo, quod eſurire
Ah me me puer, & ſitire diſcet.

Interpretatio.

O *Aureli, parens eſuritionum, non tantum iſtarum, ſed omnium, quæcumque vel exſtiterunt, vel exiſtunt, vel exiſtent in annis reliquis* * * *nec occultè; nam* cum puero *pariter exjocaris, affixus ad latus nihil non tentas nequicquam. Tendiculas enim mihi parantem te pungam prior* * * * * *Sed enim ſi hoc ſatiatus ageres; ſilerem. Jam verò id ægrè fero, quod puer meus, heu me! diſcet eſurire, ac ſitire:*

Annotationes.

1. *Pater eſuritionum.*] Cœnæ patrem vocabant eum qui convivio excipiebat. Horat.

Imprimis Lucanus aper leni fuit Auſtro
Captus, ut aiebat Cœnæ pater.

Quem etiam Cicero *dominum epuli* vocat; Nonius & *dominum convivii*, & *dominum* ſine additione ullâ vocari ſolitum admonet. Porrò, eſuritio idem ac eſuries, ut alibi Catullus poſuit, *ſole, & frigore, & eſuritione:* hoc loco tamen pro parvâ cœnulâ videtur uſurpari, quo ſenſu etiam Martialis ad Turanium.

Si triſti domicœnio laboras,
Turani; potes eſurire mecum.

Id eſt, *parce cœnare.*

5. *Nam ſimul exjocaris.*] *Exjocari* Scaligero eſt a ludo ceſſare, legitque, *experibis* antiquè dictum, ut in manuſcriptis, ut is ſit ſenſus; poſtquam ludo laſſus modum feceris, alia experière. Simplicius videtur explicari poſſe, *exjocaris unà ſimul*, ludis cum puero, & omni ſtudio ejus pudicitiam tentas: alii contra fidem antiquorum codicum, pro *exjocaris*, legunt, & *jocaris*.

11. *Ah me me.*] Ductum à Græco, οἴ μοι μοι, & οἴ μοι μοι, dicitur & *ve me me*. Ut Catullus ipſe infrà ad Manlium:

Quare deſine, dum licet pudico:

* * * *

INTERPRETATIO.

itaque abſiſte dum conceditur tibi intacto * * *

ANNOTATIO.

Qua, ve te, miſero letum miſerabile fratri
Attulit —— & infrà. *Ah me! an illa puella.*
Sic & Seneca in Apocolocyntoſi, *ve me.*

12. *Dum licet pudico.*] Veteres vocabant *impudices*, qui ſui corporis aliquâ parte libidinem alienam excepiſſent, *pudicos* verò, qui nihil tale eſſent perpeſſi.

AD VARRUM. Carm. XXII.

SUFFENUS iſte, Varre, quem probe nôſti,
Homo eſt venuſtus, & dicax, & urbanus,
Idemque longè plurimos facit verſus.
Puto eſſe ego illi millia aut decem, aut plura
Perſcripta: nec ſic, ut fit, in palimpſeſto
Relata. chartæ regiæ, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, & pumice omnia æquata.
Hæc quum legas, tum bellus ille, & urbanus
Suffenus, unus caprimulgus, aut foſſor
Rurſus videtur: tantum abhorret, ac mutat.

INTERPRETATIO.

O Varre, Suffenus iſte, quem bene noſti, lepidus homo eſt, facetus, & feſtivus; idem ipſe multo numeroſiſſima carmina componit: ego ſuſpicor eum habere exarata decem millia verſuum, *aut etiam plura. Neque ea perſcripta ſunt, ſicut uſu venit, in chartâ deletitiâ. Papyri* ſunt *regales, novi codices, novi umbilici, corrigia rubea, membrana plumbo directa, & cuncta pumice complanata. Cum recitas hæc ſcripta, tunc ille ipſe Suffenus elegans ac venuſtus, contra tibi videtur eſſe caprarius aliquis aut* agri *foſſor. adeò diſſimilis ac diverſus* à ſe ipſo *eſt.*

ANNOTATIONES.

6 *Charta regia.*] *Regia* pro regalibus dictæ, & regali ſumptu comparatæ; opponuntur enim plebeiis; quo ſenſu dicuntur *Hieratica, & Auguſta. Palimpſeſtes* autem charta eſt vilior, ex qua aliquid deletum eſt, ut aliud denuò ſcriberetur.

7. *Novi umbilici.*] *Umbilicus* uſurpari ſolet pro fine; antiqui enim librorum finem ſignis quibuſdam concludebant. Martialis: *Jam pervenimus ad umbilicum.* ut & cæteri poëtæ paſſim ſic ſumunt; *umbilici* tamen uſurpantur aliquando pro claviculis quibuſdam, aut cæteris ejuſmodi ornamentis, quæ voluminibus jam abſolutis addebantur.

Membrana.] *Membrana*, vel, ut aliis placet, *Membrana* genere neutro, pelles ſunt, quibus infectis libri tegerentur, harum uſus Pergami regnante Eumene inventus. Unde dictæ ſunt *pergamena*, quod nomen ad hanc uſque diem ſervatum eſt.

8. *Directa plumbo.*] *Plumbum* illud, tenuis è plumbo lamina fuit in rotundum formata; Latinis *praductale* dicta à prædecendis litteris.

10. *Caprimulgus.*] Avis nomen eſt apud Ariſtotelem, de qua item Plinius lib. 10. cap. 4 hic ruſticum ſignificat capras mulgentem.

11. *Abhorret ac mutat.*] Alii legunt, *nutat*, contra manuſcriptorum fidem: ſed, *mutat*, neutrum eſt pro paſſivo, quod poëtis non eſt inſolens.

Hoc quid putemus eſſe ? qui modo ſcurra,
Aut ſi quid hâc re tritius videbatur,
Idem inficeto eſt inficetior rure:
Simul poëmata attigit : neque idem unquam
Æquè eſt beatus, ac poëma quum ſcribit.
Tam gaudet in ſe, tamque ſeipſe miratur.
Nimirum idem omnes fallimur. neque eſt quiſquam,
Quem non in aliquâ re videre Suffenum
Poſſis. Suus quoique adtributus eſt error.
Sed non videmus, manticæ quid in tergo eſt.

INTERPRETATIO.

Quidnam exiſtimemus id eſſe ? Ille, qui modo ſcurra, aut ſi quid videbatur eſſe exercitatius ; idem ipſe ineptior eſt ſtolidiſſimo quovis *ruſtico, ſtatim atque verſus attigit : neque umquam ſibi ipſe videtur eſſe perinde felix, ut quando verſus componit : adeo ſibi placet, & admiratur ſeipſe. Nempe cuncti ob idipſum decipimur. Nemo eſt quem non in re aliqua queas Suffenum advertere ; ſua cuique vitia aſſignata ſunt ; ſed non reſpicimus quid manticæ in tergo eſt.*

ANNOTATIONES.

14. *Inficetior rure.*] *Rus* hoc loco ſumptum, pro ruſtico ; ut ſcelus, pro ſceleſto ; alibi ſumitur pro *ruſticitate, pleni ruris & inficetiarum.*

19. *Videre Suffenum.*] *Suffenum* hîc vocat quemlibet ſua ineptè mirantem, nec propria vitia cognoſcentem.

21. *Mantica quid in tergo eſt*] Alludit ad Æſopi Fabulam, quæ tradit homines duas *manticas* habere, unam antè, alteram retrò ; in priorem aliena vitia mitti, in poſteriorem noſtra, quæ abſcondimus, & videre negligimus ; aliena verò ſemper ob oculos habemus.

AD FURIUM. XXIII.

FURI, quoi neque ſervus eſt, neque arca,
Nec cimex, neque araneus, neque ignis :
Verum eſt & pater, & noverca, quorum
Dentes vel ſilicem comeſſe poſſunt :

INTERPRETATIO.

O *Furi, qui nec famulum habes, nec capſam, nec cimicem, nec araneum, nec focum ; ſed habes & patrem & novercam ; quorum dentes poſſent etiã ſilicem comedere ;*

ANNOTATIONES.

1. *Furi,*] Iratus *Furio* Piſaurenſi, quod is Juventio puero, quem diligebat, ſtuprum obtuliſſet, paupertatem illius ſalſiſſimo jucundiſſimoque verſu inſectatur ; eumque contrà pauperiem multis commodis inſtructum eſſe facetè contendit. *Arcam* porrò non habere, nec *ſervum* apud Antiquos paupertatis erat ſignum.

2. *Nec cimex, neque araneus.*] Id eſt, *neque lectus, neque domus.* Contentum pro continenti. Sic fere Martial. lib. 10.

Nec toga nec focus eſt, nec tritus pumice lectus ;
Nec tibi de bibulâ ſarta palude teges,

Nec ignis.] Summam deſcribit paupertatem Poëta : quippe Tibullus cum paupertatem à ſe non deprecetur, hoc tamen excipit, ut ſibi focus perpetuo *igne* luceat : ait enim, lib. 1. Eleg. 1, verſ. 5.

Me mea paupertas vita traducat inerti,
Dum meus aſſiduo luceat igne focus,

Eſt pulchrè tibi cum tuo parente,
Et cum conjuge ligneâ parentis.
Nec mirum. benè nam valetis omnes,
Pulchrè concoquitis, nihil timetis,
Non incendia, non graveis ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non caſus alios periculorum.
Atqui corpora ſicciora cornu,
Aut ſi quid magis aridum eſt, habetis,
Sole, & frigore, & eſuritione:
Quare non tibi ſit benè, ac beatè?
A te ſudor abeſt, abeſt ſaliva,
Mucuſque, & mala pituita naſi.
Hanc ad munditiem adde mundiorem,
Quod culus tibi purior ſalillo eſt,
Nec toto decies cacas in anno;
Atque id durius eſt fabâ, & lapillis:
Quod tu ſi manibus teras, fricesſque,
Non unquam digitum inquinare poſſis.
Hæc tu commoda tam beata, Furi,
Noli ſpernere, nec putare parvi.

INTERPRETATIO.

bene tibi eſt cum patre tuo, & cum patris uxore ligneâ; idque mirum non eſt: nam omnes *ſano corpore eſtis; bene digeritis* cibum; *nihil formidatis, nec deflagrationem, nec graves ruinas, nec improba facinora, nec fraudes veneni, nec alios diſcriminum caſus. Habetis certè corpora aridiora cornu ipſo, aut ſi quid ſiccius eſt, ab aſtu, algore, & fame. Cur non bene haberes ac beatus eſſes?* Nam *abeſt à te ſudor, abeſt ſputum, abeſt mucus, & moleſta naſi pituita. Ad hanc munditiem adjunge puriorem, quod tibi culus ſalino mundior eſt, nec alvum exoneras decem vicibus per totum annum; idque durius eſt fabis & ſilicibus: quod ſi comprimas manibus, & perfrices,* non tamen *queas inficere digitos* tuos: *noli* igitur, *ô Furi, contemnere, aut parvi facere hæc bona tam utilia.*

ANNOTATIONES.

6. *Conjuge ligneâ.*] *Ligneam* dicit tenuem, Græcos imitatus, apud quos graciles, & macilenti ξύλινοι vocantur: hinc illud Alexidis comici, Ἀκροκώλιον, τὸ δ' ἄλλο σῶμα ἀπόξυλον. Lucretius quoque puellam arido corpore & & exſucco *ligneam* vocat propter maciem, & nimiam corporis ſiccitatem:

Nervoſa & lignea Dorcas.

8. *Nihil timetis.*] Quia nihil habetis, quod amittere poſſitis. Horat.

At vigilare metu exanimem noctesque dieſque
Formidare malos fures, incendia, ſervos,
Ne te compilent, &c.

19. *Purior Salillo.*] *Salillum*, vel *Salinum* vas in quo *ſal* ſervatur: *ſali* autem veteres ſummam puritatem tribuebant. Ovid.

Far erat, & puri lucida mica ſalis.

Horat.

Purum & ſine labe ſalinum.

24. *Hæc commoda.*] Quæ hic enumeravit jocosè Catullus *commoda*, magna revera ſunt incommoda.

Et ſeſtertia, quæ ſoles precari,
Centum, deſine. Nam ſat es beatus.

INTERPRETATIO.

Et deſine Deos orare centum ſeſtertia, quæ ſoles petere, nam ſatis fortunatus es.

ANNOTATIO.

26. *Seſtertia centum.*] *Seſtertium* in neutro genere, mille *ſeſtertios* ſignificat: *ſeſtertius* autem dictus eſt, quaſi *ſeſquitertius*: valebat enim duobus aſſibus æris & ſemiſſe, idemque erat quod nummus, etiamſi utrumque nonnunquam conjungatur. Centum igitur *ſeſtertia* ſunt centena millia *ſeſtertiorum*, quorum ſinguli ad Gallicæ pecuniæ æſtimationem redacti valent duodecim denariolos Turonicos & ſemiſſem.

AD JUVENTIUM PUERUM. Carm. XXIV.

O qui floſculus es Juventiorum,
Non horum modo, ſed quot aut fuerunt,
Aut poſthac aliis erunt in annis:
Mallem divitias mihi dediſſes
Iſti, quoi neque ſervus eſt, neque arca:
Quam ſic te ſineres ab illo amari.
Qui? non eſt homo bellus, inquies? eſt:
Sed bello huic neque ſervus eſt, neque arca.
Hæc tu quam lubet abjice, elevaque:
Nec ſervum tamen ille habet, neque arcam.

INTERPRETATIO.

O qui flos es Juventiorum, non tantum horum, ſed eorum etiam, qui vel fuerunt, vel erunt poſteà ſeculis venturis: ego mallem, ut largitus eſſes opes iſti, qui nec famulum habet, nec capſam, quàm ſic patereris te ab illo amari: quare? Nonne eſt homo venuſtus, inquies tu? Eſt quidem; *ſed venuſtus hic non habet famulum, nec capſam: tu verò contemne, & quantum voles extenua* verbis *hæc* quæ dico; *tamen ille nec famulum habet, nec capſam.*

ANNOTATIONES,

1. *O qui floſculus es*] Conqueritur cum *Juventio*, quod Furium mendicum pœnè hominem potiſſimum elegerit, cui ætatis ſuæ florem fruendum daret.

Juventiorum.] Romæ nobilis fuit familia *Juventiorum*, de quibus Livius, Plinius, & alii; quos inter fuit ille *M. Juvent.* Talva, qui, ut ait Valerius Maximus, collega Tib. Gracchi Conſulis, cum in Corſicâ, quam ſubegerat, ſacrificaret, receptis litteris decretas ei à Senatu ob rem bene geſtam ſupplicationes nuntiantibus, ſubitâ lætitiâ mortuus humi jacuit.

4. *Mallem divitias mihi dediſſes.*] Legunt multi, *delicias*, pro *divitias*, ſenſu minus recto, & à manuſcriptis omnibus alieno; longe enim elegantior ſententia eſt, ut dicantur convenire egenti *divitiæ* quàm *delitiæ*, nec movere debet, quod, *mihi*, ſubjungatur; ſic enim τὸ *mihi*, ponunt ſcriptores nonnunquam, cum ſuum id eſſe conſilium ſignificant, & judicium interponunt ſuum. Ut ſenſus ſit: quantum ad me pertinet mallem, ut iſti divitias dediſſes; &c.

5. *Neque ſervus, neque arca.*] Ut ſupra jam vidimus ſummæ fuit ſignum egeſtatis non habere ſervum nec arcam.

AD THALLUM. Carm. XXV.

Cinæde Thalle mollior cuniculi capillo,
Vel anſeris medullulâ, vel imulâ oricillâ,
Vel pene languido ſenis, ſituque araneoſo:
Idemque Thalle turbidâ rapacior procellâ,
Cum dira maris hyems aves oſtendit oſcitantes.

INTERPRETATIO.

Thalle impudice, tenerior pilis cuniculi, aut anſeris medullâ, aut infimâ auriculâ, aut languente veretro vetuli, & ſitu araneoſo: idem Thalle rapacior turbulentâ tempeſtate, ubi ſæva maris procella aves oſtendit oſcitantes.

ANNOTATIONES.

1. *Cinæde Thalle.*] *Thallum Cinædum* monet, ut ſibi remittat quæ ſurripuit, pallium ſcilicet, & ſudarium; quod niſi fecerit, fœdè vapulabit. Verſus eſt ſeptenarius, qui fit cum Iambico trimetro additur pes amphibrachys cum duobus trochæis. Hanc vero verſus formam alio modo explicat Diomedes cum Varrone, à quo verbis tantum, non re diſſentimus.

2. *Imulâ oricillâ.*] Locus hic merè corruptus eſt. Alii legunt *hinnula mollicella*, idque interpretantur de pelle *hinnuli* pulli cervini; alii legunt, *imula moricilla*; alii *hinnulâ tenellâ*; quod ſatis probatur. Nos cum Scaligero legimus *imulâ oricillâ*, id eſt, *imâ auriculâ*: *auricula* enim, vel *auricilla* veteribus dicebatur *oricilla*; unde Catullus dixit, *imulâ oricillâ*. pro, *imâ*, ſeu *infimâ auricula*; idque rectè & lepidè, cum proverbium ſit Latinorum, *auriculâ infimâ mollior.* Cicero lib. 2. ad Quint. Fratrem: *Tu quemadmodum me cenſes oportere eſſe in Rep & in noſtris inimicitiis, ita & eſſe & fore auriculâ infimâ ſcito molliorem.*

5. *Cum dira maris hyems.*] Nullus ferè Catulli locus medicam manum magis deſiderat. Nos verò lectionem hanc, quæ metri ſervatâ ratione ſenſum etiam expeditiorem & apertiorē exhibet correctiores ſecuti codices retinuimus. Scaliger etſi de hoc loco quid ſtatuat non habet, legendum tamen eſſe pronuntiat, *cum de via mulier*, vultque quamlibet ſagam ſignificari, quæ *aves oſtendat oſcitantes* tempeſtatem, aut aliud quidvis præſagire. Alii legunt, *cum diva mulier*. Alii, *cum dia mulier Laconas offendit oſcitantes*, voluntque intelligi per *divam*, ſeu *diam mulierem*, Helenam, quæ meteori ſpecies eſt inimica navigantibus, & per *Laconas*, ipſius fratres, Caſtorem & Pollucem, qui Nautis, ut ait Horatius, propitii ſunt; ut ſenſus ſit: Cum Helena *offendit*, id eſt, invenit fratres ſuos Lacedæmonios pigros & otioſos, ita ut navigantibus minimè proſint, & ipſa ſævitiam exerceat. Quod etiam auctoritate Homeri firmatur, apud quem Helena vocatur, διὰ γυναικῶν. Alii per divam mulierem intelligunt Lunam, leguntque, *cum diva mulier alios oſtendit oſcitantes*, ut ſenſus ſit. Redde mihi pallium meum, quod furatus es nocturno tempore cum dormirem, & Luna oſtenderet alios oſcitantes in ſomno. Alii per *divam mulierem* exponi volunt amicam, quæ dum oſtendit & fecit me converti ad alios oſcitantes in ſomno, tu furatus es pallium meum. Alii legunt, *cum diva mulier*, alii *diva mater*; & hæc ad Alcyones referentes ſic interpretantur; *cum diva mulier*, ſeu, *mater*, Alcyone ſcilicet, quæ fuit olim mulier generoſa, in avem poſteà mutata, *oſtendit aves oſcitantes*; id eſt, pullos ſuos cibum appetentes, quod ſignum eſt illos jam educatos eſſe; nam dum educantur, ſumma eſt in mari tranquillitas, uti refert Plinius lib. 10. cap. 32. Et ſic Alcyonios dies præteriiſſe per circuitionem indicatur, ſævamque imminere jam maris tempeſtatem. Alii legunt, *cum diva mater*, exponuntque de Tethyde, id eſt, mari; quod nimirùm

Remitte

Remitte pallium mihi meum, quod involaſti,
Sudariumque Setabum, catagraphoſque Thynos,
Inepte, quæ palam ſoles habere tanquam avita.
Quæ nunc tuis ab unguibus reglutina, & remitte,
Ne laneum latuſculum, nateiſque mollicellas
Inuſta turpiter tibi flagella conſcribillent,
Et inſolenter æſtues, velut minuta magno
Deprenſa navis in mari, veſaniente vento.

INTERPRETATIO.

Redde mihi, ô ſtulte, pallium meum, quod ſurripuiſti, & linteum Setabinum, & catagraphos Thynos, quæ omnia conſueviſti ſcilicet te ferre, quaſi tradita tibi à majoribus. Quæ jam revelle è tuis unguibus, & reſtitue, ne flagra inflicta ſignent inhoneſtè delicatula tua latera, & tuas clunes tenellulas; & ne inuſitatè hinc inde agiteris, quaſi parva ratis intercepta in v. ſlo pelago ventis furentibus.

ANNOTATIONES.

mare, ſeu aqua principium ſit cæterarum omnium rerum. Sic ſenſit Thales Mileſius, ſic & Homerus:

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν.

Alii per *divam mulierem* interpretantur Junonem, id eſt, aërem, cujus imprimis aves mutationem ſentiunt. Omnes porrò volui loci hujus colligere expoſitiones, ut, quam lector magis probaverit, eam ſequatur.

Aves oſcitantes.] Fulicas, aut Laros videtur intelligere, qui ſemper in fluctu degunt marinam ſpumam hiante ore paſcentes, ſed impendente tempeſtate in littus ejiciuntur, quibus in ſicco viſis, tempeſtatem in mari eſſe conjicitur.

6. *Pallium.*] Veſtis eſt lata, quæ palàm, ſeu foris geſtatur, ſub quâ tunica ferebatur, Græcorumque eſt indumenti genus: unde *palliata* Comœdiæ dictæ, quæ argumento ſunt Græco, ſicut *togata* quæ Latino, quia *toga* Latinorum erat ſeu Romanorum.

7. *Catagraphoſque Thynos.*] Thyni Salmaſio ſunt annulli ſignatorii ſculpturæ Bithynicæ, magno in pretio habiti, ut indicant hi verſus apud Iſidorum:

Nec quos Thynia lima perpolivit
Annellos, nec jaſpios lapillos.

Alii legunt, *Catagraphonque linum*, id eſt, linteum variis figuris notatum, & depictum; quod non diſplicet.

9. *Reglutina.*] Libera & ſolve à *glutino* ſeu *glutine*, quia nempè fures *glutino*, & pice manus inquinatas, ſeu viſcoſas habere dicuntur.

11. *Conſcribillent.*] Id eſt, vibicibus ſignent, & depingant; quod eodem modo Plautus dixit:

Corpus tuum virgis inſcribam

Alii legunt, *conſigillent*, ut antepenultima ſyllaba vitio non laboret.

AD FURIUM. Carm. XXVI.

Furi, villula noſtra non ad Auſtri
Flatus oppoſita eſt, nec ad Favoni,
Nec ſævi Boreæ, aut Apeliotæ:
Verum ad millia quindecim, & ducentos.
O ventum horribilem, atque peſtilentem.

Interpretatio.

Furi, rus noſtrum non objectum eſt Auſtro vento, neque Favonio, neque Aquiloni, neque Subſolano: ſed oppoſitum eſt ſimul quindecim millibus & ducentis ventis. O ventum atrocem, & exitioſum!

Annotationes.

1. *Auſtri.*] Hic noſter poëta commemorat quatuor ventos Cardinales: *Auſter* ventus eſt qui flat à Meridie.

2. *Oppoſita eſt.*] Luſus eſt in verbo, *opponere*, quod ſignificat etiam *oppignerare*, videtur poëta innuere villam ſuam oppigneratam eſſe quindecim millibus, & ducentis H. S. idque Furio dixit; qui, ut credibile eſt, cum ex Catullo quæſiviſſet, cuinam vento eſſet *oppoſita*, feſtivè poëta reſpondit, non quidem ulli ventorum tempeſtati objectam eſſe, ſed pro quindecim millibus, & ducentis H S. pignori eſſe *oppoſitam*. Alii volunt de ventis hæc intelligi.

Favoni.] *Favonius* ventus ſpirat ab Occaſu: hunc Græci *Zephyrum* nominant.

3. *Borea.*] *Boreas* ventus, Latinis Aquilo, flat ſecundum Plinium, Gellium, & alios, inter exortum Æſtivum, & Septentriones.

Apeliota] *Apeliotes* ventus, Latinis dictus *Subſolanus*, aſpirat ab Oriente contra Favonium.

AD PUERUM SUUM. Carm. XXVII.

Miniſter vetuli puer Falerni,
Inger mi calices amariores,

Interpretatio.

O famule miniſtrator veteris Falerni, porrige mihi pocula amarulentiora, ita capacia,

Annotationes.

1. *Falerni.*] *Falernum* vinum, à quodam Campaniæ agro ſic dictum, inter Italiæ generoſa vina ſecundum obtinebat locum: ad mentem Catulli dixit Horatius Serm. lib. 2. Sat. 3.

—— veteriſque Falerni,
Mille cadu. ——

Et alibi, lib. 1. Od. 27.

Vultis ſeveri me quoque ſumere
Partem Falerni.

Vina enim vetuſta amaritudine quadam infeſtantur, *quæ quidem*, ait Cicero, *amaritudo placet*; unde Poëta dixit, *veteris Falerni amariores eſſe calices & auſteriores*, ſi maxime aquâ non temperentur. Plinius lib. 23. *Vina primo dulcia auſteritatem annis accipiunt, & rubra fiunt.* Per *amariores calices*, & meracum, & vetus vinum intelligi nihil obſtat; longinquitate enim temporis vinum *meracius* fieri Macrobius tradit.

2. *Inger.*] Pro *ingere*, *porrige*: *mi*, pro *mihi*. Unde & Nemeſianus in Cynegetico:

[alumno,
Caſtaliique mihi nova pocula fontis
Ingeris.

Alii legunt, *infer*, quod nec diſplicet. Alii, *Miſce calices amariores*, id eſt, *meraciores*.

Ut lex Poſthumiæ jubet magiſtræ
Ebrioſâ acinâ ebrioſioris.
At vos quò lubet hinc abite lymphæ,
Vini pernicies, & ad ſeveros
Migrate. hic merus eſt Thyonianus.

INTERPRETATIO.

ut præcipit lex Poſthumia magiſtra, quæ erat ebrioſior acinis vino imbutis; tu verò aqua, exitium vini, hinc faceſſe, quocumque volueris. & ad auſteros abi: iſte merus eſt Thyonianus.

ANNOTATIONES.

3. *Poſthumia.*] Catulli temporibus fuit quædam mulier vinoſiſſima, & ebrioſiſſima, quæ compotatoribus lege bibendi à ſe latâ, tam magna & capacia indicebat pocula, ut amarum foret, ac difficile ea uno hauſtu ebibere.

Jubet magiſtra.] Veteres talis ſortiebantur, quis è convivis, quantum quiſque vini biberet, præſcripturus eſſet, & qui primus Venerem jecerat, is *magiſter*, & *Rex vini* vocabatur. Horat. lib. 1. Od. 4.

Nec regna vini ſortiere talis.

Et alibi lib. 2. Od. 7.

—— *quem Venus arbitrum*

Dicet bibendi?

Varro *Modimperatorem* appellat; Plautus *Dictatorem*, qui leges dabat ad potandum.

4. *Ebrioſâ acinâ ebrioſioris.*] *Acinâ* dixit in fœminino, non, *acino*; quamquam alias *acinum* neutro genere profertur, hoc fecit forſan, ut ad autem melius ſonaret verſus.

7. *Thyonianus.*] Id eſt, *Bacchicus.* Bacchus enim dictus *Thyoneus*, vel à θύω, vel à matre ipſius *Thyone*, quæ & *Semele* dicta eſt. Unde *merus Thyonianus* idem eſt ac merum vinum, ſeu merus vini liquor.

AD VERANNIUM, ET FABULLUM. Carm. XXVIII.

PISONIS comites, cohors inanis,
Aptis ſarcinulis, & expeditis,
Veranni optime, tuque mi Fabulle:
Quid rerum geritis? ſatiſne cum iſto

INTERPRETATIO.

O Piſonis commilitones, optime Veranni, & tu mi Fabulle, comitatus inutilis; accommodatis ſarcinis & paratis, quas res agitis? An abundè toleraſtis algorem,

ANNOTATIONES.

1. *Piſonis comites.*] *Piſo* ille extremæ audaciæ homo, ut refert Salluſtius, in Hiſpaniam quæſtor pro Prætore miſſus fuerat, annitente maximè Craſſo, quòd ipſum Cn. Pompeio inimicum cognoviſſet: neque tamen Senatus invitus Provinciam dederat; quippè fœdum hominem à Rep. procul eſſe volebat. Hunc Piſonem in Hiſpaniam ſecuti fuerant Verannius & Fabullus amici Catulli, neque cum eo quidquam lucri fecerant.

2. *Aptis ſarcinulis.*] Jocosè perſtringit Catullus tenuitatem paupertiemque Verannii & Fabulli, qui carebant ſarcinarum impedimentis, nec multos rerum utenſilium faſciculos habebant.

4. *Cum iſto Vappâ.*] Piſone ſcilicet homine vili ac ſordido. *Vappa* vinum eſt acidum, corruptum & vitioſum. Hic ſumitur pro ignavo, degeneri, ac probroſo homine. Perſius: *Vappa Lippus, & in tenui farragine mendax.*

Vappâ, frigoraque, & famem tuliſtis?
Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expenſum? ut mihi, qui meum ſecutus
Prætorem, refero datum lucello:
* * * * *
* * * * *
Sed, quantum video, pari fuiſtis
Caſu, * * *
* pete nobiles amicos.
At vobis mala multa Dii Deæque
Dent, opprobria, Romuli, Remique.

INTERPRETATIO.

& eſuriem cum Vappâ iſto? Quid lucri in veſtris rationibus expenſum patet? Ut & mihi accidit, qui comitatus prætorem meum in tabulis expenſum refero pro quæſtu. * * * * * * * * *Verùm, ut intelligo ſimili fortunâ fuiſtis* * * * * * *expete jam illuſtres amicos. At verò, vobis, ô Romuli, & Remi, probra Reipublicæ, & Dii, & Deæ inferant multa incommoda.*

ANNOTATIONES.

8. *Prætorem ſecutus.*] C. ſcilicet Memmium, cui Lucretius opus ſuum inſcripſit, qui Romæ præturâ functus Bithyniam prætor obtinuit, quò eum ſecutus Catullus nihil lucri fecit; ut hîc & ſuprà Carm. 10. conqueritur.

13. *Nobiles amicos.*] Invehitur in libidinem nobilium, & Magiſtratuum Romanorum, eorumque carpit mores, qui comites ac milites ſuos nefario flagitii genere contaminarent.

15. *Romuli, Remique.*] Romanorum proceres, *Romuli*, ac *Remi* dicuntur à Poëtis, ducto nomine ab illis *Romæ* conditoribus. Plerique ſic locum hunc interpretantur, ut exiſtiment *Romuli, Remique*, eſſe in genitivo caſu, nos in vocativo plurali eſſe putamus.

IN CÆSAREM. Carm. XXIX.

QUIS hoc poteſt videre, quis poteſt pati,
Niſi impudicus, & vorax, & aleo?
Mamurram habere, quod comata Gallia
Habebat unctum, & ultima Britannia?

INTERPRETATIO.

Quis iſtud poteſt ſpectare, quis poteſt ferre, præterquam impurus, & helluo, & aleator? Mamurram poſſidere quidquid Gallia Celtica, & extrema orbis regio *Britannia pretioſum habebant.*

ANNOTATIONES.

3. *Mamurram habere,*] Mamurra ille, in quem Catullus tam acriter invectus eſt, eques Romanus fuit, Formiis natus; Præfectus Fabrorum Julii Cæſaris, cui maxime in deliciis fuit; hunc itaque Cæſar ſpoliis ferè totius orbis locupletavit.

Comata Gallia.] Galliam omnem Tranſalpinam intelligit, quam comatam vocabant vulgò Romani, a *coma*, ut volunt, nutriendæ ſtudio incolis ingenito.

4. *Britannia.*] Inſula Europæ longè nobiliſſima inter Occaſum & Septentriones, in Oceano Septentrionali poſita. Dicitur *ultima*, quia Britanni à toto Orbe diviſi in ultimo terrarum termino ſunt poſiti; unde Hor. lib. 1. Od. 35.

Serves iturum Cæſarem in ultimos
Orbis Britannos.

Virgilius:

—— toto diviſos orbe Britannos.

Cinæde Romule hæc videbis & feres?
Es impudicus, & vorax, & aleo.
Et ille nunc ſuperbus, & ſuperfluens
Perambulabit omnium cubilia,
Ut albulus columbus, aut Adoneus?
Cinæde Romule hoc videbis, & feres?
Es impudicus, & vorax, & helluo.
Eone nomine, imperator unice,

INTERPRETATIO.

Romule impudice hæc aſpicies, & patieris? Tu impurus es, & helluo, & aleator. Jamque iſte arrogans, & ſuperaffluens percurret cunctorum lectos, tanquam candidulus Columbus, aut Adonis. Romule impudice, iſtud cernes, & pateris? Tu laſcivus es, & helluo, & aleator. Eâne causâ, unice Imperator,

ANNOTATIONES.

5. *Cinæde Romule.*] Id eſt, impudice Cæſar: poſuit ibi *Romulum* pro Cæſare, quem *Cinædum* dicit. Fuit vehemens fama Cæſarem, cum adhuc eſſet adoleſcens, apud Nicomedem Bithyniæ Regem proſtraviſſe pudicitiam. Unde Gallico triumpho milites ejus currum proſequentes vulgatiſſimum illud canebant:

Gallias Cæſar ſubegit, Nicomedes Cæſarem:
Ecce Cæſar nunc triumphat, qui ſubegit Gallias;
Nicomedes non triumphat, qui ſubegit Cæſarem.

Vide Suetonium in Julio Cæſare; cujus quidem vehementer libidinem Catullus exagitat his ipſum verbis compellans, *Cinæde Romule.* Hoc enim nomine utebantur in eos, quos ſignificare volebant multum à præſtanti Romuli virtute abeſſe. Auctor declamationis in Ciceronem quæ tribuitur Salluſtio, *Oro te Romule Arpinas,* Perſius: *Num Romule ceves?* Neque tamen pro quovis Romano, ſed pro eo, qui ita gratia populari valebat, ut regnum tanquam alter Romulus obtinere videretur. Salluſtius in Orat. Lepidi Conſulis ad populum, *quæ cuncta ſcævus iſte Romulus, quaſi externis rapta tenet.*

7. *Superfluens.*] Aliis nihil aliud eſt, quam divitiis abundans; alii hoc nomine ſignificari putant eos, qui continere ſe in ſuâ pelle præ ſuperbia non queunt.

9. *Albulus columbus.*] Alii ita hunc verſum legunt,

Ut albulus columbulus Dionæus.

Quæ lectio ſi retineatur, dicendum eſt, *Columbum Dionæum*, ſic à Catullo fuiſſe dictum, ut ab aliis *pullum Jovis*: nam apud Feſtum, veteres puerum, quem quis amabat, *pullum* ejus dicebant. *Columbus Dionæus*, id eſt, *Venereus*. Venus enim cui ſacri ſunt Columbi dicta eſt Dionæa à matre Dione. Virg.

Sacra Dionææ matri.

Horat. lib. 2. Od. 1.

Mecum Dionæo ſub antro.

Et ſecundum hanc lectionem Catullus eleganter expreſſit verſum quemdam Alexidis apud Atheneum. Quo dicitur albus Columbus Veneris.

Ὁ λευκὸς ἀφροδίτης εἰμὶ γὰρ περιστερός.

Adoneus.] *Adonis* apud Latinos dicitur *Adoneus*. Plautus:

Ubi aquila catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum.

Sic & Ulyſſeum, & Achilleum dicebant. Horat. lib. 1 Od. 6.

Nec curſus duplicet per mare Ulyſſei.

Eodem lib. Od. 16.

Claſſis Achillei.

Epod. lib. 17.

Laborioſi remiges Ulyſſei.

12. *Imperator unice.*] Id eſt, qui factus es unicus Imperator, id eſt, belli gerendi Magiſter. Ut apud Suetonium in Othone: *Fortiſſimum virum unicum Imperatorem prædicantes.*

Fuiſti in ultimâ Occidentis inſulâ:
Ut iſta veſtra * *
Ducenties comeſſet, aut trecenties?
Quid eſt? an hæc, ſiniſtra liberalitas,
Parum expatravit? an parum helluatus eſt?
Paterna prima lancinata ſunt bona:
Secunda præda Pontica: inde tertia
Hibera, quam ſcit & amnis aurifer Tagus.
Hunc Galliæ timent, timent Britanniæ.*
Quid hunc, malum, fovetis? aut quid hic poteſt,
Niſi uncta devorare patrimonia?
Eone nomine, imperator unice,
Socer, generque perdidiſtis omnia?

INTERPRETATIO.

verſatus es in extremâ Occidentis inſulâ, ut iſte tuus Mamurra devoraret ducenties, aut trecenties: quid hoc eſt? An iſthac largitio perniciosa parum conſumpſit? An pauca devoravit? Prima decocta ſunt bona à patre relicta; ſecunda præda Pontica: tertia Ibera, & quas novit Tagus fluvius auriger. Gallia eundem reformidant, & Britannia horrent. Cur iſtum, proh nefas! complectimini? Aut quid poteſt iſte, niſi deglutire bona patrimonia? An eâ de causâ, ô ſingularis Imperator, & ſocer, & gener cuncta evertiſtis.

ANNOTATIONES.

13. *Occidentis inſulâ.*] Intelligit Britanniam, quæ dicitur ultima terrarum, ut ſuprà vidimus, ſicut dicitur etiam, *terrarum ultima Thule. Britanniam* ſubegit Cæſar, ut latè ſcripſit in ſuis commentariis.

15. *Ducenties.*] Id eſt, *ducenties*, aut trecenties centena millia ſeſtertiûm.

17. *Expatravit.*] Id eſt, libidinibus abſumpſit. *Patrare*, verbum olim honeſtum, in obſcœnum intellectum detortum fuiſſe docet Quintilian. lib. 8. quod confirmat illud Perſii Satyra 1.

——patranti fractus ocello

19. *Secunda præda Pontica.*] Poëta tangit omnia bella, quæ Cæſari ſuppeditaverunt, unde Mamurram divitiis cumularet. *Præda* autem illa *Pontica* reportata eſt ex bello, quo Pharnacem Mithradatis *Ponti* Regis filium nullo negotio, & celerrimè ſuperavit, de quo notum illud Cæſaris; *veni, vidi, vici*. Lege Sueto. in Cæſar.

20. *Hibera.*] Id eſt, Hiſpana. Hiſpaniam enim dictam fuiſſe *Iberiam* ab *Ibero* flumine ſuprà vidimus. Prædam intelligit, quam ex Hiſpaniâ retulit Cæſar Petreio, & Afranio Pompeianarum partium ducibus in Hiſpaniâ ſuperatis. Hæc ſatis nota eſt Hiſtoriâ.

Tagus.] Hiſpaniæ fluvius in Oceanum ultra Ulyſſiponem prorumpens, aquis aureis, ſeu arenis apud veteres celebratus. Unde hic dicitur aurifer, quaſi aurum ferens, quod & innuit illud Juvenalis, Sat. 3.

——tanti tibi non ſit opaci
Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum.

21. *Hunc Galliæ.*] Id eſt, Mamurram tantum helluonem, qui tot rapinas, tantamque rapiendi licentiam habebat à Cæſare.

25. *Socer, generque.*] Id eſt, Cæſar, & Pompeius, qui Rempub. omniaque everterunt, ut alter occuparet Imperium. Unde & Lucanus:

—— hinc ſocer, inde gener.

Dicuntur autem Cæſar & Pompeius omnia perdidiſſe, quia ipſi causa fuerunt bellorum Civilium, ex quibus præda opima obvenit Mamurræ. Senſus itaque eſt, eone nomine, tu Cæſar, & tu Pompei, omnia perdidiſtis, ut iſte Mamurra illa devoraret, & in voraginem ventris ſui immergeret.

AD ALPHENUM. Carm. XXX.

ALPHENE immemor, atque unanimis falſe ſodalibus:
Jam te nil miſeret, dure, tui dulcis amiculi.
Jam me prodere, jam non dubitas fallere, perfide.
Nec facta impiâ fallacum hominum cælicolis placent,
Quæ tu negligis, ac me miſerum deſeris in malis.
Heu heu quid faciant, dic, homines, quoïve habeant fidem?
Certe tute jubebas animam tradere, inique me
Inducens in amorem, quaſi tuta omnia mi forent.
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia, factaque
Ventos irrita ferre, & nebulas aëreas ſinis.
Si tu oblitus es, at dii meminerunt, meminit Fides.
Quæ te ut pœniteat poſtmodò facti, faciet, tui.

INTERPRETATIO.

O *Alphene ingrate*, *& infidelis conjunctiſſimis amicis; nunc, ô inhumane, non miſereris jucundi amici tui, nunc, ô infidelis, non vereris deſerere me, ac fruſtrari, nec improba facinora perfidorum hominum Diis accepta ſunt. Quæ tu contemnis, & me in meâ calamitate infelicem deſtituis. Eheu! eloquere, quid agant homines? Aut cuinam fidem adhibeant? Tu ipſe profectò cogebas me* tibi *committere animam fallaciter me in tui ſtudium impellens, tanquam cuncta mihi tuta eſſent* in amore tuo. Tu *ipſe jam revocas te, & pateris auras, & nubes æthereas cuncta tua verba & facta irrita rapere.* Quæ *ſi tu oblitus es; at* certè *Dii recordantur, & Fides ipſa recordatur, quæ* quidem *efficiet, ut aliquando pœniteat te facinoris tui.*

ANNOTATIONES.

1. *Alphene.*] *Alphenus* iſte Varus dictus, Cremonâ oriundus abjectâ arte Sutoriâ, quam in municipio ſuo exercuerat, Romam petiit, magiſtroque uſus Servio Sulpitio Juriſconſulto, factus & ipſe Juriſconſultus, & Servii Sulpitii ſucceſſor ad Conſulatum etiam pervenit, cujus meminit Hora. Sat, 3. Serm. lib. 1.

—— *ut Alphenus vafer omni*
Abjecto inſtrumento artis, clauſâque tabernâ
Sutor erat ſapiens operis.

10. *Ventos irrita ferre.*] Id eſt, pateris ut tua omnia promiſſa in vanum, & fruſtrà ſint. Nam quæ dicta ſunt, nec ullum effectum conſequuntur, *à ventis, & nubibus auferri* dicuntur; ut idem Catul. infrà Carm. 65. verſ. 142.

Quæ cuncta aerii diſcerpunt irrita venti.

Ovidius:

Irrita ventoſa rapiebant cuncta procella.

Et alibi:

—— *& jubet aërios irrita ferre Notos.*

11. *Fides.*] *Fides* etiam fuit Dea apud antiquos, maximè verò Romanos. *Fidei* ædes fuit in Capitolio ab Attilio Calatino conſecrata. Cicero lib. 3. de Naturâ Deorum ait *Fidem vicinam Jovi in Capitolio.* Vide Plin. lib. 35. Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. 2.

AD SIRMIONEM PENINSULAM. Carm. XXXI.

PENINSULARUM Sirmio, inſularumque
Ocelle; quaſcunque in liquentibus ſtagnis,
Marique vaſto fert uterque Neptunus:
Quàm te libenter, quàmque lætus inviſo,
Vix mi ipſe credens Thyniam, atque Bithynos
Liquiſſe campos, & videre te in tuto.
O quid ſolutis eſt beatius curis?
Quum mens onus reponit, ac peregrino
Labore feſſi venimus larem ad noſtrum,
Deſideratoque acquieſcimus lecto.
Hoc eſt, quod unum eſt pro laboribus tantis.
Salve, ô venuſta Sirmio, atque hero gaude,
Gaudete, voſque Lydiæ lacus undæ.
Ridete quidquid eſt domi cachinnorum.

INTERPRETATIO.

O Sirmio lumen peninſularum, & inſularum omnium, quotquot habet in liquidis lacubus, & in immenſo mari geminus Neptunus: quàm jucundè & quam gaudens ad te venio, vix ipſo mihi perſuadens me reliquiſſe Thyniam, & agros Bithynos, & te conſpicere in tranquillo. O quid eſt fortunatius curis expeditis? Quando animus noſter *deponit pondus, & fatigati labore peregrino domum noſtram advenimus, & quieſcimus in cubili expedito. Iſtud* otium *eſt, quod pro tam magnis ærumnis unum* mihi præmium eſt. *Ave, ô pulchra Sirmio, & lætare domino* tuo*; vos etiam gaudete, ô aquæ lacus Lydiæ; effundite in riſum quidquid eſt cachinnorum domi.*

ANNOTATIONES.

1. *Peninſularum Sirmio.*] *Sirmio* eſt óppidum in *peninſula* ſitum ad lacum Benacum. Vulgò, *Lago di Garda.*

5. *Uterque Neptunus.*] Aliis eſſe placet mare Superum & Inferum; aliis probabilius intelligitur & is, qui dulcibus, & is, qui ſalſis aquis imperat *Neptunus.*

5. *Thyniam atque Bithynos.*] *Thynia*, ſive, *Thynias* inſula eſt juxta fauces Ponti, quam cum *Bithynia* eamdem facit Claudianus:

Thyni Thraces arant, quæ nunc Bithynia fertur.

9. *Ad Larem noſtrum.*] Pro domo, igne, foco *Lar* in ſingulari numero maximè ſumitur. Columella lib. 11. cap. 1. *Conſueſcat ruſticos circa Larem domini, focumque familiarem ſemper epulari.*

12. *Salve, ô venuſta.*] Mos erat, ut qui primum ingrederentur religionem aliquam, religiosè eam ſalutarent; quod cuique loco ſuum quemdam Genium præeſſe arbitrabantur.

13. *Voſque Lydiæ.*] *Lydias* aquas vocat *Benaci Lacus*, quaſi Benacus, in quo Sirmio eſt, arenas aureas volvat, tanquam Hermus, & Pactolus auriferi Lydiæ amnes; vel potiùs quòd ſit Lacus Benacus in ditione Thuſcorum, qui à Lydis originem duxere. Thuſcorum enim Reges dicuntur Metropolin Mantuam habuiſſe.

AD HYPSITHILLAM. Carm. XXXII.

AMABO, mea dulcis Hypſithilla,
Meæ delitiæ, mei lepores,
Jube ad te veniam meridiatum.
Quod ſi juſſeris, illud adjuvato,
Ne quis liminis obſeret tabellam,
Neu tibi lubeat foras abire:
Sed domi maneas; * *
* *
* * *
* * * *
* * *

INTERPRETATIO.

Hypſithilla, mea ſuavis amica, *mea voluptas, mea feſtivitas, jube, quaſo, me venire ad te meridiatum. Hoc ſi præceperis,* id etiam mihi *præſtabis, ut nemo occludat fores oſtii tui, & ne tibi veniat in mentem foras exire, ſed morêris domi tuæ.* * *
* *
* * *
* * *

ANNOTATIONES.

1. *Amabo.*] Vox est blandientis, quâ Comici frequenter utuntur; adjunctum etiam non rarò habet accuſandi caſum. Cicero ad Atticum. *Cura, amabo te, Ciceronem noſtrum.* Hypſithilla porrò Latinè, Græcè dicitur ὑψιϑὴν, Hypſithea.

3. *Meridiatum.*] Per *meridiem* dormirum. *Meridiare* enim vel *meridiari* eſt ſomnum capere *meridianum*, vel *meridiem* agere; unde *meridiationes* apud Ciceronem lib. de divinat. Cornel. Celſ. *Longis diebus meridiare potius ante cibum utile eſt. Meridiabat* Auguſtus Cæſar apud Sueton. in Auguſto cap. 78. *Meridiabat* & Cæſonia. Sueton. in Caligulâ cap. 38. Idem etiam Severus Imperator, Lamprid. in Alexand. Severo, cap. 62.

IN VIBENNIUM, ET FURIUM CINÆDUM. Carm. XXXIII.

O FURUM optime balneariorum
Vibenni pater, & cinæde fili:
Nam dextra pater inquinatiore,
* * *

INTERPRETATIO.

O tu *Vibenni pater maxime furum balneariorum, & tu Vibenni fili impudice: pater enim manus habet inquinatiores;* * * *

ANNOTATIO.

1. O *furum optime*] Vibennios patrem & filium exagitat, alteri furta, alteri nefanda ſtupra objiciens, patrem dicit calidiſſimum furandi magiſtrum, furaciſſimumque furum omnium, qui circa balnea verſantes, lavantium ſe veſtes ſurripere ſolerent. Quod ſane Catullus lepide expreſſit vocabulo illo, *optime*, uſus, quaſi in vitiis bonitas eſſe poſſit.

Qur non exilium, malaſque in oras
Itis? quandoquidem patris rapinæ
Notæ ſunt populo, * *
* * * *

INTERPRETATIO.

Cur non abitis in exilium in aliquas regiones infelices? Siquidem patris furta manifeſta ſunt toti *plebi.* * *

*SECULARE CARMEN AD DIANAM. Carm. XXXIV.

DIANÆ ſumus in fide,
Puellæ, & pueri integri:
Dianam pueri integri,
Puellæque canamus.

INTERPRETATIO.

Nos *puellæ. & pueri incorrupti ſumus in tutelâ Dianæ: nos* ergo *pueri & puellæ incorruptæ celebremus Dianam.*

ANNOTATIONES.

* SECULARE CARMEN.] *Seculum* ſpatium annorum centum vocarunt Antiqui, dictum a ſene, quòd longiſſimum ſpatium ſeneſcendorum hominum illud putarunt, ut Romanorum doctiſſimus Varro lib. 5. de ling. Lat. memoriæ prodidit. Hinc appellatum conſtat *Carmen ſeculare*, quod ludis *ſecularibus* in laudem Apollinis & Dianæ pro ſalute totius imperii Romani cantari ſolebat. Dicti ſunt autem ludi *ſeculares*, quod uno *ſeculo*. hoc eſt, centum annorum ſpatio ſemel tantùm à primâ origine & præſcripto Sibyllinorum verſuum fierent. Aliquando celebrabantur ad Tiberim, ſæpius in Capitolio, & in his inter alia obſervatum eſt, ut pueri puellæque ingenui patrimi ac matrimi tribus continuatis diebus ac noctibus *carmina* & pæanas accinerent, quibus populi Rom. imperium Diis immortalibus commendarent. Sacrificabant Apollini bovem album; Dianæ verò capras albas. Ad hos cum præco populum ludos invitaret, *ad eos uti ad ludos venirent* dicebat, *quos nemo ipſorum antèà vidiſſet, nemo eſſet poſtmodum viſurus*. Unde illa Vitellii aſſentatio Claudio *ludos ſeculare* exhibentis, *ſæpè faciat*. Primus hos ludos Valer. Publicola fecit poſt exactos Reges anno ab urbe conditâ CCXLIII. Secundi facti ſunt ex libris Sibyllinis anno undecimo primi belli Punici, Claudio Pulchro, & L. Junio Bruto Coſſ. ann. Urbis CCCCCI Quintos Auguſtus celebravit Furnio & Syllano Coſſ. De his noſter Catullus hic agit, de quibus etiam tres hymnos luſit Horat. Sextos Claudius Cæſar anticipatos nec exſpectato legitimo centum annorum ſpatio fecit; quod & alios ſæpè feciſſe comperimus

Hujus porrò *Carminis* verſus eſt Glyconius conſtans ſpondæo & duobus dactylis, ſed loco ſpondæi modò iambum, modò trochæum; quarto verò quoque verſu loco ultimi dactyli ſpondæum, ſeu trochæum recipit.

1. *Dianæ ſumus in fide.*] In tutelâ Dianæ, quæ eadem eſt cum Lunâ naſcentium ortus moderante, pueri ſunt & puellæ; unde & Catullo concinit Horat. lib. 4. od. 6.

Virginum primæ, puerique claris
Patribus orti
Deliæ tutela Deæ.

3. *Dianam pueri, puellæque canamus*] Ter novem *pueri* prætextati totidemque Virgines, patrimi ac matrimi Græcâ Latinâque voce carmina Dianæ atque Apollini concinebant ludis ſecularibus, ut jam ſuprà vidimus. Horat. lib. 1. od. 21.

Dianam teneræ dicite Virgines,
Intonſum pueri dicite Cynthium,
Latonamque ſupremo
Dilectam penitus Jovi.

O Latonia maximi
Magna progenies Jovis,
Quam mater prope Deliam
Depoſivit olivam,
Montium domina ut fores,
Silvarúmque virentium,
Saltuúmque reconditorum,
Amniumque ſonantum.
Tu Lucina dolentibus
Juno dicta puerperis:
Tu potens Trivia, & notho es
Dicta lumine Luna.
Tu curſu, dea, menſtruo
Metiens iter annuum,
Ruſtica agricolæ bonis
Tecta frugibus exples.
Sis quocunque tibi placet
Sancta nomine, Romulique

INTERPRETATIO.

O Latonia clara ſoboles prapotentis Jovis tu, quam parens enixa eſt ad oleam Deliacam, ut eſſes præſes montium, & ſylvarum frondentium, & ſaltuum abditorum, & fluminum reſonantium. Tu Juno Lucina appellata es puerperis laborantibus; tu magna Hecate, & Luna appellata es lucens aliena luce. Tu etiam, ô *Diva, percurrens viam annuam curriculo menſtruo, imples ruſticanas domos agricolarum utilibus fructibus. Quâlibet appellatione* vocari *velis, Augusta ſis; & ſerves*

ANNOTATIONES.

5. O *Latonia maximi.*] Diana dicitur *Latonia* à matre *Latona*, quæ, ut tradunt fabulæ, ex Jove peperit Dianam & Apollinem.

7. *Prope Deliam*] De Latonæ partu varii Scriptores varia prodidere; communior ſententia eſt Apollinem Dianamque uno partu ab eâ editos in *Delo* inſulâ maris Ægei inter Cycladas eminenti, quæ celeberrimum habuit Apollinis, & Latonæ templum, quamque alio nomine veteres dixerunt Ortygiam.

8. *Depoſivit.*] *Antique.* Priſcianus ait, *poſivi pro poſui, protuliſſe inveniuntur.* Plautus: *Nunc apud ſequeſtrum vidulum poſivimus.* Apuleius: *Et cibatum eum apoſiverunt.*

15. *Tu potens Trivia*] Diana multiplici nomine dicta, multiplici quoque poteſtate prædita fingebatur, ſed inter illa omnia nomina & munia, *Trivia*, eademque *triformis Hecate*, quod eſſe diceretur.

Luna Polo, Diana Solo, Proſerpina Averno.

Lucina dicta eſt, quod adſit parturientibus, & partum in lucem producat. Unde apud Terentium.

——— Lucina fer opem,

Et apud Virgilium: [*Apollo.*

Caſta fave Lucina tuus jam regnat

Unde & Horat.

Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis, &c.

Juno dicitur à *juvando*, quod puerperas juvare crederetur.

16. *Dicta notho lumine.*] Cum Luna alienâ luce luceat, Antiqui mulos ejus vehiculo dabant, quod ut mulus non ſuo genere, ſed equis creatur; ſic ea Solis, non ſuo fulgore luceat: auctor Feſtus.

21. *Romulique Ancique*] Romulus, & Ancus Romæ Reges fuerunt. Alter ordine primus, alter quartus: unde eorum *Gens* dicitur Populus Romanus.

Ancique, ut ſolita es, bonâ
Soſpites ope gentem.

INTERPRETATIO.

incolumem, ut conſuevisti, faventi præſidio Romuli, & Anci populum.

AD LIBELLUM. Carm. XXXV.

POETÆ tenero meo ſodali
Velim Cæcilio, papyre, dicas:
Veronam veniat, Novi relinquens
Comi mœnia, Lariumque littus.
Nam quaſdam volo cogitationes
Amici accipiat ſui, meique.
Quare ſi ſapiet, viam vorabit;
Quamvis candida millies puella
Euntem revocet, manúſque collo
Ambas injiciens roget morari:
Quæ nunc, ſi mihi vera nunciantur,
Illum deperit impotente amore.
Nam quo tempore legit inchoatam
Dindymi dominam: ex eo miſellæ
Ignes interiorem edunt medullam.

INTERPRETATIO.

O *Charta* mea, *nunties velim Cæcilio Poëta ſuavi amico meo*, ut *deferens Novi Comi muros, & Larium Lacum, Veronam adveniat: etenim cupio ut excipiat quædam conſilia familiaris ſui ſimul & mei. Itaque ſi prudens erit, iter avidè accelerabis, etſi pulchra puella millies retardet proficiſcentem, & utramque manum cervici ejus implicans precetur ipſum remanere:* quæ quidem *ſi certa mihi referuntur, jam ipſum amat inſane ardore: ex quo enim legit inceptam Dindymi præſidem: exinde flamma conſumit intima viſcera infelicis puellæ.*

ANNOTATIONES.

1. *Poëta tenero.*] Cæcilium Poëtam amicum Catullus accerſit Novo Como Veronam, ipſi quædam amici cujuſpiam utrique communis conſilia communicaturus. Variis autem temporibus varii fuere Cæcilii, quos inter duo celebres à Quintiliano memorantur, alter Rhetor, alter Comicus, Statius dictus; cui primas in Comœdiâ nonnulli tribuunt, ſed illi ſuperiores tempore fuerunt hoc Cæcilio, qui Poëta Veronenſis fuit, & Catulli amicus.

3. *Novi Comi mœnia.*] *Novum Comum* civitas eſt Galliæ Ciſalpinæ juxta Larium Lacum, à Gallis, Duce Brenno, condita, ut vult Juſtinus. De qua Strabo lib. 5.

4. *Lariumque littus.*] Lacus *Larius*, Alpibus Vicinus, Italis *Lago di Como*, ad Comum oppidum totius Italiæ ampliſſimus, dictus eſt à fulicarum multitudine; Λάρος enim Græcis, fulica Latinis dicitur. *Larium* lacum integro libello deſcripſit elegantiſſimè Paul. Jovius. *Littus* porrò hic ſumitur pro ripâ; nam *Littus* maris tantùm eſſe putatur à multis, quanquam Virgilius de fluminibus etiam *Littus* dixit, l. 7. Æneid.

—— *Quique Numici Littus arant.*

Idemque Æneid. lib. 8.

viridique in littore conſpicitur ſus.

14. *Dindymi dominam.*] Cæcilius ille inchoaverat poema de Cybele Deorum matre, cujus ſacra in Dindymo Phrygiæ monte celebrabantur.

Ignoſco tibi, Sapphicâ, puella,
Muſâ doctior. eſt enim venuſtè
Magna Cæcilio inchoata mater.

INTERPRETATIO.

Sed pareo tibi, ô puella, eruditior Muſâ Sapphicâ, nam eleganter incœpta eſt à Cæcilio magna Deorum parens.

ANNOTATIO.

16. *Sapphicâ, puella, muſâ doctior.*] Alii alio modo hunc locum interpretantur; hæc recta videtur interpretatio, ut dicatur Cæcilii amica multo doctior *Sappho* illâ poëtriâ celebri, quod illa Phaonem ignarum adoleſcentem, qui nihil venuſtè poſſet ſcribere adamavit; hæc verò non ante Cæcilium deperire cœperit, quàm incœptum opus ejus de Cybele eleganter ſcriptum legit.

IN ANNALES VOLUSII. Carm. XXXVI.

ANNALES Voluſi cacata charta,
Votum ſolvite pro meâ puellâ.
Nam ſanctæ Veneri, Cupidinique
Vovit, ſi ſibi reſtitutus eſſem,
Deſiſſemque truces vibrare jambos;
Electiſſima peſſimi poëtæ
Scripta, tardipedi deo daturam
Infelicibus uſtulanda lignis.
Et hæc peſſima ſe puella vidit
Joco ſe lepidè vovere divis.
Nunc ô cæruleo creata ponto,

INTERPRETATIO.

O Annales Voluſii, papyrus olete fœdata, nunc reddite votum pro amicâ meâ; ipſa enim vovit Auguſtæ Veneri, & Cupidini ſe tradituram eſſe tardigrado Deo verſus exquiſitiſſimos impuriſſimi Poëtæ infauſtis lignis cremandos, ſi modò ſibi reconciliatus eſſem, & ceſſaviſſem in ipſam jaculari jambos aſperos. Atque hæc peſſima puella novit ſe per ludum feſtivè facere votum illud Diis. Jam vero, ô Dea *progenita è mari cæruleo.*

ANNOTATIONES.

1. *Annales Voluſii.*] Voluſius ille inſulſus Poeta Patavio oriundus Annales verſibus ſcripſerat; cui quod Catullus erat iniquior, Leſbia ejus amica, ut ipſum ſibi iratum reconciliaret, voverat joco ſe annales Voluſii crematuram.

7. *Tardipedi Deo.*] Vulcanus Jovis & Junonis filius *tardipes* dicitur, quia è Cœlo à parentibus ob deformitatem dejectus eſt in Lemnum inſulam, ubi ab Eurymone Oceani filiâ & Thetide enutritus eſt: quo ex caſu ſibi crus infregiſſe dicitur, unde claudus factus eſt.

8 *Infelicibus uſtulanda lignis*] Veteribus arbores erant aliæ felices, aliæ infelices: prodigia autem, & portenta ſic illi plerumque curabant, ut ea lignis infelicibus exurerent. Macrobius. *Arbores*, inquit, *quæ inferûm Deorum avertentiumque in tutelâ ſunt, eas infelices nominant: quibus portenta, prodigiaque comburi jubere oportet.*

Quæ ſanctum Idalium, Urioſque apertos,
Quæque Anconam, Cnidumque arundinoſam
Colis, quæque Amathunta, quæque Golgos,
Quæque Dyrrachium Adriæ tabernam:
Acceptum face, redditumque votum,
Si non inlepidum, neque invenuſtum eſt.
At vos intereà venite in ignem
Pleni ruris, & inficetiarum,
Annales Voluſi cacata chatta.

INTERPRETATIO.

qua habitas Idalium venerandum, & Urios patentes, & Anconam, & Cnidum arundinibus abundantem & Amathunta, & Golgos, & Dyrrachium maris Adriati et hoſpitium tu fac admiſſum & ſolutum tibi hoc votum, ſi non eſt indecorum & injucundum: vos igitur Annales Voluſii, papyrus oleo fœdata, referti ruſticitate & ineptiis, accedite in flammas.

ANNOTATIONES.

12. *Sanctum Idalium.*] Cypri nemus & oppidum, in quo Venus colebatur, unde Idalia dicta eſt.

Urioſque apertos.] *Uria* nunc vulgò, *Orea*, urbs in orâ Apuliæ, ſeu Japygiæ in plano & edito loco ſita, poſt flexum Gargani montis: hujus incolas Catullus *Urios* appellat, apud quos Ἀφροδίτη εὐπλοίᾳ colebatur. Sunt qui legant Ætios ac populos Cypri fuiſſe dicant.

13. *Anconam.*] Urbs eſt Italiæ in Piceno ſita, *Ancon.* ſeu *Ancona* dicta.

Cnidumque.] Urbs inſignis Cnidus in extremo cornu peninſulæ Cariæ adhærens, Praxitelis Venere imprimis nobilis. Hotat. lib. 1. od. 30.

O Venus Regina Cnidi Paphique.

14. *Amathunta, quæque Golgos.*] Hæ ſunt urbes Cypri inſulæ, quæ tota Veneri ſacra.

15. *Dyrrachium Adriæ tabernam.*] Urbs eſt in eâ parte Macedoniæ, quæ mari Adriatico incumbit.

16 *Acceptum face.*] Metaphorâ ductâ ab argentariis qui acceptam redditamve pecuniam facere dicuntur, cum in tabulas ſuas referunt eam ſibi ſolutam fuiſſe.

19 *Pleni ruris.*] Hic Poëta *Rus* pro ruſticitate poſuit, ut ſuprà dixit,

Idem infaceto eſt infacetior rure.

Alii legunt, *thuris*, ſeu *turis*, quod vilioribus chartis thus & odorés involuti darentur emptori. Unde Horat.

Deferar in vicum vendentem thus & odores.

Martialis: *Et thuris piperiſque ſis cucullus*

AD CONTUBERNALES. Carm. XXXVII.

SALAX taberna, voſque contubernales,
A pileatis nona fratribus pila,

INTERPRETATIO.

O taberna libidinoſa, & vos ô ſodales nona columna poſt fratres pileatos.

ANNOTATIONES.

1. *Taberna.*] Tabernæ Romæ per pilas deſignabantur, nam cuique tabernæ ſua pila apponebatur; hinc per pilas tabernæ numerabantur, ut hoc loco Catullus, qui hic ſignificat nonam tabernam à Caſtoris templo.

2. *A pileatis nona fatribus pila*] Pileati fratres erant Caſtor & Pollux, qui Romæ habitu Laconico dedicati fuerant, pileis tecti. Lacones enim fuerunt, quibus pileatis militare mos fuit. Horum templum fuit in foro ad lacum Juturnæ, à Caſtore tantùm nominari ſolitum; etſi tùm ipſi, tùm Polluci ſacrum erat.

* *
* * *
* *
* * *
* *
* *
* nanque totius vobis
Frontem tabernæ ſcipionibus ſcribam.
Puella nam mea, quæ meo ſinu fugit,
Amata tantum, quantum amabitur nulla,
Pro qua mihi ſunt magna bella pugnata,
Conſedit iſtic. hanc boni, beatique
Omnes amatis: & quidem quod indignum eſt,
Omnes puſilli, & ſemitarii mœchi.
Tu præter omneis une de capillatis
Cuniculoſæ Celtiberiæ fili
Egnati, opaca quem facit bonum barba,
Et dens Hiberâ defricatus urinâ.

INTERPRETATIO.

* *
* *
* * *
* *
* * *
* * *Nam ſtipitibus* ſimiuſtis *exarabo faciem totius taberna veſtra. Nam amica mea quæ à me diſceſſit tantum dilecta, quantum nulla unquam diligetur; pro qua à me gravia ſunt certamina decertata, ibi commoratur. Vos omnes belli, & fortunati amatis illam, & quod minus ferendum eſt, viles omnes & vulgares ſcortatores: ſed tu præ cæteris, ô fili Egnati, une de comatis Celtiberiæ cuniculis plena, quem probum efficit denſa barba, & dentes Hiſpania lotio deterſi.*

ANNOTATIONES.

10. *Scipionibus ſcribam.*] Solebant veteres, eorum quibus obtrectare vellent, ædium fores dicteriis probroſis pingere, & quidem carbone, aut ſemiuſto ſtipite litteris ductis, quod Plautus dixit, *implere fores Elogiorum carbonibus.*

18. *Cuniculoſa Celtiberia.*] Pars eſt *Celtiberia* Hiſpaniæ Citerioris, in quâ Bilbilis & Numantia, quamque *Celtiberi* populi ex Celtis & Iberis miſto nomine dicti incoluerunt. Unde Lucanus:

Gallorum Celta miſcentes nomen Iberis.

Porrò *Celtiberia cuniculis*, & cavernis abundat. Strabo. lib. 3.

20. *Et dens Hiberâ defricatus urinâ*] Refert Strabo Hiſpanos adeo viles, ac ſordidos fuiſſe, ut ex lotio diu inter cloacas collecto lavacra ſibi conficerent, & ex eo ſibi, ſuiſque uxoribus intritis purgamentis dentes abſtergerent.

AD CORNIFICIUM. Carm. XXXVIII.

Male eſt, Cornifici, tuo Catullo,
Malè eſt mehercule, & laborioſè:
Magiſque, & magis in dies, & horas
Iraſcor tibi; ſic meos amores?
Quem tu, quod minimum, facillimumque eſt,
Quâ ſolatus es adlocutione?
Paulùm quidlibet adlocutionis,
Mœſtius lacrymis Simonideis.

Interpretatio.

1. Cornifici, ægrè eſt Catullo tuo, ægrè eſt certè, & operosè, qui etiam magis & magis in dies ſuccenſeo tibi; itane delicias meas puerum *accepiſti? Quem tu quo ſublevaſti alloquio? Quod tamen leviſſimum eſt & tibi expeditiſſimum; parùm quidpiam alloquii adhibuiſti, triſtius lacrymoſis verſibus Simonideis.*

Annotationes.

1. *Cornifici.*] Hic *Cornificius* fortè fuit, eruditiſſimus ille Poëta, cujus egregiâ operâ uſus eſt Auguſtus in bello Siculo: huic ſoror fuit nomine *Cornificia*, cujus carmen magno in pretio habitum fuit.

8. *Mœſtius lacrymis Simonideis.*] *Simonides* ex Cæâ inſulâ oriundus, Lyricus Poëta inſignis, ac Bacchilidæ Lyrici patruus condendorum carminum autor egregius, funebres laudationes ſingulari commiſeratione proſecutus eſt; ad quas alludit Horat. lib. 2. od. 1.

Cæa retractes munera næniæ.

Teſtaturque Fabius eum in triſtium rerum tractatione excelluiſſe.

IN EGNATIUM, Carm. XXXIX.

Egnatius, quod candidos habet denteis,
Renidet uſquequaque: ſeu ad rei ventum eſt
Subſellium, quum orator excitat fletum,
Renidet ille: ſeu pii ad rogum filii
Lugetur, orba quum flet unicum mater,

Interpretatio.

Egnatius arridet in omni loco, & tempore, quia habet nitidos dentes: ſive ac ceſſum eſt ad ſubſellium rei, ubi orator lachrymas commovet; tamen ipſe arridet: ſive ploratur ad funus boni gnati, quando mater orba unicum filium *plorat;*

Annotationes.

1. *Egnatius.*] Ineptiam Egnatii Hiſpani exagitat, qui ut candorem dentium, quem ſibi crebris urinæ lavacris ſpurciſſimè parabat, oſtentaret, ſemper nullâ etiam occaſione ridebat.

2. *Seu ad rei ventum eſt ſubſellium.*] Cum in judicium venit, ut advocati munere fungatur. *Subſellia* enim erant, in quibus ii judices qui Magiſtratum Curulem non gerebant, conſidebant, & cauſas cognoſcebant: quinetiam ii, qui cauſas agerent, in *ſubſelliis* erant, cum reis atque teſtibus. Aliquando etiam *ſubſellia* pro ipſis judicibus accipiuntur. Martial. lib. 1.

Sextiliane bibis quantum ſubſellia quinque.

Renidet ille: quicquid eſt, ubicunque eſt,
Quodcunque agit, renidet. hunc habet morbum
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.
Quare monendus es mihi, bone Egnati,
Si urbanus eſſes, aut Sabinus, aut Tiburs,
Aut porcus Umber, aut obeſus Hetruſcus,
Aut Lanuvinus ater, atque dentatus,
Aut Tranſpadanus, ut meos quoque attingam,
Aut quilibet, qui puriter lavit denteis:
Tamen renidere uſquequaque te nollem.
Nam riſu inepto res ineptior nulla eſt.
Nunc Celtiber in Celtiberiâ terrâ

INTERPRETATIO.

ipſe tamen arridet, quidlibet accidit, quocunque in loco eſt, quidquid facit, ſemper arridet. Hoc habet vitium, neque, ut opinor, facetum, nec venuſtum. Itaque illud monendus es à me, ô bone Egnati, ſi Romanus, aut Sabinus eſſes, aut Tiburtinus, aut obeſus Umber, aut pinguis Tuſcus, vel Lanuvinus niger, & denteſus, vel Tranſpadanus, ut etiam meos attingam: ſi denique *quivis eſſes, qui purè dentes* ſuos *abluit; non tamen concederem te omni loco & tempore arridere: neque enim quicquam abſurdius eſt riſu intempeſtive. Jam vero cum ſis Celtiber* natus *in Celti-*

ANNOTATIONES.

10. *Si urbanus, aut Sabinus aut Tiburs.*] Hic *urbanus* idem eſt ac Romanus, quemadmodum *Urbs* κατ᾽ ἐξοχὴν dicitur Roma. *Sabini* autem populi fuerunt in quarta Italiæ regione non longè ab urbe Romà. Hi graves habiti fuerunt & auſteri. Horat. lib. 2. epiſt. 1.

Vel Gabiis, vel cum rigidis æquata Sabinis.

Tiburs Civitas in Sabinis, crebris fontibus irrigua, olim Polyſtephanos dicta, à *Tiburto*, Catillo & Corace Græcis, *Amphiarai* liberis communiter condita, & a *Tiburtis* ſolius nomine *Tibur*, ſeu *Tiburs* appellata. *Tiburs* etiam idem eſt ac *Tiburtinus*, & *Tiburtius*.

11. *Aut porcus Umber.*] *Umbria* Italiæ regio dicta ἀπὸ τοῦ ὄμβρου, hoc eſt, ab imbre, quòd *Umbri* omnium Italiæ populorum antiquiſſimi inundationi terrarum imbribuſque ſuperfuiſſe credantur: vel *Umbria* dicta eſt ab umbra, quòd ea regio propter Apennini montis vicinitatem umbroſa ſit, cujus incolæ dicti ſunt *Umbri* vel *Umbrici*. *Porcus* autem, Varrone teſte, pinguis & obeſus veteribus dicebatur. Alii verò legunt, *parcus*, ſed malè; nam luxus *Umbrorum* à multis inceſſitur ſcriptoribus idoneis.

Aut obeſus Hetruſcus.] *Hetruria* ſive *Thuſcia* Italiæ item regio eſt à Latio Tiberi, à Liguribus Macro fluvio diviſa. Hujus incolæ *Hetruſci*, *Thuſci*, ac etiam *Tyrrheni* appellantur.

12. *Lanuvinus ater.*] *Lanuvii* civis, quod oppidum eſt Latii ad viam Appiam à Diomede conditum.

13. *Tranſpadanus*] *Tranſpadana* regio ea pars eſt Italiæ, quæ inter Apenninum & Alpes ſita eſt ad Padum flumen, in qua Verona Poetæ noſtri patria.

14. *Puriter lavit*] Veteres *puriter*, *proterviter*, *ignaviter*, *ſuperbiter*, *temeriter*, &c dicebant ait Priſcian. *Lavit* etiam pro *lavat*: ſicut & *lavo*, *lavas*, & *lavo*, *lavis*, veteres efferebant.

Horat. lib. 4. Ode 6.

Phœbe qui Xantho lavis amne crines.

Virgil.

———— *Lavit improba teter Ora cruor.*

17. *Celtiber*] Alii legunt, *Celtiberus*, veriti ne una ſyllaba deficiat verſus. *Celtiberi* porro populi ſunt Hiſpaniæ ad Iberum flumen ſiti, quorum regio dicta eſt *Celtiberia*, à Celtis & Iberis ſimul mixtis & habitantibus. Vide Strabon, lib. 3. Plin. lib. 3. cap. 4. & lib.

Quod quiſque minxit, hoc ſolet ſibi mane
Dentem, atque ruſſam defricare gingivam;
Ut quo iſte veſter expolitior dens eſt,
Hoc te amplius bibiſſe prædicet lotî.

INTERPRETATIO.

biria regione, ubi *unuſquiſque mane ſolitus eſt abſtergere* ſibi *dentes & rubentes gingivas eo* lotio, *quod minxit*, facis indecorè renidendo, *ut quanto nitidiores ſunt iſti dentes veſtri, tanto magis indicent vos ebibiſſe plus urina.*

ANNOTATIONES.

4. cap. 17. *Celtiberiam vero terram* dixit Catullus, quomodo *Galliam terram*, & *Africam terram* dixit Cæſar Comment. de Bell. Gall. & ut dixit Gellius lib. 11 cap. 22. *Ventum qui ex Gallia terra flaret, Circium appellari.*

19. *Ruſſam defricare gingivam.*] Spurciſſimam Hiſpanorum inſectatur fœditatem, de qua etiam Apuleius Apolog.

21. *Loti.*] Synæreſis eſt, pro, *lotii*, quod eſt non urina ſolum hominis, ſed aliorum quoque animalium. Fœdum autem hunc Hiſpanorum morem præter noſtrum Catullum notarunt etiam Diodorus Sicul. lib. 5. & Strabo Geograph. lib. 3. qui Hiſpanos urinâ & *lotio* in ciſternis inveteratis non tantum dentes, ſed & totum corpus lavare conſueviſſe ſcripſerunt.

AD RAVIDUM. Carm. XL.

QUÆNAM te mala mens, miſelle Ravide,
Agit præcipitem in meos iambos?
Quis Deus tibi non benè advocatus,
Vecordem parat excitare rixam?
Anne ut pervenias in ora volgi?
Quid vis? qua lubet eſſe notus optas?
Eris: quandoquidem meos amores
Cum longa voluiſti amare pœna.

INTERPRETATIO.

1. *Quænam te dira mens, ô infelix Ravide, præcipitat in meos iambos? quis Deus male invocatus à te vult inſanam movere contentionem? An* hoc facis *ut in ſermonem hominum venias? quid cupis? An vis notus eſſe quacumque poſſis ratione? Eris; quoniam auſus es amare meam puellam cum ſempiterno* tuo *ſupplicio.*

ANNOTATIONES

1. *Quænam te Ravide.*] Ægrè ferens Poeta noſter *Ravidum* quemdam obſcurum ac vilem hominem factum eſſe ſibi Rivalem, minatur ſe mordaces iambos in ipſum vibraturum, ut ſic tandem notus, & ad infamiam traductus evadat in fabulam vulgi.

3. *Non bene advocatus.*] Hoc eſt, non legitimo ritu placatus. A Diis enim iratis mala conſilia veteres immitti putabant. Cicer. pro Mil. *Dis immortales mentem dederunt illi perdito ac furioſo, ut illi faceret inſidias; aliter perire peſtis illa non poterat.*

8. *Cum longa voluiſti amare pœna.*] Quia nempè tamdiu ab hominibus infamia Ravidi ridebitur, quamdiu Catulli carmina legentur.

DE ACME. Carm. XLI.

ACME, an illa puella * * * *
Tota millia me decem popoſcit?
Iſta turpiculo puella naſo,
Decoctoris amica Formiani?
Propinqui, quibus eſt puella curæ,
Amicos, medicoſque convocate.
Non eſt ſana puella, nec rogate
Qualis ſit. ſolet hæc imaginoſum.

INTERPRETATIO.

Acme illa puella. . . . . à me poſtulavit decem millia integra nummorum! *puella*, inquam, *iſta naſo turpi*, quæ eſt *amica* illius Mamurræ *Formiani decoctoris*! Vos ô *cognati, in quorum tutela eſt* iſta *puella, amicos veſtros & medicos advocate. Nam puella* iſta *non eſt ſui compos; nec quærite quo malo laboret; nam ipſa conſuevit imaginoſum* morbum pati.

ANNOTATIONES.

1. *Acme.*] Meretriculam *Acmen*, cujus blanditiis fuerat delinitus, inſectatur Poeta, quòd ab ipſo decem millia nummorum pro mercede concubitus auſa ſit poſtulare; eamque ob id velut inſanam, phreneticam & larvarum imaginationes patientem traducit; quæ nempè, cùm eſſet deformis, prorſuſque infamis, ac projectæ turpitudinis proſtibulum, cuperet ſibi tantum pretium dari.

2. *Tota millia.*] Hoc à Demoſthenis dicto ſumitur, à quo cum Lais famoſa meretrix mille drachmas ad concubitum petiiſſet; ipſe reſpondit: *non emo tanti pœnitere.*

4. *Decoctoris Formiani.*] *Decoctores* dicuntur ii, qui bonis malè conſumptis gula ad inopiam redacti fallunt creditores. Ille vero, de quo hic Catullus, Mamurra eſt *Formiis* urbe Campaniæ oriundus, Julii Cæſaris Fabrûm præfectus, de quo plura poſteà.

8. *Solet hæc imaginoſum.*] Antiqui verbo, *ſolet*, infinitivum ſæpiùs non adjungebant. Plautus.

Quæ cum viris ſuis prædicant nos ſolere.

Catullus infrà Carm. CXIII.

Conſule Pompeio primùm duo, Cinna, ſolebant
Mœchi. ——————

Solere autem *imaginoſum*, eſt imaginoſo morbo conflictari. *Morbus* verò *imaginoſus* eſt vel cum phantaſmata & imaginationes animo occurrunt; vel cùm tinnitibus aures perſonantur. Qui autem hoc morbo laborant, inſomniis vexantur, & ſæpè patentibus oculis dormiunt. His porro morbis affecti dicebantur olim *Corybantiare*, quod vetuſtas ſuperſtitioſa imagines illas à Corybantibus immitti crederet. Sed forſan dicit Poeta imaginoſum morbum pati puellam, quòd nempè ita eſſet inſana mente, ut ſe formoſam crederet, cùm eſſet omninò deformis & turpis.

IN QUANDAM. Carm. XLII.

Adeste hendecaſyllabi, quot eſtis
Omnes undique, quotquot eſtis omnes.
Jocum me putat eſſe mœcha turpis,
Et negat mihi veſtra redditutam
Pugillaria: ſi pati poteſtis,
Perſequamur eam, & reflagitemus.
Quæ ſit, quæritis? illa, quam videtis
Turpe incedere mimice, ac moleſte
Ridentem catuli ore Gallicani.
Circumſiſtite eam, & reflagitate:
Mœcha putida redde codicillos.
Redde putida mœcha codicillos.
Non aſſis facis? ô lutum, lupanar,
Aut ſi perditius poteſt quid eſſe.

Interpretatio.

O verſus *hendecaſyllabi*, *adeſte* huc *omnes undequaque*, *quotquot eſtis*, *omnes quotquot eſtis*, quantumvis multi. *Ridiculum me habet fœta adultera*, *aitque ſe minimè eſſe reddituram mihi veſtras tabellas*; *ſi ferre valetis eam inſectemur*, *& pugillares repoſcamus*. An vos *rogatis quanam* illa *ſit*? *illa* ipſa *eſt*, *quam conſpicitis turpiter incedere*, *hiſtrionum more*, *& moleſtè cachinnantem rictu canis Gallici*. *Circumvenite illam*, *&* codicillos *repoſcite*. *O turpis adultera*, *reſtitue* mihi *pugillares*, *reſtitue* mihi, *turpis adultera*, meos *pugillares*. *Non tu* *æſtimas unius aſſis*? O *Cœnum*, ô *proſtibulum*, *aut ſi quid aliud poteſt eſſe fœtidius &*

Annotationes.

1. *Hendecaſyllabi.*] Carminis genus eſt ita dictum ab undecim, è quibus conſtat, ſyllabis, alio nomine Phalæcium ſeu Phaleucium ab ejus inventore Phaleuco nuncupatum. Hoc maximè Catullus excellit Carmine: unde ejus opem in ſui ultionem implorat, ut pugillares à meretrice quadam ſibi ſubreptos extorqueat. Primùm quidem eam conviciis aggreditur, quæ cum nihil proſint, tandem etiam blanditiis eam demulcere tentat.

3. *Jocum me putat*] Sic Propert. lib. 2. eleg. 24.

——— ——— *ſed me*
Fallaci dominæ jam pudet eſſe jocum.

5. *Pugillaria.*] *Pugillares* & *pugillaria*, dixerunt Antiqui. Tabellæ erant ligneæ, vel cereæ, vel etiam eboreæ, aut ex alia materie. in quibus ſtylo ſcribebatur. Dixit autem Catullus, *veſtra pugillaria*, alloquendo ſuos verſus hendecaſyllabos, quia nimirùm his ſcribendis erant dicata.

8. *Mimice.*] Id eſt, turpiter incedendo geſticulantem. Alii legunt *myrmice*, ut ſit ita lento gradu, formicarum more, incedere, ut vix pedi pes præferatur. Plaut. in Menœch.

9. *Catuli ore Gallicani.*] Celebrantur apud Veteres è Gallia venatici canes. Ovid. 1. Metamorph.

Ut canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo
Vidit, & hic prædam pedibus petit, ille ſalutem.

Vide etiam Plin. lib. 8. cap. 40. *Ridere* porrò *ore canis Gallicani*, eſt turpiter ac latè os inter ridendum diducere. ut patulus eſt rictus canis venatici.

11. *Redde codicillos.*] *Codicillorum* nomine, hic tabellæ ſeu pugillares accipiuntur; ſed ab *Auguſti* Imperato

Sed non eſt tamen hoc ſatis putandum.
Quod ſi non aliud poteſt, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.
Conclamate iterum altiore voce:
Mœcha putida redde codicillos,
Redde putida mœcha codicillos.
Sed nil proficimus, nihil movetur;
Mutanda eſt ratio, modusque vobis,
Si quid proficere amplius poteſtis.
Pudica, & proba redde codicillos.

INTERPRETATIO.

turpius. Non tamen æſtimandum eſt hoc ſufficere; quòd ſi quid *aliud* fieri *non poteſt*, ſaltem *eliciamus ruborem ex impudenti vultu* illius *canis. Rurſus igitur conclamate altiori voce; fœtida adultera, reſtitue* mihi meos *pugillares; reſtitue* mihi, *fœda adultera*, meos *pugillares. Sed nihil promovemus; nec flectitur noſtris conviciis. Mutanda eſt* igitur *vobis* agendi *ratio, & modus, ſi quid amplius poteſtis proficere; ô caſta & honeſta mulier, redde* mihi *meos pugillares.*

ANNOTATIONES.

ris temporibus apud Juriſconſultos *codicilli* ſumuntur pro ſcriptis, quibus aliquis ultimam ſuam voluntatem profitetur.

17. *Ferreo.*] Perditæ mulieris impudentiam notat, cujus os dicitur *ferreum*, quomodo apud Ariſtophanem *vir ferreus ἀνὴρ ἀναιδῆς*, & apud Ovid.

——— *dure puer oris & audax.*

24. *Pudica & proba.*] Cum nihil convicia profuerint, ficta etiam tentat adhibere blanditias.

AD AMICAM FORMIANI. Carm. XLIII.

Salve nec nimio puella naſo,
Nec bello pede, nec nigris ocellis,

INTERPRETATIO.

Tu ſalva ſis, ô puella, neque nimio naſo, neque eleganti pede, neque nigris oculis,

ANNOTATIONES.

1. *Nec nimio puella naſo.*] Eandem exagitat Acmen Formiani amicam, de qua jam Carm. XLII. quamque nullum pene naſum habuiſſe innuit. Plures tamen legunt, *nec minimo naſo*, ſed cum Scaligero legendum putamus, *nimio*, cùm alibi Catullus dixerit Acmen eſſe *turpiculo naſo*; non enim naſum immodicum & nimium dixiſſet *turpiculum*.

2. *Nec bello pede.*] Pedis brevitas & elegans forma laudatur in puellis. Ovid. lib. 3. Amor.

Pes erat exiguus, pedis hæc aptiſſima forma eſt.

Nec nigris ocellis.] Commendabatur olim apud Romanos, maximè in mulieribus, oculorum & ſuperciliorum nigror; quæ enim mulieres naturâ non habebant nigra ſupercilia, denigrabant arte, qoud ſignificat Juvenalis Satyr. 2.

Ille ſupercilium madidâ fuligine tinctum
Obliquâ producit acu: pingitque trementes
Attollens oculos.

Nec longis digitis, nec ore ſicco,
Nec ſanè nimis elegante linguâ,
Decoctoris amica Formiani.
Ten' provincia narrat eſſe bellam?
Tecum Lesbia noſtra comparatur?
O ſæclum inſipiens, & inficetum!

Interpretatio.

neque longis digitis, neque ore ſicco, neque certè ſermone nimium venuſto. O amica decoctoris Formiani. An Provincia prædicat te pulchram & formoſam eſſe? An confertur tecum noſtra Lesbia? ô ſæculum fatuum & inſulſum.

Annotationes.

3. *Nec longis digitis.*] *Longi* elegantesque *digiti* manuum formam commendabant.
De ſua Cynthia lib. 2. Eleg. 2.
Fulva coma eſt, longæque manus, & maxima toto
Corpore, & incedit vel Jove digna ſoror.

Nec ore ſicco.] Nimia ſalivæ abundantia, ſputique frequentius excrementum in puellis præcipuè indecorum eſt. Juvenalis Satyr. 6.
Jam gravis es nobis, & ſæpè emungeris, exi
Ocyus, & propera: ſicco venit altera naſo.

6. *Ten' provincia.*] *Provinciam* hic appellat regionem Tranſpadanam, in qua & amica Mamurræ, & Catullus, cum hæc ſcriberet, erant. Tunc enim ibi Mamurra Fabrorum Cæſaris præfectus verſabatur. *Ten'* autem pro *tene* interrogativè & cum admiratione, ut infinitis locis apud Plautum & Terentium.

8 *O ſæclum inſipiens.*] O homines inſipientes, & penitus judicio carentes, qui hoc ſæculo vivunt, turpemque & deformem Mamurræ amicam cum formoſa Lesbia comparant!

AD FUNDUM. Carm. XLIV.

O Fvnde noſter, ſeu Sabine, ſeu Tiburs,
Nam te eſſe Tiburtem autumant, quibus non eſt
Cordi Catullum lædere. At quibus cordi eſt,

Interpretatio.

O prædium meum, ſive Sabinum ſis, ſive Tiburtinum; ii enim, quibus non placet Catullum offendere, exiſtimant te eſſe Tiburtinum: ii verò, quibus placet

Annotationes.

1. *O funde.*] Agro ſuo gratulatur, agitque gratias, quòd in eo commodiſſimè ſit hoſpitatus, & tuſſi liberatus, quam apud ſuum Sextium contraxerat, cùm orationem quamdam inter cœnandum audiviſſet.

2. *Te eſſe Tiburtem*] Mavult Poeta fundum ſuum eſſe *Tiburtem* quàm Sabinum, vel quod agri *Tiburtis* amœnitas celebrior eſſet, quàm Sabini; vel fortè quòd Sabinus ager vectigalis eſſet, vel militibus attributus. *Tiburtini* porrò populi ſunt Latii Sabinis confines, à *Tibure* ſeu *Tiburte* civitate ſic dicti; cujus regionis ſumma fuit amœnitas: unde & Horatius eam ſedem ſenectuti optat ſuæ. Od. 6. lib. 2.
Tibur Argæo poſitum colono
Sit meæ ſedes utinam ſenectæ, &c.
Et poſt pauca.
Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet. ——

Quovis Sabinum pignore eſſe contendunt.
Sed ſeu Sabine, ſive veriùs Tiburs,
Fui libenter in tuâ ſuburbanâ
Villâ, malamque pectore expui tuſſim:
Non immerenti quam mihi meus venter,
Dum ſumptuoſas appeto, dedit, cœnas.
Nam Sextianus dum volo eſſe conviva,
Orationem in Attium petitorem
Plenam veneni, & peſtilentiæ legit,
Hic me gravedo frigida, & frequens tuſſis
Quaſſavit, uſquedum in tuum ſinum fugi,
Et me procuravi ocimoque, & urticâ.
Quare refectus maximas tibi grateis
Ago, meum quòd non es ulta peccatum.
Nec deprecor jam, ſi nefaria ſcripta
Sexti recepſo, quin gravedinem, & tuſſim

INTERPRETATIO.

illam offendere, quolibet etiam *depoſito pignore te eſſe Sabinum contendunt. At verò ſive ſit Sabinum, ſive potiùs Tiburtinum, egregiâ animi alacritate verſatus ſum in rure tuo ſuburbano, & excreavi moleſtam tuſſim è* meo *pectore. quam mihi non immeritò alvus mea attulit, cùm lauta convivia quærerem. Cùm enim cuperem eſſe conviva Sextii. recitavit* mihi *orationem adverſus alterem* ſuum *Attium, refertam veneno & peſtilentiâ: ibi me algida gravedo & crebra tuſſis vexavit, donec in tuum gremium confugi, ac me curavi ocimo & urticâ. Itaque jam recreatus maximas tibi refero gratias,* ô villa. *quòd non punieris culpam meam. Nec recuſo nunc quin, ſi rurſùs recepero deteſtanda ſcripta Sextii, frigus*

ANNOTATIONES.

4 *Sabinum.*] Ejuſdem Latii populi ſunt *Sabini*, quorum fines erant anguſti, nec procul extenſi: unde non vult Catullus ſuum agrum eſſe *Sabinum*, ſed potius Tiburtinum, cujus nempè fines vellet eſſe latiùs protenſos.

7. *Villa.*] Dicta eſt domus ruſticana quaſi *vehilla*, quia illuc fruges, & inde in urbem vehebantur. *Suburbana* verò dicitur quæ non procul ab urbe eſt.

11. *Orationem.*] Mos fuit Antiquis, ut ubi quid ſcripſerant, amicos convocarent, iiſque illud quidquid erat, recitarent, ac ipſorum judicio ſubjicerent, antequam in lucem ederetur.

12. *Plenam veneni*] Maledictorum nempè quibus Attium, alii legunt *Antium* competitorem ſuum proſcindebat. *Petitore* verò dicebantur, qui eumdem Magiſtratum petebant.

13. *Gravedo frigida.*] Capitis morbus eſt, cùm humor craſſior è cerebro in nares defluit, nares ipſas obſtruit, vocem obtundit, & tuſſim ſiccam & frequentem movet.

15. *Ocimo & urtica.*] Alii legunt, *otio. Urtica* medetur tuſſi, ut ſcribit Plin. lib. 22. & Cornel. Celſus lib. 4. de tuſſi loquens: *Cibus interdum mollis, ut malva & urtica.*

Ocimum etiam cum roſaceo, aut aceto capitis doloribus mederi dicit Plin. lib. 20. cap. 12.

17. *Quòd non es ulta.*] Ad villam debet referri quæ verſu præcedenti debuit ſubaudiri cum dixit,

——— *maximas tibi grateis*
Ago. ———

19. *Recepſo.*] Antiquè dictum pro, *recepero*. Sic Cicero lib. 2. de leg. *Sacrum ſacrove commendatum ſi quis clepſit rapſitve, parricida eſto*: pro *clepſerit & rapuerit.* Sic & Virgil. lib. 11. Æneid.

Cætera qua juſſo mecum manus inferat arma.

Id eſt, *juſſero*.

Non mî, ſed ipſi Sextio ferat frigus,
Qui tunc vocat me, quum malum legit librum.

INTERPRETATIO.

afferat catharrum & tuſſim, non mihi quidem *, ſed ipſi Sextio. qui tum me invitat, quando nefarium librum legit.*

ANNOTATIONES.

20 *Sextio.*] Plures aſſerunt hunc eumdem eſſe cum P. Sextio Equite Romano, pro quo exſtat Ciceronis oratio.

DE ACME & SEPTIMIO. Carm. XLV.

ACMEN Septimius ſuos amores
Tenens in gremio, Mea, inquit, Acme,
Ni te perditè amo, atque amare porrò
Omneis ſum aſſiduè paratus annos,
Quantum qui pote plurimum perire:
Solus in Libyâ, Indiâque toſtâ,
Cæſio veniam obvius leoni.
Hoc ut dixit; Amor ſiniſtra ut ante,
Dextram ſternuit adprobationem.
At Acme leviter caput reflectens,

INTERPRETATIO.

Septimius complectens in ſinu Acmen delitias ſuas, ait illi: ô Acme mea, ſi te non amo vehementiſſime, & paratus non ſum jugiter amare te deinceps per ætatem omnem, quantum qui maximè amare poteſt, obvius occurram glauco leoni ſolus in Libyâ aut Indiâ torridâ. Statimatque pronuntiavit iſta verba, Cupido à læva parte ſternutavit proſperum conſenſum, ut priùs. Acme verò retorquens

ANNOTATIONES.

1. *Acmen.*] Deſcribit Septimii & *Acmes* meretricis auſpicatiſſimos amores, quaſque blanditias ſibi invicem dicebant faciebantque, exponit.

5. *Perire.*] Pro *deperire* dicitur, quod eſt impatienter amare, & amando uri. Plaut. in Truculent. *Tres unam pereunt adoleſcentes mulierem.*

6. *In Libya Indiaque toſta.*] Tertia pars totius orbis eſt, quam & Africam dicimus. Sic autem appellata *Libya* putatur, quòd inde Libs ventus flare ſoleat.

India verò regio orientalis Aſiæ terminus eſt, quæ tam vaſta eſſe perhibetur, ut eam tradant eſſe tertiam partem omnium terrarum.

7. *Cæſio leoni.*] *Cæſius* eſt color ſubviridis igneo quodam ſplendore intermicans, qualem in leonis oculis potiſſimùm cernimus: hujuſmodi oculos Minervæ bellorum præſidi tribuerunt Poëtæ, utpote præferocis animi indices.

8. *Amor ſiniſtra.*] Licet *ſiniſtrum* ſignificet *infauſtum*, & *inominatum*, quantum tamen ad Deos & auguria pertinet, ſignificat *proſperum*. Cicero de Legib. *Is ave ſiniſtrâ dictus populi magiſter eſt.*

Et illud Virgil.

Intonuit lævum, &c.

Nam quæ nobis ſiniſtra ſunt, Diis & Cœlitibus dextra habemus. Alii tamen aliter interpretantur, ut ſenſus ſit: *Amor dextra ſternuit approbatione, ut antè ſiniſtra*, id eſt, cœpit propitius eſſe, ſicut antè fuerat adverſus & ſiniſter. Sternutationem namque habebant pro ſigno confirmandi augurii & amoris. Propert.

Aridus argutum ſternuit omen Amor.

9. *Dextram ſternuit adprobationem*] Hoc eſt, propitiam & proſperam. In

Et dulcis

Et dulcis pueri ebrios ocellos
Illo purpureo ore ſuaviata,
Sic, inquit, mea vita Septimille,
Huic uni domino uſque ſerviamus;
Ut multò mihi major, acriorque
Ignis mollibus ardet in medullis.
Hoc ut dixit, Amor ſiniſtra, ut ante,
Dextram ſternuit adprobationem.
Nunc ab auſpicio bono profecti,
Mutuis animis amant, amantur.
Unam Septimius Miſellus Acmen
Mavult, quàm Syrias, Britanniaſque.
Uno in Septimio fidelis Acme
Facit delicias libidineſque.
Quis ullos homines beatiores
Vidit? quis Venerem auſpicaciorem?

INTERPRETATIO.

leviter cervicem. & vultu illo rubicundo oſculata ſuavis adoleſcentuli oculos ebrios, ô mi Septimille, inquit illa, vita mea, ita ſemper obſequamur ſoli huic domino, quemadmodum flamma multò vehementior, & acrior mihi flagrat in teneris viſceribus. Statim atque verba iſta dixit. Cupido à læva parte ſternutavit felicem conſenſum ſuum, *ut priùs. Jam verò à proſperis iſtis omnibus auſpicati affectu mutuo amant, & amantur. Septimius infelix ſolam Acmen plus amat. quàm* omnes *Syrias & Britannias. Acme conſtans in uno Septimio amores* ſuos, *& voluptates ponit. Quis* unquam *vidit mortales ullos fortunatiores? quis* unquam *vidit amorem feliciorem?*

ANNOTATIONES.

quam ſententiam Theocritus ſcribit Simichidæ paſtori amores ſternutaviſſe, in bonum auſpicii omen. Penelope etiam apud Homerum Odyſſ. lib. 14. è ſternutatione Telemachi gaudio perfunditur.

11 *Ebrios ocellos.*] Amore ſcilicet. Sic Anacreon Ἐς πολιὸν κῦμα κολυμβῶ μεθύων ἔρωτι.

19. *Auſpicio bono.*] Sine *auſpicio* Veteres nihil agebant, ut Cicero libro ſecundo de divinat. & Valerius Maximus lib. 2. cap. 1. teſtantur. Sunt igitur bona auſpicia quæ cogunt res inchoare; ſunt mala quæ prohibent.

20. *Mutuis animis.*] Summa eſt in amore felicitas invicem æquè amari.

22. *Syrias Britanniaſque.*] Romanis ſolemne erat provincias plurali numero enuntiare ad majorem vim exprimendam. *Syria* porrò eſt Aſiæ regio quæ quaſi in medio orbe conſtituta dicitur, quo fit, ut nec frigore nimio rigeat, nec calore torreatur.

Britannia Inſula eſt in Oceano Septentrionali, omnium quæ Europæ adjacent maxima, à *Brutone* rege ſic dicta, cùm priùs *Albion* diceretur.

* AD SEIPSUM, DE ADVENTU VERIS. Carm. XLVI.

Jam ver egelidos refert tepores,
Jam cœli furor æquinoctialis
Jucundis Zephyri ſileſcit auris.
Linquantur Phrygii, Catulle, campi,
Nicææque ager uber æſtuoſæ.
Ad claras Aſiæ volemus urbeis.
Jam mens prætrepidans avet vagari.
Jam læti ſtudio pedes vigeſcunt.
O dulces comitum valete cœtus,
Longè quos ſimul à domo profectos,
Diverſæ vario viæ reportant.

INTERPRETATIO.

Nunc ver reducit nobis *tepidam temperiem; jam ira veri æquinoctialis conticeſcit blandis flatibus Favonii. O Catulle deſeratur Phrygia regio, & terra fertilis Nicææ fervida, & ad urbes Aſiæ inſignes advolemus. Iam animus meus prægeſtiens optat excurrere. Iam pedes mei affectu alacres vigent. Valete, ô jucunda comitum turba, quos pariter profectos procul à patria varia itinera ad varia loca reducunt.*

ANNOTATIONES.

* CATULLUS è Bithynia decedens, ubi hyemaverat, coactus eſt in Troade ob fratris valetudinem ſubſiſtere, ubi ipſum ex morbo amiſit, cumque humavit.

1. *Egelidos tepores.*] Quia extra frigus jam ſunt, ut cùm *egelida* dicitur aqua, cùm incipit calefieri, & jam eſt tepida, ut habet Suetonius in Auguſto cap. 82. *ſudabat ad flammam, deinde perfundebatur egelida aquâ vel Sole multo calefactâ.* Aliquando verò idem eſt *egelidus* ac *valdè gelidus* ſicut *edurus, valdè durus*, ut ait Servius 8. Æneid. Utramque vocabuli ſignificationem unico verſu complexus eſt Ovidius.

Egelidum Boream, egelidumque Notum.

3. *Zephyri.*] Ventus eſt Æquinoctialis tepens & jucundus, qui ſub Æquinoctium Vernum ab occaſu ſpirat.

4. *Phrygii campi.*] Aſiæ minoris pars eſt *Phrygia*, Cariæ, Lydiæ, Myſiæ, & Bithyniæ contermina, cujus incolæ dicti ſunt *Phryges*. Quidam pro *linquantur*, legunt, *liquantur*, hoc eſt, tepeſcunt, & glacie diſſipatâ molliores fiunt. quod non improbo.

5. *Nicææque ager æſtuoſæ.*] *Nicæa* urbs eſt Bithyniæ quondam primaria, ad Aſcanium lacum, quam primus Antigonus Philippi filius condidit, *Antigoniamque* appellavit, poſtea Lyſimachus a nomine uxoris Antipatri filiæ, *Nicæam* voluit nominari. De hac Plin. lib. 5. cap. ultimo. Et Strabo lib. 12. Dicitur *æſtuoſa* Catullo, quòd ibi aër æſtivo tempore non ſit admodum ſaluber: unde etiam nonnulli volunt eam à Poëta *æſtivoſam* vocari.

6. *Ad claras Aſiæ volemus urbeis.*] Duplex eſt *Aſia*, major & minor. Sed rurſus in *Aſia* minori Provincia eſt *Aſia* propriè dicta, in qua hæ quatuor urbes celebres ſunt, quas a numero *quadrigam Aſiæ* vocat Propertius, ſcilicet Epheſus, Smyrna, Colophon & Miletus.

11. *Diverſæ vario viæ.*] Alii legunt, *variè*, quia non uno & eodem tempore, eademque ratione erant domum redituri: alii, *varie*, quia nempè in varia loca ſinguli proficiſcebantur.

AD PORCIUM, & SOCRATIONEM. Carm. XLVII.

Porci, & Socration, duæ ſiniſtræ
Piſonis ſcabies, fameſque Memmî:
Vos Veraniolo meo, & Fabullo
Verpus præpoſuit Priapus ille?
Vos convivia lauta ſumptuosè
De die facitis, mei ſodales
Quærunt in trivio vocationes?

INTERPRETATIO.

O *Porci & Socration, lava duæ Piſonis ſcabies, & eſuries Memmii!* an *vos obſcænus iſte recutitus prætulit Verannio & Fabullo?* an *vos ſplendidas epulas de die magnificè inſtruitis*, dum *familiares mei in plateis expectant invitationes.*

ANNOTATIONES.

1. *Porci & Socration duæ ſiniſtræ*] Invehitur acriter in *Porcium* & *Socrationem* homines impudicos, quos ob ſtupri merita Memmius & Piſo Prætores, Verannio & Fabullo honeſtis adoleſcentibus præpoſuerant.

2. *Piſonis ſcabies fameſque Memmii.*] His nominibus exagitat Poëta *Porcium* & *Socrationem*, quòd altero *Piſo* uteretur ad voluptatem & libidinem, altero *Memmius* ad avaritiam explendam. Alii loco *Memmii* legunt *mundi*, quòd nempè iſti duo nebulones omnium bona diriperent, famelicoſque omnes redderent. Sunt qui velint legi, *mundi Piſonis*, id eſt, *frugi*, quod erat *Calphurniorum*, quorum de gente erat *Piſo*, cognomen.

4. *Verpus.*] Propriè dicitur Judæus circumciſus, qui & *recutitus.*
Unde Martial.

Delapſa eſt miſero fibula verpus erat.

De Memmio ſupra Catullus. Carm. XXVIII.

Sed quantum video pari fuiſtis
Caſu.

6. *De die facitis*] De die apparare convivium eſt maturè ac de meridie cœnam inſtruere, cùm ſerò tantùm apparari ſoleret. De nocte porrò quam de die indulgere genio tolerabilius habebatur; diem enim agendis rebus, noctem curandis corporibus, animoque exhilarando impendi volebant. Unde Cato ipſe largiùs ac proliхiùs de nocte invitari libenter conſueviſſe dicitur.

7. *Quærunt vocationes.*] Verannius & Fabullus, de quibus ſuprà Carm. XXVIII. in triviis expectantes dum ſe aliquis ad cœnam invitet. *Vocare* enim Veteres pro *invitare ad cœnam* dicebant. Unde ſuprà Catullus Carm. XLIV.

Qui tunc vocat me cùm malum legit
librum.

Paraſitus quidam apud Plautum in Sticho.

Negare nulli ſoleo, ſi quis me vocat.

AD JUVENTIUM. Carm. XLVIII.

Mellitos oculos tuos, Juventi,
Si quis me ſinat uſque baſiare,
Uſque ad millia baſiem trecenta,
Nec unquam ſaturum inde cor futurum eſt:
Non ſi denſior aridis ariſtis
Sit noſtræ ſeges oſculationis.

Interpretatio.

O *Juventi, ſi quis patiatur me ſemper oſculari dulces tuos oculos, oſcularer* illos *uſque ad trecenta* oſculorum *millia; nec* tamen *unquam mihi videor* inde *exſatiandus, etiamſi ſeges* & multitudo *mea baſiationis copioſior eſſet ſpicis ſiccis.*

Annotationes.

1. *Inventi.*] Gentem *Iuventiam* imprimis claram fuiſſe conſtat. M. *Iuvencius* cum Tiberio Graccho Conſul fuit. Ex eadem gente M. *Iuventius* Laterenſis, qui Plancum ambitûs accuſavit, quique ſibi ipſe in Lepidi caſtris mortem conſcivit. *Iuventius* autem de quo hic Catullus, is ipſe eſt de quo ſuprà Carm. XXIV.

O qui floſculus es Iuventiorum!

De hoc etiam infrà Carm. LXXXI. & XCVII.

Subripui tibi dum ludis, mellite Iuventi,
Suaviolum dulci dulcius ambroſiâ.

3. *Uſque ad millia baſiem trecenta.*] Ardentem animi affectum, amoremque intimum penitus expreſſit. Nam ut ait Plin. *Oculos cum oſculamur, animum ipſum videmur attingere.*

6. *Seges oſculationis.*] Sic etiam Virgilius dixit:

Telorum ſeges. ———

AD M. T. CICERONEM. Carm. XLIX.

Diſertiſſime Romuli nepotum,
Quot ſunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque pòſt aliis erunt in annis:
Gratias tibi maximas Catullus
Agit peſſimus omnium Poëta:

Interpretatio.

O *Marce Tulli eloquentiſſime Romuli poſterorum, quotquot ſunt, vel fuerunt, vel erunt poſteà ſæculis venturis: Catullus Poeta omnium peſſimus agit tibi ſum-*

Annotatio.

1. *Marce Tulli.*] Ciceroni Poëta noſter modeſtè maximas agit gratias ob patrocinium ſibi in aliqua cauſa, quam non licet divinare, exhibitum.

Tantò peſſimus omnium Poëta,
Quantò tu optimus omnium Patronus.

INTERPRETATIO.

*mas gratias, tanto peſſimus omnium Poëta, quanto tu optimus & præſtan*tiſſimus es *omnium Orator.*

ANNOTATIO.

7. *Omnium Patronus.*] Videtur Cicero vulgò dictus eſſe *omnium patronus.* Aulus enim Cæcinna Epiſt. 7. lib. 8. ad familiares. ad Ciceronem ſic ſcribit: *Ubi hoc omnium patronus facis, quid me veterem tuum, nunc omnium clientem ſentire oportet?* Lucius quoque Antonius Marci Antonii frater, quòd ejus nominis laudem affectârit, irridetur à Cicerone.

AD LICINIUM. Carm. L.

HESTERNO, Licini, die otioſi
Multum luſimus in meis tabellis,
Ut convenerat eſſe. Delicatos
Scribens verſiculos uterque noſtrûm,
Ludebat numero modò hoc, modò illoc,
Reddens mutua per jocum, atque vinum.
Atque illinc abii, tuo lepore
Incenſus, Licini, facetiiſque,
Ut nec me miſerum cibus juvaret,
Nec ſomnus tegeret quiete ocellos,
Sed toto indomitus furore lecto
Verſarer, cupiens videre lucem,
Ut tecum loquerer, ſimulque ut eſſem.
At defeſſa labore membra poſtquam

INTERPRETATIO.

Heſternâ luce, ô *Licini*, cùm eſſemus *quieti, multos verſus per luſum ſcripſimus in pugillaribus meis, ut con*venerat inter nos *eſſe. Nos ambo* igitur *carmina exquiſita componentes ludebamus nunc iſto modo, nunc illo, mutua* nobis *invicem rependentes in ludo & vino. Statimatque diſceſſi, tuâ venuſtate. & urbanitate* ita *ſum inflammatus ô Licini, ut nec eſca me infelicem delectaret, nec ſopor clauderet ocu*los meos *requie; & aſtuans impatientiâ per totum cubile agitarer. exoptans diem intueri, ut tecum confabularer, & unà* tecum *eſſem. Sed poſteaquàm corpus* meum *inſomneis fatigatum penè exani-*

ANNOTATIONES.

1. *Licini.*] Fuit is Cornelius Licinius Calvus Poëta, & Orator inſignis; de quo Quintilianus: *Juvens qui Calvum præferrent omnibus.* Huic pater fuit C. Licinius Macer, item Poëta.

3. *Delicatos*] *Delicatos*, pro *dedicatos* aliqui dictum putant, ſic enim Feſtus *delicatos* interpretari videtur: *deli-*

Semimortua lectulo jacebant,
Hoc, jucunde, tibi poëma feci,
Ex quo perſpiceres meum dolorem.
Nunc audax, cave, ſis: preceſque noſtras,
Oramus, cave deſpuas ocello,
Ne pœnas Nemeſis repoſcat à te,
Eſt vehemens Dea, lædere hanc caveto.

INTERPRETATIO.

me recubabat in *cubili*. *hos verſus ſcripſi tibi*, *ô ſuavis* amice, *ex quibus angerem meum neſceres*. *Nunc vide* ne *arrogans ſis*; *vide*, *quæſo*, ne *vota mea ſupercilio* tuo *deſpicias*, *ne Nemeſis à te repetat ſupplicium*; *Dea* illa *acerba eſt*, *timeto ipſam offendere*.

ANNOTATIONES.

cata, inquit Feſtus, *dicebant Diis conſecrata, quæ nunc dedicata: unde adhuc manet delicatus. Delicare autem propriè eſt, dicendo deferre.* Hæc ille; & eſſet ſenſus, Catullum, & Licinium, eo die ſe luſui dedicaſſe. Alii τὸ *eſſe* ab *edo* derivandum putant, ſed malè. Nos aliter interpungendum eſſe, & vocabulum, *delicatos*, id eſt, *exquiſitos*, ad *verſus* referendum cenſemus *Delicati* verò *verſus* ſunt, qui molliculi. Feſtus verbo *hilaredos* dixit, *carmen delicatum*. Et Cicero in Piſonem: *Delicatiſſimis verſibus exprimere omnia conviviorum genera.*

16. *Poëma feci.*] Accepit hic *poema* pro *Epigrammate*; nam *poema* propriè pars eſt alicujus operis, ut *Tragœdia*: ſicut *Poeſis* eſt contextus totius operis effecti, ut *Ilias* & *Æneis*. *Poetice* autem ſeu *Poetica* eſt propriè ars ipſa *Poemata* & carmina conſcribendi.

20. *Nemeſis.*] Dea eſt malefactorum ultrix, & benefactorum remuneratrix, ſed quæ maximè ſuperbos perſequitur. Dicta etiam eſt *Rhamnuſis*. quòd in *Rhamnunte* Atticæ oppido templum & ſimulachrum phidiacum habuerit. Vide Strab. lib. 9. Plutarch. in Theſeo. Plin. lib. 28. cap. 2.

AD * LESBIAM. Carm. LI.

ILLE mî par eſſe Deo videtur,
Ille, ſi fas eſt, ſuperare Divos,
Qui ſedens adverſus identidem te,
Spectat & audit
Dulce ridentem, miſero quod omneis
Eripit ſenſus mihi: nam ſimul te,
Lesbia, adſpexi, nihil eſt ſuper mî,
* *
Lingua ſed torpet, tenuis ſub artus
Flamma demanat, ſonitu ſuopte
Tintinant aures, gemina teguntur
Lumina nocte.

INTERPRETATIO.

Is mihi Deo ſimilis apparet, is ſi licet dicere, videtur mihi *Cœlites antecellere, qui reſidens contra te, aſpicit te ſubinde, & auſcultat ſuaviter ridentem, quod mihi infelici adimit omnem mentem; nam ſtatimatque ſpectavi te, ô Lesbia, nihil mihi amplius ſupereſt.* * *
Verùm lingua mea *ſtupet, ignis ſubtilis pervadit* mea *membra, aures* meæ *tinniti proprio reſonant oculi* mei *duplici caligine operiuntur.* O Catulle,

ANNOTATIONES.

* HOC CARMEN Catullus mutuatus eſt à Sappho illâ celebri Poetriâ, quæ ambo carmina. Græcum Sapphûs, & Latinum Catulli, inter ſe comparat Janus Douſa filius. Oden porrò Sapphûs debemus Rhetori Longino, qui hanc in ſua ſcripta tranſtulit, ſed cum nemo forſan ſit, qui non decimam illam Muſam audire geſtiat, ejus verba hîc adſcripſimus:

Φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θέοισιν
Ἔμμεν' ὠνὴρ ὅστις ἐναντίος τοι
Ἰζάνει καὶ πλασίον ἁδὺ φωνεί-
σας ὑπακούει,
Καὶ γελαίσας ἱμερόεν. τό μοι τὰν
Καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν
Ὡς ἴδον σε, βρόχεον ἐμοὶ γὰρ αὐδᾶς
Οὐδὲν ἔτ' ἴκει.
Ἀλλὰ καμμὲν γλῶσσ' ἔαγ', ἂν δὲ λεπτὸν
Αὐτίκα χρῷ πῦρ ὑποδεδρόμακεν,
Ὀμμάτεσσιν δ' οὐδὲν ὄρημι, βομβεῦ-
σιν δ' ἀκοαί μοι.
Κὰδ δ' ἱδρὼς ψυχρὸς χέεται, τρόμος δὲ
Πᾶσαν αἱρεῖ, χλωροτέρη δὲ ποίας
Ἔμμι. τεθνάναι δ' ὀλίγω δέουσα
Φαίνομαι ἄπνους.

Poſtremum tetraſtichon à Catullo non expreſſum, ita convertit charactere Catulliano ludens Janus Douſa filius.

Frigidus ſudor fluit, horror artus
Pallidos herbâ magis it per omnes,
Et pati mentem videor morans in
Limine mortis.

1. *Ille mî par eſſe Deo.*] Beatum eſſe ait, quicumque Lesbiæ aſpectu & alloquio frui poſſit: ſed poſtea ſe corrigens, ejuſmodi cogitationes dicit naſci tantùm ex otio, quod ſubinde multis regibus, multiſque urbibus exitii cauſam fuiſſe ſignificat.

5. *Dulce ridentem*] Idem Catullus in Epithalamio Juliæ & Manlii,

Dulce rideat ad patrem.

Horat.

Dulce ridentem Lalagen amabo,

Hujus porrò Strophes deeſt ultimus verſus.

Otium, Catulle, tibi moleſtum eſt.
Otio exultas, nimiumque gaudes.
Otium reges prius, & beatas
Perdidit urbes.

INTERPRETATIO.

otium tibi grave eſt, otio delectaris, eoque plus æquo lætares, ſed & otium afflixit aliquando *Principes & felices civitates.*

ANNOTATIO.

15. *Otium & Reges.*] Moleſtus ſim, ſi hoc in loco Reges omnes & civitates, quibus otium fuit exitio recenſere pergam. Illud Juſtini ſatis ſit referre: *Quos ante Cyrum invictos bella præſtiterant, in luxuriam lapſos otium & deſidia ſuperavit.* Ad mentem Catulli ſcribit Ovidius de Ægiſto lib. 1. de Remedio Amoris.

Quæritis Ægiſtus quare ſit factus adulter.
In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat.

IN NONIUM, & VATINIUM. Carm. LII.

Quid eſt, Catulle, quid moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius ſedet;
Per conſulatum pejerat Vatinius.
Quid eſt, Catulle, quid moraris emori?

INTERPRETATIO.

Quid eſt, ô Catulle, quid jam *mori cunctaris? en Struma Nonius ſedet in ſellâ curuli, &* *Vatinius falsò jurat per conſulatum* ſuum: *quid eſt, ô Catulle, quod cunctaris* jam *mori?*

ANNOTATIONES.

2. *Sellâ curuli.*] Propria erat eorum, qui majoribus Magiſtratibus in Republica fungebantur, Conſulis ſcilicet, Prætoris, & Ædilis: tres enim illi Magiſtratus honoris gratiâ vehebantur curru, in quo erat ſella eburnea, ſupra quam conſiderent.

Struma Nonius.] Fuit is Prætor, & filius Senatoris illius Nonii, quem Antonius proſcripſit, ut haberet opalum ejus, ſeſtertiis viginti millibus æſtimatum.

3. *Vatinius.*] Inquinatiſſimæ vitæ homo. Pompeii operâ Conſul fuit dies aliquot. In hunc extat Ciceronis oratio acerbiſſima.

DE QUODAM

DE QUODAM, & CALVO. Carm. LIII.

RISI neſcio quem modò in corona,
Qui, quum mirificè Vatiniana
Meus crimina Calvus explicaſſet,
Admirans ait hæc, manuſque tollens:
Dî magni, ſalaputium diſertum!

INTERPRETATIO.

Nuper in cœtu forenſi riſi neſcio quem, qui, cum Calvus amicus *meus mirum in modum expoſuiſſet Vatiniana ſcelera, ſtupens, & manus efferens, ô magni Cœlites, inquit,* quàm *eloquens ſalaputium!*

ANNOTATIONES.

2. *Vatiniana.*] De *Vatinio* probtoſiſſimo homine jam ſuprà.

3. *Calvus.* Orator diſertiſſimus, qui apud Senatum Romanum Vatinium accuſavit, cuique ſanctitatem orationis & judicium Quintilianus, Cicero verò præter judicium, doctrinam ſummamque elegantiam tribuit.

5. *Salaputium.*] Sic nutrices vocare ſolebant pueros. cùm vellent ipſis blandiri; cùm autem Calvus, eſſet ſtaturæ perexiguæ, ut Seneca teſtatur, homo ille de turba neſcio quis admiratus Calvum recitantem, ſeriò putavit eſſe puerum, non virum: itaque exclamavit, nutricum more, *ſalaputium diſertum!* Legunt alii *ſolipachium*: quaſi dicas, totum cubitum, id eſt, hominem cubitalem, ab ὅλος, totus, & πῆχυς, id eſt, cubitus: legunt alii, *ſalicippium* ex Seneca, nomine à *ſaliendo in cippum* venuſtè confictos is enim in controverſia quadam, ne propter corporis parvitatem minùs conſpicuus eſſet, imponi ſe ſupra cippum juſſerat. Alii denique aliter legunt. Cùm autem ad locum hunc Catulli obſcuriſſimum illuſtrandum maximè faciant quæ de Calvo ſcribit Seneca Controverſiarum lib. 3. Controverſia 19. ejus verba hîc debere me recenſere putavi. *Calvus,* inquit Seneca, *qui diu cum Cicerone iniquiſſimam litem de principatu eloquentia habuit, uſque eo violentus actor, & concitatus fuit, ut in media actione ejus ſurgeret Vatinius reus, & exclamaret:* Rogo vos, Judices, num ſi iſte diſertus eſt, ideo me damnari oportet? *Idem poſteà cùm videret à clientibus Catonis rei ſui Pollionem Aſinium circumventum in ſerito, imponi ſe ſupra cippum juſſit: erat enim parvulus ſtaturâ, propter quod etiam Catullus in hendecaſyllabis vocat illum* ſalicippium diſertum, *& juravit ſi quam injuriam Cato Pollioni Aſinio accuſatori ſuo feciſſet, ſe in eum juraturum calumniam, nec unquam poſteà Pollio à Catone advocatiſque ejus, aut re, aut verbo violatus eſt. Solebat prætereà excedere ſubſellia ſua, & impetu elatus uſque in adverſariorum partes tranſcurrere.*

* * Carm. LIV.

* * *

Othonis caput oppido puſillum
Heri ruſtici, ſemilauta crura,
Subtile, & leve peditum Libonis,
Si non omnia, diſplicere vellem
Tibi, & Fuffitio ſeni recocto.

Interpretatio.

Si tibi fortè non lubet odiſſe *omnia eorum* qui tecum ſunt vitia, *optarem, ut tibi ſaltem & Fuffitio annoſo veterano diſpliceret perexiguum Othonis ruſtici heri caput*, ac pariter *crura ſqualentia, & tenues ac fluxos Libonis peditus.*

Annotationes.

1. *Othonis caput.*] Hoc Epigrammate Poëta exagitat quoſdam ex decuria Scribarum Cæſaris, *Othonem* ſcilicet, & *Libonem*, & *Fuffitium*, in quos & Cæſarem ipſum amariſſimè invehitur. Hos ſanè verſus, niſi Sibylla legerit, interpretari alium poſſe reor neminem. Lucem tamen quam potui denſiſſimis tenebris attuli, paratus meliorem amplecti ſenſum, ſi quis propoſuerit: illud tamen certum videtur, inſectari nempè Catullum illius L. Roſcii Othonis exilem mentem, anguſtumque cerebrum & caput, qui Tribunus plebis, Conſule Cicerone, legem theatralem illuſtam & rationi contrariam tulit, quâ cautum erat, ut potiùs fortunarum, quàm generis, honoris, aut virtutis ratio haberetur, & ut Patriciis, aut Equeſtris Ordinis, & Senatoriis viris, ſummis etiam honoribus functis, quibus quadringentorum ſeſtertiorum cenſus non eſſet, ſpectandi jus in theatro in primis quatuordecim gradibus ſeu ſubſelliis adimeretur, ſed qui ditiores eſſent, loca honoratiora occuparent. De hoc Othone Horat. Epod. Od. 4.

Sedilibuſque magnus in primis Eques
Othone contempto ſedet.

De ejuſdem Othonis lege, quæ honorum præmia divitibus tantum hominibus ſæpè ſceleratis decernebat idem Horat. lib. 1. epiſt. 1.

Roſcia, dic ſodes, melior lex, an puerorum
Nænia? quæ rectè regnum facientibus offert.

Juvenal. Satyr. 3.

———— de pulvino ſurgat equeſtri.
Cujus res legi non ſufficit; & ſedeant hic
Lenonum pueri quocunque in fornice nati;
Hic plaudat nitidi præconis filius inter
Pinnirapi cultos juvenes, juveneſque laniſtæ.
Sic libitum vano, qui nos diſtinxit, Othoni.

2. *Heri ruſtici*] Qui nempè adeo malè habuit claros, nobiles, & virtute præſtantes Viros, quibus obſcuros & infimâ ſorte natos homines, modò divites, antepoſuit. Alii legunt, *peri*, id eſt, *perditè ama*, ut Scaliger, qui ſolus interpretandum ante nos ſuſcepit hoc Epigramma. cæteris enim viſum eſt ineluctabile. Senſus igitur Scaligeri hic eſt: O *Ruſtice perditè ama Othonis caput exiguum, & crura ſordida & tenues ac fluxos peditus Libonis. Diſperеam, niſi vellem omnia tibi diſplicere*, &c. Quis porrò fuerit hic *Libo*, cùm plures eâ fuerint ætate Libones, incertum; conſtat tamen ipſum Cæſari familiarem fuiſſe.

4. *Si non omnia*] Idem Scaliger putat ſubintelligendum eſſe, *diſperеam*.

5. *Fuffitio ſeni recocto.*] *Recocti* dicebantur Scribæ qui ſæpiùs cum Procon-

Iraſcere iterum meis iambis
Immerentibus, unice Imperator.

INTERPRETATIO.

Tu modò, ô *ſingularis Imperator*, quòd hæc dixerim, *rurſus excandeſces adverſus meos iambos* iram tuam *non merentes*.

ANNOTATIONES.

ſulibus in Provincias miſſi, exercitatiores facti fuerant uſu: mittebantur autem quinque viri; qui quum rediiſſent, vendebant decurias ſuas, quod ſi voluiſſent iterum Magiſtratibus apparere, *recti* dicebantur, quique ſæpiùs hoc refactitabant, *recocti*. Horat.

——————— *ſæpè recoctus*
Scriba ex Quinquevir o corvum deluſit hiantem

6. *Iraſcere iterum*,] Julium Cæſarem Impetatorem alloquitur, quem conſtat jam ſemel fuiſſe Catullo iratum, ob notam verſiculis de Mamurra ſibi inuſtam. Qua de re ſic Suetonius in Cæſare cap. 73. *Valerium Catullum, à quo ſibi verſiculis de Mamurra perpetua ſtigmata impoſita non diſſimulaverat, ſatisfacientem eâdem die adhibuit cœnæ, hoſpitioque patris ejus, ſicut conſueverat, uti perſeveravit.*

AD CAMERIUM. Carm. LV.

ORAMUS, ſi fortè non moleſtum eſt,
Demonſtres ubi ſunt tuæ latebræ.
Te campo quæſivimus minore,
Te in Circo, te in omnibus libellis.
Te in templo ſuperi Jovis ſacrato,
In Magni ſimul ambulatione:

INTERPRETATIO.

Rogamus te, *ſi forſan* id tibi *grave non eſt*, ut *oſtendas* mihi *quo in loco ſunt latebræ tuæ. Inveſtigavimus te* in *campo minore, te in Circo, & in omnibus Librariorum officinis* quæſivimus; *te in Æde ſacra Jovis excelſi, in portícu quoque* Pom-

ANNOTATIONES.

1. *Oramus*.] Jocosè & lepidè *Camerium* puellas nimiùm aſſectantem increpat, exponitque quantum ipſo quæritando ſeſe defatigarit, rogatque eum, or, ſibi, quo in loco lateat, indicet, ſuoſque amores detegat.

2. *Tua latebra*] Alii legunt, *taberna*. In tabernis ferè perditi homines verſabantur. Hæ Græcis λέσχαι dicebantur: ad quas ſcilicet confabulandi causâ conveniebant. *Tenebra* etiam anteà legebatur, id eſt, tenebroſæ latebræ.

3. *In Campo minore*] Campum Cœlium notat, in quo Circenſes fiebant, quum Campus Martius diluvio Tiberis ſtagnabat. Ovid. lib. 3. Faſt.

Cœlius accipiet pulverulentus equos.

4. *Te in Circo*] *Circum* maximum intelligit; tres enim Circi Romæ fuiſſe referuntur.

Libellis] Per Synecdochen pro *tabernis librariis* uſurpatur. Alii *labellis* legunt, & thermas interpretantur. Utrumque graves & magnos habet auctores.

5. *Te in templo.*] Capitolium dicit Jovi conſecratum.

6. *In magni ſimul ambulatione*] Pom-

Fœmellas omneis amicè prendi,
Quas vultu vidi tamen ſereno,
Has vel te ſic ipſe flagitabam:
Camerium mihi, peſſimæ puellæ.
Quædam, inquit, nudum ſinum reducens,
En hic in roſeis latet papillis.
Sed te quærere jam Herculis labos eſt.
Tanto te in faſtu negas, amice,
Dic nobis ubi ſis futurus; ede hoc
Audacter: committe, crede luci.
Num te lacteolæ tenent puellæ?
Si linguam clauſo tenes in ore,
Fructus projicies amoris omneis.
Verboſâ gaudet Venus loquelâ.
Vel ſi vis, licet obſeres palatum,
Dum veſtri ſim particeps amoris.
Non cuſtos, ſi fingar, ille Cretum,
Non ſi Pegaſeo ferar volatu,
Non Ladas ſi ego, pennipeſve Perſeus;

INTERPRETATIO.

peii magni; *apprehendi etiam manu cunctas puellas, quas tamen animadverti* eſſe *liberali facie; has etiam ego te ita poſcebam. ô peſſima fœmina*, reddite *mihi Camerium* meum. *Tum ex his una nitidum retegens ſinum*, *dixit* mihi: *Ecce latitat hic in noſtris roſeis mamillis. Nunc verò ærumna eſt Herculis, quærere te, amice mi, tanta cum arrogantia celas te. Cedo mihi quo in loco futurus ſis; profer iſtud liberè, revela* te, *& trade luci. An te detinent candidulæ virgines? Si linguam contineas, in ſilenti ore perdes omnem fructum amoris tui. Venus delectatur loquaci ſermone, aut ſi vis, occludas* aliis *os* tuum, *per me licet, dummodo conſcius ego ſim amoris tui.* Alioquin te non *invenirem: etſi fierem ille procurator Cretenſium, neque ſi rapiar volatu Pegaſeo, neque ſi Ladas fo-*

ANNOTATIONES.

peii porticum liquidò indicat, de qua Ovid. de Arte amandi:

Tu modò Pompeia lentus ſpatiare ſub umbra.

10. *Camerium mihi*] *Camerii* nomine Cæſarem quidam intelligi volunt, quem ſuis amoribus addictum difficile erat in urbe reperire.

13 *Herculis labos eſt.*] Rem arduam & difficilem Veteres proverbialiter dicebant *Herculis laborem.* Propert.

Deinde ubi pertuleris, quos dicit fama labores
Herculis ———

20. *Venus loquelâ.*] *Venus* hic ſumitur pro Amore, quem loquacitate gaudere dicit Catullus; contrà verò ſenſit Tibullus, cùm dixit:

——— *celari vult ſua furta Venus.*

23. *Non cuſtos, ſi fingar ille Cretum.*] Dædalus Micionis filius, Athenis capitis judicium effugiens, in *Cretam* delatus, ingenio ſuo adeo Minoï acceptus fuit, ut Athenienſibus bellum inferens regni cuſtodem ipſum reliquerit.

25. *Non Ladas ſi ego*] Alexandri Macedonis curſor fuiſſe traditur, tantâ pedum velocitate, ut veſtigia ejus in arena non apparerent.

Pennipeſve Perſeus] Filii Jovis &

Non Rheſi niveæ citæque bigæ:
Adde huc plumipedes volatileſque,
Ventorumque ſimul require curſum,
Quos junctos, Cameri, mihi dicares:
Defeſſus tamen omnibus medullis,
Et multis languoribus pereſus
Eſſem, te, mi amice, quæritando.

INTERPRETATIO.

rem, aut pennatus Perſeus, neque ſi tam citus ſim quàm albi & celeres equi Rheſi. Adjunge etiam ad hæc pennipedes, & volaticos, quare pariter velocitatem ventorum, quos etſi conjunctos donares mihi, ô Cameri, nihilominus totis viſceribus fatigatus eſſem, & gravi infirmitate conſumptus, te jugiter, ô mi amice, requirendo.

ANNOTATIONES.

Danaës, qui à Polydecte Magnetis filio ad Gorgonas miſſus, à Mercurio, qui eum dilexit, talaria, & petaſum accepiſſe æſtimatur.

26. *Non Rheſi nivea citæque bigæ.*] *Rheſus* Thraciæ Rex equos habuit velociſſimos, in quibus Troianorum fata pendebant, quos cum ille ad ipſorum auxilium duxiſſet, primâ nocte ipſe cum equis interfectus eſt.

27. *Adde huc Plumipedes.*] Licèt id intelligi poſſit de avibus, rectiùs tamen interpreteris eſſe Zethum, & Calaim Boreæ filios, quos alatos fuiſſe finxerunt Poetæ.

AD M. CATONEM PORCIUM. Carm. LVI.

O REM ridiculam, Cato, & jocoſam,
Dignamque auribus, & tuo cachinno.
Ride, quicquid amas, Cato, Catullum:
Res eſt ridicula, & nimis jocoſa.
* *
* *

INTERPRETATIO.

O rem riſu dignam, & lepidam, & dignam, ô Cato amice, *auribus* tuis, *& riſu tuo ſolute. Ride igitur, ô Cato, quantum diligis me Catullum* tuum, nam *res eſt* prorſus *riſu digna, & admodum faceta.* * * *
* * * *
* * * *

ANNOTATIONES.

1. *Cato.*] Hic non Uticenſis, ſed ille fuit Valerius *Cato*, de quo Suetonius lib. de illuſtribus Grammaticis refert hos Bibaculi verſus:

Cato Grammaticus, Latina Siren,
Qui ſolus legit, ac facit Poëtas.

De eodem Ovidius quoque 2. Triſt.

Et leve Cernifici parque Catonis opus.

Scripſit Poëmation, quod *Diras* inſcripſit, præter Grammaticos libellos.

IN MAMURRAM, & CÆSAREM. Carm. LVII.

Pulchrè convenit improbis Cinædis
Mamurræ pathicoque, Cæſarique,
Nec mirum: maculæ pares utriſque,
Urbana altera, & illa Formiana,
Impreſſæ reſident, nec eluentur.
Uno in lectulo erudituli ambo:
Non hic, quam ille magis vorax adulter.
Rivales ſocii puellularum.
Pulchrè convenit improbis Cinædis.

INTERPRETATIO.

Benè congruit flagitioſis cinædis, Mamurræ nempè *pathico, & Cæſari: neque* id *novum:* nam *vitia ambobus ſimilia* ſunt; *hæc urbica, illa Formiana, hæc hærent infixa, nec delebuntur. Sunt æquè flagitioſi, æquales ambo,* & *velut gemini ambo ſemidocti, uno in lecto. Non plus hic eſt, quàm ille mœchus prodigus, ſodales puellarum rivales, benè conſentiunt inter ſe flagitioſi cinædi.*

ANNOTATIONES.

1. *Pulchrè convenit.*] Hoc mordaci carmine *Julium Cæſarem* & *Mamurram Formianum exagitat*, eorum nefandas libidines, rapinaſque carpens.

2. *Mamurræ.*] De Mamurra Formiano jam ſuprà.

Cæſarique.] Non tantùm Catullus in J. Cæſarem ſcripſit, ſed & Bibaculus, teſte Tacito lib. 4. Annal. *Carmina Bibaculi, & Catulli referta contumeliis Cæſarum leguntur; ſed ipſe divus Julius, & ipſe divus Auguſtus, & tulere iſta, & reliquere: haud facilè dixerim moderatione magis, an ſapientiâ; namque ſpreta exoleſcunt, ſi iraſcare, agnita videntur.*

6. *Gemelli utrique*] Qui eodem partu naſcuntur ut plurimùm magnam inter ſe ſolent habere ſimilitudinem. Hic *gemellos* dicit Cæſarem & Mamurram propter vitiorum ſimilitudinem, & ſcelerum ſocietatem.

AD COELIUM. DE LESBIA. Carm. LVIII.

Cœli, Lesbia noſtra, Lesbia illa,
Illa Lesbia, quam Catullus unam

INTERPRETATIO.

O *Cœli, Leſbia mea, Leſbia illa, illa Leſbia: quam Catullus ſolam mul-*

ANNOTATIO.

1. *Leſbia illa.*] Putatur fuiſſe Clodia ſoror Publii Clodii, cujus conſuetudine uſus eſt hic Cœlius, pro quo Cicero ſcripſit orationem adverſus eamdem Clodiam.

Plus, quàm ſe, atque ſuos amavit omneis:
Nunc in quadriviis, & angiportis,
Glubit magnanimos Remi nepotes.

INTERPRETATIO.

tò plus dilexit quàm ſeipſum, & ſuos omnes amicos, nunc in compitis & angiportis expolsat fortes Remi poſteros.

ANNOTATIONES.

4. *Quadriviis.*] *Quadrivia* ſunt loca, in quibus quatuor viæ concurrunt.

Angiportis.] Dicitur hic angiportus, & hoc angiportum; viæ ſunt in urbibus anguſtiores, ut plateæ latiores. In angiportubus viliſſima ſcorta mœrebant. Horat. lib. 1. Od. 25.

Flebis in ſolo levis angiportu.

5. *Remi nepotes.*] Remi poſteros Romanos intelligit, quos ironicè vocat *magnanimos.*

DE RUFA, & RUFULO. Carm. LIX.

BONONIENSIS Rufa Rufulum fallit?
Uxorne Meni, ſæpè quam in ſepulchretis
Vidiſtis ipſo rapere de rogo cœnam,
Quum devolutum ex igne proſequens panem,

INTERPRETATIO.

An Rufa illa Bononienſis eludit Rufulum? an conjux illa Menii, quam ſpectaviſtis frequenter in buſtis ſubripere ſilicernium ex ipſo igne, quando appetens

ANNOTATIONES.

1. *Bononienſis Rufa fallit.*] Sententia Epigrammatis eſt Rufam, quæ nuper tantâ inopiâ laborabat, ut è media flamma cibum peteret, nunc ſuperbo faſtu Rufuli amantis preces eludere. Nonnulli legunt, *fallat*, & volunt ſumi *fallare* antiquum verbum pro *fallere*, eodem modo quo vanare. Attius.

Tanta ut fruſtrando vanans, lactans protrahat.

Quæ verba, *vanare*. *lactare fallare*, idem propè ſignificant, id enim eſt, *falsâ ſpe producere.* Alii legunt, *fellat*, quod idem eſt ac *exugit*. quod non malè convenit illi mendicabulo, cui Rufulus ſe tradiderat.

2. *Uxorne Meni.*] Is ipſe Menius videtur eſſe, de quo Horat. ſcripſit paterna atque materna bona abligurriſſe;

Menius, ut rebus maternis atque paternis
Fortiter abſumptis.

Adeo ut ejus uxor coacta ideo ſit ſilicernia in ſepulchretis vorare.

3. *Rapere de rogo cœnam.*] Extremam egeſtatem arguit illius Rufæ, quæ ex ipſa flamma rapiebat ſilicernium, quod vorare poſſet. Nam in ſepulchretis uſtrinæ erant quæ ſepulchris applicabantur, ad quas culinæ erant in quibus ſilicernium, id eſt, funebris cœna coquebatur, quam guſtare nefas erat: unde tamen cibos, & panes ſæpiùs pauperes, & ſcortilla rapiebant.

Ab ſemiraſo tunderetur uſtore?

* *

INTERPRETATIO.

cibum delapſum è flamma percuteretur à buſtuariis ſemiuſtis? * * * * * * * *

ANNOTATIO.

5. *Ab Semiraſe uſtore.*] *Uſtores*, ſeu *buſtuarii* erant ii, qui rogis, comburendiſque cadaveribus operam locabant, erat autem abjectiſſimum genus mancipiorum; nam ſemiraſi erant qui ad aliquod opus publicum damnati erant; ut ad molendina, ad remum, & cadavera efferenda, qui & veſpiliones dicebantur.

* * * * Carm. LX.

NUM te leæna montibus Libyſtinis,
Aut Scylla latrans infimâ inguinum parte,
Tam mente durâ procreavit ac tetrâ:
Ut ſupplicis vocem in noviſſimo caſu
Contemtam haberes? ô nimis fero corde.

INTERPRETATIO.

An te leæna aliqua *in jugis Libycis progenuit tam inhumano animo, & tam fero, aut Scylla latrans imâ pubis parte; ut deſpectam haberes precantis vocem in extrema calamitate, ô virum mente nimiùm immiti.*

ANNOTATIONES.

Deeſt initium hujus Epigrammatis, ſicut & finis ſuperioris.

1. *Montibus Libyſtinis*] In montibus *Libycis* immanes, ac præcipui naſcuntur leones; *Libyam* porrò partem eſſe Africæ ſuprà vidimus. A *Libya Libycus*, *Libyſſus*, & *Libyſtinus* derivantur.

2. *Aut Scylla latrans.*] *Scylla* fuit Phorci filia, quæ cùm mutuo Glauci amore teneretur, indignata eſt Circe, quæ Glaucum deperibat, hanc ſibi ab illo præferri, ac fontem in quo illa lavare ſe ſolebat, herbis infecit noxiis, & veneficis, quarum vi in canem pube tenus *Scylla* commutata fingitur.

* JULIÆ & MANLII * EPITHALAMIUM. Carm. LXI.

Collis ô Heliconii
Cultor, Uraniæ genus,
Qui rapis ad virum
Virginem, ô Hymenæe Hymen,
O Hymen Hymenæe.
Cinge tempora floribus
Suaveolentis Amaraci.
Flammeum cape. lætus huc
Huc veni, niveo gerens
Luteum pede ſoccum.
Excituſque hilari die,
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula,
Pelle humum pedibus. manu
Spineam quate tedam.
Nanque Julia Manlio,

Interpretatio.

O Hymenæe Hymen, ô Hymen Hymenæe, incola Heliconii montis, fili Uraniæ, qui adducis mollem puellam ad maritum ſuum. *Redime caput floribus Amaraci fragrantis; ſume velum nuptiale. Huc alacer accede, ferens candidis pedibus calceamenta crocea. Et evocatus die læte canens acute ſono verſus conjugales, pulſa pedibus terram. Spineam facem dextrâ concute. Quippe Julia beni-*

Annotationes

* Juliæ & Manlii. Quænam hæc *Julia* fuerit, obſcurum eſt, ſed *Manlius Torquatus* dictus eſt ex illuſtri *Torquatorum* familia, de Catullo benè meritus.

* Epithalamium Carmen eſt à Virginibus decantari ſolitum, novâ nuptâ ad conjugem adductâ; & in thalamo collocatâ: unde tractum *Epithalamii* nomen; hinc nonnulli malunt hoc Catulli Poëma Hymenæum, Ticidæ Poëtæ exemplo, appellari. quàm *Epithalamium*. Apud Græcos primus ſcripſit *Epithalamium* Apollo in nuptiis Thetidis & Pelei. Apud Latinos *Epithalamii* primus auctor, cujus memoria literis tradatur, Catullus noſter memoratur. Theocritus inter Græcos Eidyllium decimum octavum *Epithalamium* Helenæ inſcripſit, Steſichorum imitatus.

1. *Collis Heliconii.*] *Helicon* Bœotiæ, alii volunt Phocidis, mons Apollini ſacer eſt, & Muſis, quæ hinc *Heliconides*, & *Heliconiades* ſunt appellatæ. Pherecratii ſeu Glyconii carminis genus eſt. cujus etiam generis jam ſupra Oden vidimus, Carm. XXXIV.

4. O *Hymenæe Hymen.*] *Hymen* nuptiarum Præſes, qui hoc loco dicitur Uraniæ Muſæ filius, ab aliis Liberi patris & Veneris filius dictus eſt; tradunt alii virum fortem fuiſſe Athenis natum, qui raptas à prædonibus virgines oppreſſis latronibus intactas patriæ reſtituerit; hinc factum, ut boni ominis causâ in nuptiis nomen invocetur; à Romanis pro *Hymenæe Thalaſſius* invocatur.

8. *Flammeum cape.*] *Flammeum* velum erat lutei coloris, quo novæ nuptæ facies tegebatur.

15. *Spineam quate tedam.*] Nuptiis faces adhibebantur ex iis arboribus quæ

Qualis Idalium colens
Venit ad Phrygium Venus
Judicem, bona cum bona
Nubit alite virgo.
 Floridis velut enitens
Myrtus Aſia ramulis,
Quos Hamadryades Deæ
Ludicrum ſibi roſcido
Nutriunt humore.
 Quare age, huc aditum ferens
Perge linquere Theſpiæ
Rupis Aonios ſpecus,
Lympha quos ſuper irrigat
Frigerans Aganippe.
 Ac domum dominam voca
Conjugis cupidam novi,

INTERPRETATIO.

gna puella. talis, qualis Venus Idalium habitans acceſſit ad Phrygem arbitrum, cum felicibus avibus datur nuptum Manlio, tanquam Myrtbus Aſia eminens ramis vernantibus, quos Hamadryades Divæ ad oblectationem alunt liquore rorulento. Eia igitur, huc accedens perge deſerere antra Aonia ſaxi Theſpii, quæ Aganippe unda deſuper frigefaciens humectat, & adduc ſponſam appetentem novi mari-

ANNOTATIONES.

reſinam ferunt. Unde alii legunt, *Pineam*, nullo incommodo; nam & *pineas* & *ſpineas* tædas fuiſſe in nuptiis adhibitas conſtat: de *pineis* nihil dubium. De *ſpineis* Plinius 18. lib. cap. 16. *Spina nuptiarum facibus auſpicatiſſima, quoniam inde fecerint paſtores qui Sabinas rapuerunt.* Feſtus præterea ait, *Patrimi & matrimi prætextati tres nubentem deducunt: unus, qui facem præfert è ſpina alba, quia noctu nubebant, duo qui tenent nubentem.* Vides præcipuam facem nuptialem fuiſſe *ſpineam*, quæ vim habere credebatur averruncandi mali. Vide Ovid. lib. 6. Faſtor.

17. *Idalium colens.*] *Idalium* eſt oppidum Inſulæ Cypri Veneri ſacrum. Eſt item nemus in eadem Inſula Veneri dicatum.

18. *Ad Phrygium Iudicem.*] Ille eſt *Paris* Priami filius, ad quem Juno, Minerva, & Venus acceſſerunt, ut creditum ipſius judicio pomum aureum harum pulchriori adjudicaretur.

22. *Myrtus Aſia.*] *Aſia* hoc loco nomen Paludis in Myſia prope Cayſtrum fluvium, à quo vicinos campos *Aſia* prata Virgilius appellavit. In hac regione feliciſſimè provenit *myrtus*, arbor pulcherrima ſimul & gratiſſima.

23. *Hamadryades.*] Nymphæ ſunt, quæ cum arboribus naſcuntur, & intereunt. *Hamadryades* hic pro *Naiadibus*, vel *Napæis* poſuit.

27. *Theſpiæ*] *Theſpias* oppidum Bœotiæ, ſive Aoniæ, infra montem Heliconem conditum nobilitavit Cupido Praxitelis, quem ab eo Glycerium meretrix conſecuta dedicavit.

28. *Aonios.*] *Aonia* dicta eſt Bœotia, maximè quâ parte montana eſt; unde Muſæ dicuntur *Aonides*.

30. *Frigerans Aganippe*] Fons eſt Bœotiæ, Muſis ſacer, quem Poetæ fabulantur factum eſſe Pegaſi equi alati ungulâ.

Mentem amore revinciens,
Ut tenax hedera huc, & huc
Arborem implicat errans.
  Vos item ſimul integræ
Virgines, quibus advenit
Par dies, agite, in modum
Dicite: ô Hymenæe Hymen,
Hymen ô Hymenæe.
  Ut lubentius audiens,
Se citarier ad ſuum
Munus, huc aditum ferat
Dux bonæ Veneris, boni
Conjugator amoris.
  Quis Deus magis ah magis
Eſt petendus amantibus?
Quem colent homines magis
Cœlitum? ô Hymenæe Hymen,
Hymen ô Hymenæe.
  Te ſuis tremulus parens
Invocat, tibi virgines
Zonulâ ſolvunt ſinus,
Te timens cupida novos
Captat aure maritos.

INTERPRETATIO.

ti in domum ipſius, *aſtringens ejus animum amore, tanquam hedera inhærens, hac illac extenſa arborem innectit. Vos etiam puellæ intactæ, quibus inſtat ſimilis dies, agedum, canite in numerum, ô Hymenæe Hymen, ô Hymen Hymenæe. Ut* ipſe *advertens ſe vocari ad officium ſuum, huc promptiùs veniat autor honeſtæ Veneris, & legitimi amoris conciliator. Quis alius Deus magis, ah magis invocandus eſt amantibus? quem Deorum magis homines venerabuntur? O Hymenæe Hymen, ô Hymen Hymenæe. Tremens pater Te ſuis implorat, virgines tibi cingulo veſtes reſtringunt:* nupta ipſa *te metuens auſcultat attentâ aure novos.*

ANNOTATIONES.

36. *Vos item integræ virgines.*] *Virgines & pueros* adhibeti nuptiis, ex quibus chorus conſtabat, quem Drama vocarunt, ſcribit Hieronymus in Cantica Canticorum, & apparet infrà in Carmine nuptiali.

52. *Tibi Virgines zonulâ ſolvunt.*] *Cinxia Iunonis nomen ſanctum habebatur in nuptiis, quòd initio conjugii, ſolutio fiebat cinguli; quo nova nupta erat cincta. Illud autem cingulum*, ait Feſtus, *factum erat ex lana ovis*, quod Herculano nodo vinctum vir ſolvebat ominis gratiâ. Ovid.

Caſtaque fallaci zona recincta manu.

55. *Captat maritos.*] Alias legitur; *novus maritus*, timens, ſcilicet ne voto excidat, te cupidâ aure captat.

Tu fero juveni in manus
Floridam ipſe puellulam
Matris è gremio ſuæ
Dedis. ô Hymenæe Hymen;
Hymen ô Hymenæe.
Nihil poteſt ſine te Venus,
Fama quod bona comprobet,
Commodi capere: at poteſt,
Te volente. quis huic Deo
Compararier auſit?
Nulla quit ſine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe jungier: at poteſt,
Te volente. quis huic Deo
Compararier auſit?
Quæ tuis careat ſacris,
Non queat dare præſides
Terra finibus: at queat,
Te volente. quis huic Deo
Compararier auſit?
Clauſtra pandite januæ.
Virgo adeſt. viden, ut faces
Splendidas quatiunt comas?
Sed moraris, abit dies,
Prodeas nova nupta.
Tardat ingenuus pudor,

INTERPRETATIO

maritos. At tu ipſe vernantem virgunculam è ſinu patris tradis juveni ardenti in poteſtatem. O Hymenæe Hymen, ô Hymen Hymenæe. Venus nihil boni valet abſque te pere pere, quod laudet æquus hominum ſermo, ſed valet te annuente: quis Deo iſti conferri audeat? Nulla familia poteſt abſque te legitimos filios edere, nec pater genere devinciri: ſed id valet, te favente: quis Deo iſti audeat ſe conferre? Civitas quæ ſacris tuis privata ſit, non poteſt Præfectos regionibus ſuis conſtituere; ſed poſſit, te annuente. Quis Deo iſti conferri audeat: Laxate obices januæ. Præſto eſt nova nupta: an aſpicis quomodo tædæ vibrant crines fulgentes? at cunctaris, lux præterit, procedas, ô nova nupta. Verecundia modeſta remora-

ANNOTATIONES.

56. *Tu fero juveni.*] Ardenti & impatienter amanti. Sic infrà Carm. Nuptial. v. 22.

Et juveni ardenti caſtam donare puellam.

58. *Matris è gremio.*] Simulabatur rapi *virgo ex gremio matris*, aut ſi ea non eſſet, ex proxima neceſſitudine, cum ad virum trahebatur, quòd videat licet ea res feliciter Romulo ceſſerit.

72. *Non queat dare Præſides.*] *Præſides* dicti, qui alicujus loci tutelam tenent, vel rectores ab eo quòd præſunt, hinc *Præſides* hoc loco nonnullis ſunt tutores & defenſores finium.

Quæ tamen magis audiens
Flet, quòd ire neceſſe ſit.
Sed moraris, abit dies,
Prodeas nova nupta.
Flere deſine. non tibi,
Aurunculeia, periculum eſt;
Ne qua fœmina pulchrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.
Talis in vario ſolet
Divitis domini hortulo
Stare flos Hyacinthinus.
Sed moraris, abit dies,
Prodeas nova nupta.
Prodeas, nova nupta ſis:
(Jam videtur) ut audias
Noſtra verba. (viden? faces
Aureas quatiunt comas.)
Prodeas nova nupta.
Non tuus levis in mala

INTERPRETATIO.

tur eam, qua nihilominus magis ac magis audiens plorat, quòd oporteat proficiſci. At ceſſas, lux præterit, procedas ô nova nupta. Ceſſa plorare. minimè tibi, ô Aurunculeia, ne aliqua puella te formoſior conſpexerit Solem ex Oceano emergentem. Talis eſſe conſuevit flos Hyacinthi in amœno horto heri opulenti. Sed cunctaris, fugit lux, procedas ô nova nupta. Age dum exeas, ô nova nupta: (ecce nunc apparet) ut auſcultes noſtros cantus. (An cernis, ut tædæ ſplendentes vibrant flammarum crines.) Exeas, ô nova nupta. Non maritus tuus inconſtans, propen-

ANNOTATIONES.

87. *Aurunculeia.*] Alii legunt, *Arunculeia*, alii, *Herculeia*: ſed *Aurunculeius* alterum eſt Cottarum cognomen, ex qua gente hæc Manlii ſponſa videtur fuiſſe. Miratur tamen Scaliger ei fuiſſe nomen Juliæ, quod forſan adoptione contigit.

88. *Ne qua fœmina pulchrior.*] Noſter Catullus antiquum morem laudandi novam nuptam hic diligenter obſervat. Hoc enim modo ferè ipſi accinebant omnes: *Nulla te hodie fœmina pulchrior.*

89. *Clarum ab Oceano.*] In *Oceanum* recipi Solem occidentem, & ex *Oceano* emergere orientem putabant Veteres; quod idem de Aurora habet Poëta:

Oceanum interea ſurgens Aurora reliquit.

93. *Flos Hyacinthinus.*] *Hyacinthum* florem à Latinis Vaccinium vocari ſcribit Dioſcorides lib. 4. cap. 61. Fabula porrò Hyacinthi in florem mutati ſus narratur ab Ovidio Metamorph lib. 1.

98. *Noſtra verba.*] *Cantus* nempè *noſtros*, ſeu *carmen Feſcenninum* procax & licentiæ plenum.

99. *Aureas quatiunt comas.*] Fauſtum futuræ felicitatis in conjugio augurium.

101. *Non levis.*] Senſus eſt: vir tuus

Deditus vir adultera
Proca, turpia perſequens,
A tuis teneris volet
Secubare papillis:
Lenta qui velut aſſitas
Vitis implicat arbores,
Implicabitur in tuum
Complexum. ſed abit dies,
Prodeas nova nupta.
* * *
* * *
* * *
O cubile, quot (ô nimis
Candido pede Lecŧuli)
Quæ tuo veniunt hero,
Quanta gaudia, quæ vagâ
Nocte, quæ mediâ die
Gaudeat. ſed abit dies,
Prodeas nova nupta.

INTERPRETATIO.

ſus in impudicam pellicem, inhoneſta conſectans cupit ſeorſim à tuo jucundo ſinu; qui, ut vinea flexilis innectit arbores adjunctas, innectetur in tuos amplexus; ſed præterit tempus, exeas, ô nova nupta. * * * * * * * * * * * O *thalame* Manlii, (*ò* vos etiam ejuſdem ſortis *thori beato nimium pede.*) *quot gaudia, quàm magna* ſunt *gaudia. quæ tuo domino adveniunt, quibus obſcurâ nocte, atque* etiam *meridie fruatur; ac præterit lux; exeas nova nupta.* O *ju-*

ANNOTATIONES.

deinceps non erit vagæ Veneris varietate detentus, ſed conſtans, & intra conjugii terminos, à tuis complexibus non alienabitur.

102. *In mala deditus adultera.*] Quod nunc dicimus, *ſtudere rei alicui* Veteres olim dixerunt, *ſtudere in aliqua re.* Ita Cato: *Poëticæ artis honos non erat, ſi quis in ea re ſtudebat, aut ſe ad convivia applicabat, graſſator vocabatur.*

107. *Arbores aſſitas.*] *Ulmos* nempè, vel populos, propè ſitas, & juxta plantatas, vel alia vitium pedamenta. quæ ſunt quaſi mariti vitibus. Unde Horat. Od. 2. Epod.

Ergo aut adultâ vitium propagine
Altas maritat populos.

114 O *cubile.*] Præter lacunam, quæ hic apparet, incredibile eſt, quantum hæc corrupta ſint, quæ tamen facili negotio ſumus interpretati.

115. *Candido pede.*] Id vocat *pedem lecti*, quo fulcitur lectus. Ut ſuprà.

——— *veteris pedem grabati.*

Candido, pro *felici* & *fauſto*, hic Catullus poſuit.

119. *Quæ gaudeat.*] Nonnulli legunt, *gaudeas*, ſed alio ſenſu. Porrò *gaudere gaudium*, *ridere riſum*, *ſervire ſervitutem*, multaque id genus dicebant Antiqui.

Tollite, ô pueri, faces;
Flammeum videor venire.
Ite, concinite in modum;
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Nec diu taceat procax
Feſcennina locutio;
Neu nuceis pueris neget
Deſertum domini audiens
Concubinus amorem.
Da nuceis pueris iners
Concubine. ſatis diu

INTERPRETATIO.

venes, attollite tædas: ecce jam *cerno apparere velum nuptiale.* Agedum *properate, canite ad numerum, ô Hymenæe Hymen, ô Hymen Hymenæe. Et ſtatim audiatur Feſcenninum carmen: nec catamitus renuat ſpargere nuces pueris, accipiens heri ſui derelictas eſſe delicias.* O *piger cinæde, ſparge nuces pueris. Luſiſti*

ANNOTATIONES.

121. *Tollite, ô pueri, faces.*] *Pueros* intelligit patrimos & matrimos, de quibus hæc Feſtus: *Patrimi & matrimi pueri tres adhibebantur in nuptiis. unus qui facem præferret ex ſpina alba, quia noctu nubebant; & duo, qui nubentem tenebant.* Tradit tamen Plutarchus in problematis nuptiales pueros quinque, nec plures, nec pauciores fuiſſe.

127. *Feſcennina locutio.*] Carmen erat laſciviæ & obſcœnitatis plenum: unde procax dicitur à Catullo. Hoc autem canebatur vel ad arcendum faſcinum, vel per ludum jocumque amoris. Hæc Feſtus de *Feſcennino carmine* habet. *Feſcennini verſus, qui canebantur in nuptiis ex urbe Feſcennina dicuntur allati, vel ita dicti. quia faſcinum credebantur arcere.* Iſtudque carminis genus occinentes ſponſam mariti domum deducebant.

128. *Neu nuces pueris.*] *Nuces* in nuptiis ſpargi ſolere teſtatur etiam Virgilius Eclog. 8.

Sparge marite nuces. ————

Hujus conſuetodinis cauſam apud Servium Varro hanc eſſe putat; ut nempè Jovis omine matrimonium celebraretur; & ut nova nupta matrona eſſet, ſicut Juno; nam *nuces* in tutela erant Jovis: unde & *inglandes* vocatæ, quaſi Jovis glandes. Illud vulgare fuiſſe idem Varro tradit, idcirco ſpargi conſuevisse *nuces*, ut à rapientibus pueris fieret ſtrepitus, ne puellæ virginitatem deponentis vox poſſet audiri. Volunt alii, eâ id gratiâ factum, ut ſe puerilibus omnibus ludis renontiare, & juvenilia cuncta relinquere maritos eo indicio teſtaretur. Unde Perſios:

—— *Et nucibus facimus quæcumque relictis.*

Morem hunc *nuces* in nuptiis ſpargendi è Græcis fontibus manaſſe tradunt Autores. Nam apud Athenienſes novus ſponſus *nuces inglandes*, amygdalas, & alia id genus ſpargebat, quæ καταχύσματα dicebant.

130. *Concubinus.*] Meritorii pueri, id eſt, catamiti, quibus licenter utebantur Antiqui: cùm à turpi officio removerentur, nuces ſpargebant; id eſt, ludum pueritiæ, ut indicarent omnia ſe puerilia aſpernari. *Concubinus & pullus* apud Veteres pro *catamito* dicebatur. Vide Feſt.

Luſiſti nucibus. lubet
Jam ſervire Thalaſſio.
Concubine nuceis da.
　Sordebam tibi, villice
Concubine, hodie atque heri:
Nunc tuum cinerarius
Tondet os. miſer, ah miſer
Concubine! nuceis da.
　Diceris malè te à tuis,

INTERPRETATIO.

ſatis dudum nucibus; nunc placet domino tuo *famulari Thalaſſio. O ruſtice cinæde, à te negligebar hodiernâ & heſternâ die; jam tibi tonſor abradit barbam, ò infelix! ah infelix cinæde! ſparge nuces. Ferunt te, ò uncte conjux,*

ANNOTATIONES.

133. *Luſiſti nucibus.*] Pueros olim ephebos nucibus ludere conſueviſſe teſtatur etiam Martialis.

Alea parva nuces, & non damnoſa videtur,
Sæpè tamen pueri perdidit illa nates.

Sex autem ludos nucum apud Antiquos fuiſſe, ex Elegia de Nuce apud Ovid. comperimus.

134. *Thalaſſio.*] *Thalaſſius. Thalaſſus,* & *Thalaſſio* dicebatur. *Thalaſſionem* in Feſtis Nuptialibus Romani, ſicut & Græci ſuum Hymenæum invocabant. Quod ex eo inoleviſſe autor eſt Livius, quòd in Sabinarum raptu, *virgo una longè ante alias ſpecie, & pulchritudine inſignis, à globo cujuſdam Thalaſſii rapta fuerit; multiſque ſciſcitantibus, cuinam eam ferrent, ne quis eam violaret, Thalaſſio ferri clamitatum.* Qua de causâ vocem hanc nuptialem factam, & ad poſteros inde manaſſe Plutarchus etiam cenſet. Nonnullis tamen ad lanificium vocis hujus originem cauſamque referendam eſſe videtur; in qua ſententia fuiſſe Varronem teſtatur Feſtus. *Thalaſſionem*, inquit, *in nuptiis Varro ait ſignum eſſe lanificii, Thalaſſionem enim vocabant quaſillum, qui alio modo appellatur calathus, vas utique lanificiis aptum.* Conſtat autem lanificiis priſcas matronas valdè deditas fuiſſe, præcipuamque his curam, & operam impendiſſe. Servire autem *Thalaſſio*, idem eſt, ac conſtanti, legitimoque uti matrimonio, nec amplius cinædos ſectari.

136. *Sordebam tibi.*] Nunc ſuum catamitum ſponſus vocat ruſticum, ipſique exprobrat, quod nuper delicias faciens ipſum deſpiceret.

137. *Hodie atque heri.*] Græcorum eſt adagium, χθὲς ϗ πρώην; hoc eſt, *nuperrimè.*

138. *Cinerarius.*] qui nunc tonſores *Cinerarii*, & *Ciniflones* Veteribus dicebantur ab officio calamiſtrorum in cinere calefaciendorum, quibus capillos criſpabant. De his ita Varro lib. 4. de Ling. Lat. *Calamiſtri, quòd his calefactis in cinere capillus ornatur. Qui ea miniſtrabat, à cinere Cinerarius eſt appellatus.* Muliebre illud videtur apud Antiquos miniſterium, ut ſcribit Soſipater lib. 1. Origin. quod & innuit Horat. lib. 1. Satyr. 2

Cuſtodes, Lectica, Ciniflones, Paraſita.

139. *Tondet os.*] Hoc eſt, *malas.* In pueris tonſio indicium erat emeritæ ſuæ libidinoſæ militiæ, quòd jam pubertatem attingerent: & apud Martialem legimus, quòd nova nupta primo die quo mariti domum ducebatur, capillatos mariti pueros tonderet.

Tondebit pueros jam nova nupta tuos.

Poſt initum enim conjugium, & ductam uxorem, meritorii pueri, & in deliciis habiti dimittebantur

Unguentate

Unguentate glabris marite
Abſtinere, ſed abſtine.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Scimus hæc tibi, quæ licent,
Sola cognita: ſed marito
Iſta non eadem licent.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Nupta tu quoque, quæ tuus
Vir petet, cave ne neges,
Ne petitum aliunde eat.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
En tibi domus ut potens,
Et beata viri tui,
Quæ ſeni tibi ſerviet:
Io Hymen Hymenæe io.

INTERPRETATIO.

ægrè temperare valere *à tuis imberbibus* pullis; *at contine te* ab his. O *Hymenae Hymen. ô Hymen Hymenae. Novimus iſta ſola tibi eſſe nota, quæ permittuntur* cœlibi; *verùm hæc ipſa* tibi jam *conjugi non* amplius *permittuntur. O Hymenae Hymen, ô Hymen Hymenae.* *Tu etiam*, ô Julia, jam *ſponſa, vide ne deneges ea, quæ maritus tuus à te poſtulabit, ne ex alio loco eat quæſitum. O Hymenae Hymen, ô Hymen Hymenae. Ecce tibi* adſtat *familia nobilis, & dives tui conjugis, quæ tibi etiam vetula famulabitur. ô Hymenae Hymen, ô*

ANNOTATIONES.

142. *Unguentate.*] *Unguentatum* dicit mollem, effœminatum, & unguentis delibutum. Amatores enim ſolent plerumque jucundis uti, & perfundi odoribus ut malos & graves rejiciant.

Glabris.] *Glabros* appellat imberbes & depiles *pullos*, & *catamitos*, quod poteſt vel ad ætatem referri, ſi eſſent juniores, vel quòd ſe nuce, volſelliſque depilarent, ſi grandiores. Cujus etiam dedecoris infamiam ſubiit Auguſtus; ut ſcribit Suetonius in Auguſto cap. 68.

146 *Scimus hæc tibi.*] Feſcenninâ licentiâ & mordacitate Manlio exprobrantur nefanda puerorum ſtupra, quæ ſi nondum ductâ uxore ſibi licuiſſe putaret, quòd nullâ forſan lege vetabantur; eadem tamen nunc ipſi jam marito amplius non licent.

152. *Cave ne neges.*] Monet ſponſam, ne quid conjugi neget, ſed ipſi in omnibus conjugalibus pareat. Alludere porrò videtur Catullus ad ritum antiquum, quem ferunt inſtituiſſe Solonem, ut nempè ſponſa, priuſquam virum accederet, malum cydonium ſeu cotoneum comederet; ut ſignificaretur debere eſſe gratiæ, & ſuavitatis plenum quidquid ab ejus ore procederet; ipſamque facilem, & mitem eſſe oportere, ne ab ipſius conſuetudine maritus alienetur.

156. *En tibi domus.*] Gratulatur Juliæ, quòd familiam divitem & nobilem ingrediatur.

Io Hymen Hymenæe.
Uſque dum tremulum movens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedeis,
Raſilemque ſubi forem.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Adſpice intus ut accubans
Vir tuus Tyrio in toro,
Totus immineat tibi.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Illi non minùs, ac tibi

INTERPRETATIO.

Hymen Hymenae. Donec longæva ſenectus trepidum agitans caput cuncta cunctis concedat. O Hymenae Hymen, ô Hymen Hymenae. Tranſmitte fauſto auſpicio formoſas plantas tuas trans limen mariti tui, *& pelitam* ejus *ingredere januam. O Hymenae Hymen, ô* Hymen *Hymenae. Intuere introrſum quomodo* Manlius *maritus tuus decumbens in cubili Tyrio, totus in tuos amplexus impendeat. O Hymenae Hymen, ô Hymen Hymenae. Ipſi perinde atque tibi.*

ANNOTATIONES.

162. *Cana tempus anilitas.*] Uſque dum ſenectus habens cana tempòra, aut cana ſenectus tremulum agitans caput, omnia omnibus annuat. Poſuit autem *annuis* ſubjunctivi modi, quomodo dicitur, *edim. edis, edit*, &c. Lepida ſanè de ſenibus ſententia, quibus ut plurimùm albeſcens tremulum eſt caput, ita ut omnia omnibus annuere videantur.

166. *Transfer omine cum bono limen*] Diligenter cavebant Antiqui, ne novæ nuptæ ſpouſi domum ingredientes pedibus *limen* attingerent; ne, ut ait Varro, à ſacrilegio inchoarent, ſi depoſituræ virginitatem, calcarent rem Veſtæ, Numini caſtiſſimo ſacratam. Alii volunt hoc ita factum, ut ſponſa quaſi rapta in domum mariti, morem Sabinarum ab Romulo raptarum ſignificaret. Vel, ut aliis placet, hoc facto deſignare volebant Veteres, ubi flos virginalis eſſet delibandus, tunc invitam ſponſam mariti domum ingredi videri debere. Alii putant ideo novam nuptam *tranſcendere limen* intactum conſueviſſe, quia putabant Antiqui ſive exeundo, ſive ingrediendo *limen tangere* eſſe ominoſum & infauſtum.
Unde Ovid. lib. 1. Amor.

Miſſa foras iterùm limen tranſire memento
Cautius, atque altè ſobria ferre pedem.

Alii denique volunt ſponſas ideo tam diligenter à *limine tangendo* abhorruiſſe, ut evitarent malum medicamentum, amatoriumque maleficium, quod magicis artibus incantatores novis ſponſis parare conſueverant.

171. *Aſpice intus ut accubans.*] Alii legunt *imus*, quod malè exponit, & defendit Scaliger; malè etenim dicitur *imus* ſeu *infimus*, qui *accubans* ſponſæ totus dicitur *immineré*. Veteres igitur ſequimur codices, retinemuſque,

Aſpice intus, ut accubans, &c.

172. *Tyrio in toro.*] Hoc eſt, purpureo,

Pectore uritur intimo
Flamma, ſed penitè magis.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Mitte brachiolum teres,
Prætextate, puellulæ.
Jam cubile adeat viri.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Vos bonæ ſenibus viris
Cognitæ benè fœminæ,
Collocate puellulam.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Jam licet venias, marite:
Uxor in thalamo eſt tibi,
Ore floridulo nitens:

INTERPRETATIO.

imis viſceribus ardet ignis; imò ipſi *longè penitiùs. O Hymenae Hymen, ô Hymen Hymenae. O patrime* puer, *miſſum fac brachium tenellulum nova nupta.* Ipſa *nunc petat lectum mariti* ſui. *O Hymenae Hymen. ô Hymen Hymenae.* *O vos proba mulieres maritis vetulis unicis feliciter nota componite novam nuptam* in thoro. *O Hymenae Hymen. ô Hymen Hymenae. Nunc* tibi *conceditur accedere, ô ſponſe; te expectat in lecto* geniali *ſponſa florido ſplendens vultu,*

ANNOTATIONES.

quòd nempè Tyria eſſet optima purpura.

182. *Prætextate.*] Alloquitur puerum patrimum ſeu Paranymphum, qui novam nuptam ducebat, ut dimittat jam manum ſponſæ, ut cubile viri adeat. Vocatque eum puerum *prætextatum*, quia *prætextâ* erat indutus. *Prætexta* autem veſtis erat quâ pueri nobiles olim utebantur, quæ ſæpius fuit purpurea, ut pudorem in pueris eſſe debere denotaret.

183. *Cubile adeat viri.*] Malè nonnulli legunt, *adeant*, cum Scaligero, qui vult hoc referri ad mulieres pronubas, qui novam ſponſam deducebant.

186. *Vos unis ſenibus bona.*] Aliter etiam hæc legit, & exponit ſuo more laudabili Scaliger, qui non advertit olim in more fuiſſe poſitum, ut boni ominis causâ in cubiculi ſella, & in lecto geniali novam nuptam matronæ univiræ, id eſt, quæ uni tantùm viro nupſerant, collocarent; quod munus iis ſolummodò matronis demandabatur, tanquam caſtioribus, quæ unicum tantùm habuiſſent maritum. Signum enim fuit intemperantiæ cujuſdam, ſi qua mulier poſt primum maritum, ſuſcepiſſet alterum. Unde Virgil. Æneid. 4. iteratum matrimonium vocat culpam.

Huic uni forſan potui ſuccumbere culpa.

191. *Jam licet venias, marite.*] Hinc patet morem fuiſſe, ut prior iret in lectum ſponſa, quam poſtea adiret maritus in lecto jam collocatam.

Alba Parthenice velut,
Luteumve papaver.
At, marite, ita me juvent
Cælites, nihilominus
Pulcher es, neque te Venus
Negligit. ſed abit dies:
Perge, ne remorare.
Non diu remoratus es.
Jam venis, bona te Venus
Juverit: quoniam palam,
Quod cupis, capis, & bonum
Non abſcondis amorem.
Ille pulvis Erythræi
Siderumque micantium

INTERPRETATIO.

quaſi candida Parthenice, aut rutilum papaver. Sed tamen formoſus es, ô ſponſe, ita me Dii adjuvent: nec te Venus deſpicit; ſed præterit tempus; propera, ne cunctare. Non es moratus longe tempore: nunc modò ades; felix & fauſta Venus te adjuverit: quandoquidem modò palam habes quod optas, nec legitimum celas amorem. Is, qui cupit innumera millia v ſtrorum luſuum numerare, po-

ANNOTATIONES.

194. *Parthenice velut, luteumve papaver.*] *Parthenice* ſeu *Parthenion* herba eſt, quæ fert florem albi coloris. Sic inſignem Juliæ pulchritudinem ſignificat Poëta, dicens eam nitere albo colore rubro mixto. *Papaver* enim *luteum*, tertium genus eſt *papaveris*, quod rubro ſuo colore puellarem ruborem rectè indicat, ſi maximè floribus albis, ut *Parthenica* conjungatur. Primum igitur *papaveris* genus eſt album, & candidum, cujus ſemen toſtum apud Veteres in ſecunda menſa cum melle edebatur. de quo Virgil. lib. 4. Georgicon.

——— *veſcumque papaver*

Secunda ſpecies *papaveris* eſt nigri coloris, cujus ſcapo inciſo lacteus ſuccus exprimitur. Tertium genus eſt, de quo hic Catullus noſter, quod eſt flore rufo & luteo Familiare admodum eſt Poëtis puellarum formam & pulchritudinem floribus comparare.

Virgil. lib 12. Æneid. de forma Laviniæ.

Indum ſanguineo veluti violaverit oſtro
Si quis ebur, vel miſta rubent ubi lilia multâ
Alba roſâ; tales virgo dabat ore colores.

Sic etiam Tibullus inter omnes lepidiſſimè lib. 3. Eleg. 4.

Et color in niveo corpore purpureus
Ut cum contexunt Amaranthis alba puella
Lilia, & Autumno candida mala rubent.

196. *At marite.*] Incredibile eſt quantum hæc ſint depravata, quæ tamen quiſque, prout libuit, emendavit.

203. *Palam, quod cupis, capis.*] Mos ſemper fuit, ut matrimonium palam & publicè contraheretur, ut eſſet legitimum, & honeſtum. Unde elegantiſſime pro more ſuo Tibullus lib. 2 Eleg. 2.

Felices olim, Veneri cum fertur apertè
Servire æternos non puduiſſe Deos.

205. *Non abſcondis amorem.*] Conjugalem & honeſtum amorem non celas. quemadmodum turpem cum cinædis conſuetudinem occultare ſolebas.

206. *Pulveris Erythræi.*] Plures le-

Subducat numerum prius,
Qui veſtri numerare vult
Multa millia ludi.
Ludite, ut lubet, & brevi
Liberos date. non decet
Tam vetus ſine liberis
Nomen eſſe: ſed indidem
Semper ingenerari.
Torquatus volo parvulus
Matris è gremio ſuæ
Porrigens teneras manus,
Dulcè rideat ad patrem,
Semihiante labello.
Sit ſuo ſimilis patri
Manlio, & facilè inſciis

INTERPRETATIO.

tius enumeret Erythrea arena, & ſtellarum fulgentium multitudinem. Ludite nunc, *ut places, & propediem filios procreate. Non convenit gentem adeo antiquam ſine filiis ſtare; at* decet *exinde* ſtatim *procreari. Cupio* ut *parvulus Torquatus molles extendens manus è ſinu ſuæ parentis, blandè patri arrideat ſemihiulco ore. Sit* puer *ſuo patri* Manlio *ſimilis, ac facilè à cunctis* etiam *ne-*

ANNOTATIONES.

gunt, *Enthei*, ut poſſit alludi ad *Entheos* Bellonæ, quos *Bellonarios* vocabant, quique magnam vim pulveris excitabant. Alii legunt, *aerii*, nos *Erythras*, ita ut Poeta ſignificet hoc loco eum, qui velit enumerare luſus Manlii & Juliæ, debere priùs ſtellas, & arenas maris *Erythras* numero colligere. *Erythraum* portò mare, ſeu Rubrum dictum eſt Orientale. Elidenda porrò eſt metri causâ diphthongus, *a*, & legendum *Erythri*.

213. *Tam vetus nomen.*] *Nomen* pro *cognomine* dixit. *Torquatus* enim vetus fuit cognomen *Manliorum*. Primus illius gentis *Titus Manlius Torquatus*, à torque hoſti Gallo jugulato detracto, eſt appellatus. Nota eſt hiſtoria apud Livium.

215. *Sed indidem ſemper ingenerari*] Hoc eſt, ex eodem loco, & familia decet liberos procreari, ut longam familiæ Torquatorum ſeriem poſſint æternare.

216. *Torquatus volo parvulus.*] Sic apud Virgil. Dido optat parvum Æneam.

——— *Si quis mihi parvulus aulâ*
Luderet Æneas. ———

219. *Dulcè rideat ad patrem.*] Ita Virgil. in Pollione.

Incipe parve puer riſu cognoſcere matrem.

Boni prætereà ominis putabant Veteres in infante eſſe, ſi arrideret ad patrem.

220. *Semihiante labello.*] Aperto ore, quaſi aliquid loqui velit.

221. *Sit ſuo ſimilis patri.*] Optat ut adeo ſimilis naſcatur filius Manlio, ut quiſque etiam neſciens ſtatim atque ipſum viderit, credat omninò eum eſſe filium Manlii. Qui enim ore ſimilitudinem patris refert, verus ejus filius putatur eſſe etiam non agnitus Indeque ut ait Horat. lib 4. Od. 5.

Laudantur ſimili prole puerpera.

Mulieres enim plerumque pariunt liberos ſimiles iis, ex quibus conceperunt. Sic Julia Auguſti filia ſemper filios Agrippæ ſimiles procreavit: quod cum

Noſcitetur ab omnibus,
Et pudicitiam ſuæ
Matris indicet ore.
Talis illius à bona
Matre laus genus approbet;
Qualis unica ab optima
Matre Telemacho manet
Fama Penelopeo.
Claudite oſtia virgines,
Luſimus ſatis. at boni
Conjuges benè vivite, &
Munere aſſiduo valentem
Exercete juventam.

INTERPRETATIO.

ſcientibus ipſum eſſe Manlii filium *agnoſcatur, atque vultu* ſuo *pudico referat parentis ſuæ caſtitatem. Tanta gloria commendet* Torquatuli *illius originem à matre proba, quanta laus ſupereſt ſingularis Telemacho Penelopes filio ab caſtiſſima ſua parente. Occludite modò januam, ò puella, lecati ſumus abunde. Vos verò, ò probi conjuges, feliciter* unà ſimul *vitam producite: & continuo* conjugii *officio florentem exercete juventutem.*

ANNOTATIONES.

nonnulli ejus flagitiorum & impudicitiæ conſcii mirarentur, feſtiviter reſpondit: *Nunquam niſi plenâ navi tollo vectorem.* Quo urbanè dicto ſignificabat ſe non priùs adulteris poteſtatem ſui corporis facere, quàm ex marito facta eſſet gravida.

224. *Pudicitiam ſuæ matris indicet ore.*] Sic etiam Martialis lib. 6. Epigram 27.

En tibi, quæ patrii ſignatur imagine vultus,
Teſtis maternæ nata pudicitiæ.

Puerorum namque vultus ſimilitudinem parentum referens, apertum eſt maternæ pudicitiæ teſtimonium.

228. *Ab optima matre.*] Quemadmodum Telemacho Penelopes filio ingens fuit gloria, ob matris caſtitatem, quæ per viginti annos abſente marito pudicitiam obſervavit: ita etiam Torquatus ſit matris caſtitate, & pudicitiâ commendabilis

229. *Telemacho.*] Ulyſſis ex Penelope filius fuit *Telemachus*, qui apud matrem relictus, & abſente patre multis injuriis affectus à matris ſuæ procis domum tandem reverſo patri in illis ulciſcendis ſe præbuit adjutorem.

230. *Penelopeo.*] *Penelope* fuit regia Icarii filia, Ulyſſis uxor, mater Telemachi, quæ, ex Homeri prædicatione, ab omnibus ferè caſtiſſima & pudiciſſima dicitur; ut nomen ejus, non mulieris jam, ſed ipſius penè pudicitiæ nomen putetur. Lycophron tamen Poëta Græcus ait *Penelopen concubitum omnium procantium paſſam, & ex eorum uno genuiſſe filium nomine Pana, quod cùm à reditu cognoviſſet Ulyſſes, ſtatim abiit in inſulam Cortinam, & ibidem obiit.* Quod confirmat Herodotus ſub finem libri ſecundi, ſcribens Pana ex *Penelope* & Mercurio fuiſſe genitum. Refert etiam Interpres Theocriti Mercurium in formam hirci converſum cum *Penelope* commiſcuiſſe corpus, ex eaque ſuſcepiſſe Pana paſtorum Deum. Noſter tamen Catullus eam, quæ pluribus probatur, ſequitur ſententiam; quod nempè caſta fuerit *Penelope*.

231. *Claudite oſtia.*] Hinc apparet conſueviſſe virgines januam cubiculi novorum ſponſorum claudere, dum jocis imponeretur finis, dimitterenturque ſponſi conjugalibus officiis operam daturi.

* CARMEN NUPTIALE. LXII.

VESPER adeſt, juvenes, conſurgite; Veſper Olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollit.
Surgere jam tempus, jam pingueis linquere menſas.
Jam veniet virgo, jam dicetur Hymenæus.

INTERPRETATIO.

JUVENES. *Apparet jam Heſperus, ô pueri, ſimul ſurgite: Heſperus Cœlo ægrè demùm attollit jubar longo tempore deſideratum. Nunc hora eſt exurgere è convivio, & opimas epulas deſerere: modò prodibit nova nupta, modo cantabitur*

ANNOTATIONES.

* CARMEN NUPTIALE.] Hoc alterius partis operis Catulliani, quod vulgò tres in partes dividitur, principium eſt. Abſolutis enim Lyricis in prima parte, altiori ſtylo carmen heroicum in ſecunda aggreditur Poëta, qui etiam in tertia feliciter Elegos decantavit. Hoc verò *Carmen nuptiale* inſcriptum, ſive in Juliæ & Manlii, ſive alterius nuptiis celebratum fuerit, à virginibus & adoleſcentibus in Amœbæi carminis modum fuit recitatum. In hoc enim brevi poëmate, quod & εἰδύλλιον, qualia multa Theocritus conſcripſit, poteſt appellari, puellæ adoleſcentesque carminis Amœbæi, inter ſe de conjugii commodis & incommodis contendentes introducuntur, & demùm puellæ cedere adoleſcentibus coguntur. Adoleſcentes primi contra puellas ad concinendum ſeſe viciſſim exhortantur, ac conjugium ejuſque commoda collaudant; puellæ verò tempus nuptiale, quòd multa damna inferat, querelis inſectantur. Quid autem ſit *Carmen hexametrum*, notius eſt, quàm ut hic à nobis debeat exponi.

1. *Veſper adeſt*, &c.] Sydus illud, quod Aſtronomis *Venus*, & *ſtella Veneris* dicitur Græcis Φωσφόρος, à Latinis *Veſter*. *Veſperugo*, *Heſperus*, & *Lucifer* appellatur. *Veſper* autem nuncupatur, quòd quibuſdam menſibus veſperè: *Lucifer*, quòd quibuſdam mane exoriatur. Dicitur autem *Veſpera* apud Nonium, *Veſperâ exoriente*. Reperitur & *Veſper* neutro genere apud Varronem lib. 8. de Ling. Lat. Cùm autem poſt Solis occaſum ſtatim appareat *Veſper*, per ejus exortum noctis principium indicat Catullus, cui concinit Claudianus in Honorii & Mariæ Epithalamio.

Attollens thalamis Idalium jubar
Dilectus Veneri naſcitur Heſperus.

Virgil. lib. 1. Georgic.

Illic prima rubens accendit lumina
Veſper.

Olympo.] Sumitur hic *Olympus* pro Cœlo, quo ſenſu ſæpiùs uſurpatur à Poëtis, ut à Tibullo, lib. 1. Eleg. 6.

Hanc Venus ex alto flentem ſublimis
Olympo
Spectat, & inſidis quod ſit acerba
monet.

Mons porrò hujus nominis eſt, & Lesbi, & Helleſponti, & Lyciæ, ſed & Theſſaliæ qui altiſſimus eſt & notiſſimus.

2. *Expectata diu lumina.*] A novis conjugibus; lege enim cavebatur, ne maritus luce ſponſæ conjungeretur, ſed tenebris; unde exortu Heſperi novæ nuptæ in domos virorum perduci ſolebant, ac interim canebatur Hymenæus, ut teſtatur Poëta.

Iam veniet virgo, jam dicetur Hymenaus.

4. *Dicetur Hymenaus.*] De Hymenæo jam ſuprà dictum initio Epithalamii Juliæ & Manlii Carm. LXI. ultima verò ſyllaba verbi, *dicetur*, quæ brevis eſt, producitur ob ſequentem aſpirationem: quod & fecit in Coma Berenices,

Quæ rex tempeſtate novis auctus Hy-
menæus.

Hymen ô Hymenæe, Hymen ades, ô Hymenæe.
Cernitis, innuptæ, juvenes? conſurgite contra.
Nimirùm Æthereos oſtendit Noctifer ignes.
Sic certè. viden' ut perniciter exiluere?
Non temerè exiluere. canent quos vincere par eſt.

INTERPRETATIO.

Hymenæus. O Hymen Hymenæe, ô ades Hymen Hymenæe.

PUELLÆ. O *Virgines, videtiſne Juvenes, ſimul vos inſurgite adverſus* eos. *Enimverò Noctifer oſtendit cœleſtia Sydera. Ita ſanè* eſt. *Cernitiſne quomodo celeriter conſurrexerunt? Non* equidem *ſine cauſa* è ſedibus *exilierunt* juvenes. Ipſi

ANNOTATIONES.

Idem in Ariadna.

Tum Thetis humanos non deſpexit Hymenæos.

Eumdem numerum celebravit Virgilius lib. 7. Æneid.

——— *Thuraique canit Hymenæos.*

Itemque lib. 8. Æneid.

——— *Linquens profugus Hymenæos.*

Sic etiam Eclog. 16

Ille latus niveum molli fultus hyacintho.

5. *Hymen ô Hymenæe.*] Verſus hic eſt intercalaris, per quem Hymenæus tam ab adoleſcentibus, quàm à puellis invocatur. In hoc Theocritum Catullus eſt æmulatus: ille enim Eidyllio 18. quod *Helenæ Epithalamium* inſcribitur, ita canit:

Ὑμὴν ὦ Ὑμέναιε γάμῳ ἐπὶ τῷδε χαρείης.

6. *Cernitis innuptæ.*] Verba ſunt puellarum, quæ ſeſe viciſſim hortantur ad cantandum contra juvenes in ipſas contendentes.

7. *Æthereos oſtendit Noctifer ignes.*] Idem puellæ dicunt, quòd juvenes, ſed aliis verbis. Heſperus autem vocatur a Catullo *Noctifer*, quod cum ſtatim poſt Solis occaſum appareat, noctem ferre videatur, ſicut idem à luce ferenda *Lucifer* dicitur. Unde paſtores, viſo *Heſpero*, intelligunt noctem inſtare. Virgil Eclog. ultima.

Ite domum ſaturæ, venit Heſperus, ite capellæ.

Sic etiam viſo *Lucifero*, ſentiunt omnes adeſſe diem. Idem Virgil. lib. 2 Æneid.

Iamque jugis ſumma ſurgebat Lucifer Idæ,
Ducebatque diem, ———

Mirum porrò eſt, quàm variè à variis legatur hic Catulli verſus. Alii enim legunt:

——— *Eoos oſtendit Noctifer imbres,*

quaſi Heſperus orientales imbres ſignificet. Alii legunt, *Oetæos*, quod ab *Oeta Heſperum* oriri putarent. Unde Virgil.

——— *Tibi deſerit Heſperus Oetam.*

Alii legunt:

——— *Oetæas obtendit Noctifer umbras.*

Scaliger legit:

——— *Oceano ſe oſtendit Noctifer imbre;*

Id eſt, *mari*: ita ut ſit *Oceanus imber*, ut *Oceanum mare*. Quod utrum ſit accipiendum viderit Lector. Intelligit autem Poëta per *ignes Æthereos*, alia Sydera & ſtellas, quas ſecum ferre videtur Heſperus

9. *Canent, quos vincere par eſt*] Alii legunt, *quo vincere par eſt*, id eſt *quo duce*, nempè *Hymenæo*. Alii legunt, *cavent*, hoc eſt, *à nobis*, &, *quos viſere par eſt*, id eſt, *convenit ut videamus, quid parent contra nos.* Sed meliores ſequimur codices, qui hoc ad juvenes mox cantaturos adverſus virgines referri ſignificant, quod ſanè contextus ratio ſatis indicat.

Hymen, ô Hymenæe Hymen ades, ô Hymenæe.
 Non facilis nobis, æquales, palma parata eſt:
 Adſpicite, innuptæ ſecum ut meditata requirant.
 Non fruſtrà meditantur, habent memorabile quod ſit.
 Nos aliò menteis, aliò diviſimus aureis.
Jure igitur vincemur, amat victoria curam.
 Quare nunc animos ſaltem committite veſtros:
 Dicere jam incipient, jam reſpondere decebit:
 Hymen, ô Hymenæe Hymen ades, ô Hymenæe.
 Heſpere, qui cœlo fertur crudelior ignis?
Qui natam poſſis complexu avellere matris,
 Complexu matris retinentem avellere natam,

INTERPRETATIO.

mox *cantabunt*, *quos decet* nos *ſuperare*. *O Hymen Hymenæe*, *ades ô Hymen Hymenæe*.

JUVENES. *O ſodales*, *difficilis victoria nos manet*. *Cernite*, *quomodo Virgines in memoriam revocent quæ* ſingulæ *excogitarunt*. *Non* certè *ſine cauſa ita meditantur*; *excogitarunt enim* aliquid, *quod memoratu ſit dignum*. *Nos vero ad alia animos*, *ad alia aures intendimus*. *Meritò itaque ſuperabimur*; *victoria* namque *exigit* aliquam *ſollicitudinem*. *Quamobrem jam animos ſaltem veſtros componite*. *Canere modò exordientur* puellæ, *modò nos reſpondere oportebit*. *O Hymen Hymenæe*, *ades ô Hymen Hymenæe*.

PUELLÆ. *O Veſper*, *quænam ſtella in cælo memoratur immitior quàm tu? qui valeas filiam abſtrahere ab amplexu matris*, *abſtrahere*, inquam, *à matris amplexu remoranti filiam*, *ac virginem*

ANNOTATIONES.

11. *Non facilis palma.*] Arbor eſt *palma* quæ non cedit ponderi, ſed nititur contra pondus, ideoque victoribus traditur præmio, quòd non ceſſerint, ſed pertinaces in bello perſtiterint. Inde vulgò victoria dicitur *palma*. Vide Strabon. lib. 15. Theophraſt. lib. 5. & Aulum Gell. lib. 3 cap. 6. ubi hæc ex Plutarcho referuntur: *In certaminibus palmam ſignum eſſe placuit victoriæ*, *quoniam ejuſmodi ligni ingenium eſt*, *ut urgentibus opprimentibuſque non cedat.*

14 *Nos aliò mentes.*] Hic verſus quaſi locum proverbii obtinuit in negligentes; qui enim aures dirigunt in aliam partem, mentem verò in aliam, negligunt audire quæ dicuntur. Sic Ovid lib. 2. de Remedio Amoris *mentem ſectam* dicit:

Secta bipartito cum mens diſcurrit utroque,
Alterius vires ſubtrahit alter Amor.

16. *Animos committite.*] Conjungite, in unum contrahite, componite invicem animos, ut ſic unam rem agentes, puellas vincamus: neceſſe eſt enim, qui vincere velit, curam adhibeat. His conſonat Terentius:

Ubi intenderis ingenium, valet.

19. *Heſpere.*] Cantus puellarum eſt; quæ damna conjugii incipiunt enumerare, Heſperumque crudelitatis arguunt, quòd ejus adventu puellæ a parentibus, & à complexu & gremio matris abdocantur.

Ignis.] Stella dicitur *ignis.* Virgil. Æneid. lib. 3. v. 585.

Nam neque erant aſtrorum ignes ——

20. *Complexu matris.*] Diximus jam ſupra hoc in more fuiſſe poſitum, ut nova nupta è gremio matris rapi ſimularetur, ut marito traderetur, quòd nempè raptus virginum Sabinarum Romulo benè ſucceſſiſſet. Feſt. *Rapi ſimulatur virgo ex gremio matris, aut ſi ea non eſt, ex proxima neceſſitudine.*

Et juveni ardenti caſtam donare puellam?
Quid faciant hoſtes captâ crudelius urbe?
Hymen, ô Hymenæe Hymen ades, ô Hymenæe.
Heſpere, qui cœlo lucet jucundior ignis?
Qui deſponſa tuâ firmes connubia flammâ?
Quod pepigere viri, pepigerunt antè parentes,
Nec junxere priùs, quam ſe tuus extulit ardor.
Quid datur à Divis felici optatius horâ?
Hymen, ô Hymenæe Hymen ades, ô Hymenæe.
Heſperus, ah! nobis, æquales, abſtulit unam.

INTERPRETATIO.

intactam tradere viro ejus amore incenſo. Quid agant hoſtes immaniùs in civitate vi expugnatæ. O Hymen Hymenæe, ô ades Hymen Hymenæe.

JUVENES. O *veſper, quænam ſtella in Cœlo fulget gratior*, quàm tu? *qui confirmes tuo lumine pacta conjugia?* *Quid* enim *homines pacti ſunt, quod parentes antea ſpoponderant, non antè copularunt, quàm tuus ſplendor ſe è protulit. Quid* enim *à Diis conceditur beatâ hac horâ jucundius? O Hymen Hymenæe, ades ô Hymen Hymenæe.*

PUELLÆ. O *Sodales, Veſper è nobis*

ANNOTATIONES

22. *Juveni ardenti.*] Impatienter amanti. Amor enim igni comparatur à Poëtis. Virgil. lib. Æneid. 4. v. 2.

——— *& cæco carpitur igni.*

His etiam ſimilia de Hymenæo in Epithalamio ſuperiore Catullus cecinit v. 58.

Tu fero juveni in manus
Floridam ipſe puellam
Matris è gremio ſua
Dedis ———

23. *Quid faciant hoſtes*, &c.] Crudele habetur, quòd ubi hoſtes urbem aliquam vi expugnaverunt, virgines rapiantur; cùm igitur, Heſpero apparere incipiente, virgines è matrum gremio viris in nuptias rapere fas ſit: inde crudelis *Heſperus* à puellis dicitur.

25. *Heſpere qui lucet.*] Reſpondent juvenes puellis, *Heſperi*que fulgorem, qui exoriens nuptialia pacta confirmet prædicantes conjugii commoda recenſent. Carminis autem Amœbæi lex hæc eſt, ut qui in ſecundo loco dicit aut aliquid majus, aut contrarium objectis reponat. Quod hoc loco obſervat eleganter Catullus.

Jucundior ignis.] Sic etiam Homer Iliad. lib. 10.

Ἕσπερος ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ.

Sic etiam de Heſpero Virgil. lib. 8. Æneid. v. 590.

Quem Venus ante alios aſtrorum diligit ignes.

26 *Deſponſa firmes connubia*] Maximè enim conjugium ſtabilitur & confirmantur nuptiæ, cùm ſponſa jungitur ſponſo, quòd exoriente Heſpero, fieri ſolebat; quaſi is eſſet confirmator & dux nuptiarum. Hic locus Donati firmat explicationem ad illud Andriæ apud Terent. *placate, deſpondi. Propriè ſpondet puella pater. deſpondet adoleſcentis.* Verba ſunt Donati, qui hæc etiam ſcripſit in Adelph. *Deſpondet puellam, qui petit*, &c.

27. *Pepigerunt antè parentes.*] Antequam nimirùm deſponderent; nam virgo pacta nondum erat deſponſa, ſi Palleratio in hunc locum fidem habeamus. Deſponſa autem puella noctu tantùm ex lege nubebat: nec priùs in viri domum quàm illuceſceret Heſperus, abducebatur, ut ſæpiùs jam diximus.

31. *Heſperus ah! nobis.*] Conqueruntur puellæ, quòd unam è ſuo cœtu rapuerit Heſperus. Verſus hic variè legi-

* * *

* * * *

Namque tuo adventu vigilat cuſtodia ſemper.
Nocte latent fures, quos idem ſæpè revertens,
Heſpere, mutato comprendis nomine eoſdem.
At lubet innuptis ficto te carpere queſtu.
Quid tum ſi carpunt tacitâ quem mente requirunt?
Hymen, ô Hymenæe Hymen ades, ô Hymenæe.

ANNOTATIONES.

unam abripuit. * *

* * * *

* * * *

* * *

Etenim, te exoriente, excubiæ jugiter vigiles obeunt vices. Noctu fures occultantur, quos eoſdem frequenter tu ipſe rediens, ô Veſper, variato nomine deprehendis.

JUVANAS. *Sed placet puellis increpare te ſimulatâ querelâ, ô* Veſper. *Quid* ergo *ſi te increpant, quem* tamen *occulto animo exoptant. O Hymen Hymenæe, ades ô Hymen Hymenæe.*

ANNOTATIONES.

tur à multis; alii enim codices habent:

Heſperus è nobis, æquales, abſtulit unam.

Alii verò ſic:

Heſperus è noſtris æqualibus abſtulit unam.

At quamquam variæ ſunt lectiones; in idem tamen ferè recidit omnium ſenſus. Hic porrò ſex aut ſeptem verſus deſiderantur.

33. *Vigilat cuſtodia.*] Homines ipſi *cuſtodes* ſeu *vigiles* dicti: unde Græcis *cuſtodia* dicitur οἱ φύλακες. Virgil. lib. Æneid. 6.

——— *Cernis cuſtodia qualis*
Veſtibulo ſedeat ———

Feſt. *Cuſtodelam dicebant Antiqui, quam nunc dicimus cuſtodiam.*

34. *Nocte latent fures.*] Videtur Poëta hoc loco *fures* pro amatoribus ponere: unde etiam *furta* adulteria dicuntur. Ovid.

——— *Quis deprendere poſſit*
Furta Jovis? ———

Claudian.

Gaudet amant furto. ———

Propert.

Iuppiter, ignoſce priſtina furta tua.

Idemque alibi.

——— *Dulcia furta Iovis.*

Ipſe denique Catullus noſter ſuprà Carm. VII.

Aut quam ſydera multa, cum tacet nox,
Furtivos hominum vident amores.

35. *Mutato comprendis nomine eoſdem.*] Eadem enim ſtella quæ poſt Solis occaſum dicitur *Heſperus*, ante ejuſdem Solis ortum *Lucifer* appellatur, ſæpiuſque *fures eoſdem*, hoc eſt, amatores, quia ad exortum uſque *Luciferi* morantur apud amicam, deprehendit. Idem ferè Horat. Od 9. lib. 2.

Nec tibi veſpero ſurgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente Solem.

36. *At lubet innuptis.*] Hic etiam procul dubio plures deſiderantur verſus. Manifeſtum enim eſt deeſſe finem eorum quæ ex lege carminis Amœbæi debuerunt puellæ reſpondere. Hæc autem juvenum ſunt verba, qui ſimulatas & fictas eſſe puellarum reponunt querelas; ideòque Lucifero contemnendas, cùm tantùm verbis, & non ex animo reprehendant, quod tacitâ mente, totiſque ſecum medullis exoptant.

Claudian.

Tenerum jam pronuba flamma pudorem
Sollicitat, mixtâque tremit formidine votum.

Ut flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contuſus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat ſol, educat imber:
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ,
Idem cum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ optavere puellæ:
Sic virgo dum intacta manet, tum cara ſuis. ſed
Cum caſtum amiſit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis.
Hymen, ô Hymenæe Hymen ades, ô Hymenæe.
Ut vidua in nudo vitis quæ naſcitur arvo,
Nunquam ſe extollit, nunquam mitem educat uvam,
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus,
Jam jam contingit ſummum radice flagellum,
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere juvenci:

INTERPRETATIO.

PUELLÆ. *Sicut flos ſelectus in hortis benè clauſis exoritur pecudibus incognitus, & nullo vomere violatus, ſed quem fovent Zephyri, roborat Sol nutrit pluvia; plu es ipſum juvenes, plures puellæ expetierunt; ſed ubi is ipſe flos tenero ungue decerptus elanguet, nulli ipſum juvenes, nullæ puellæ expetierunt. Ita puella quandiu manet illibata, tunc ſuis eſt dilecta; poſtquam verò deflorato corpore pudicum amiſit florem; tunc nec juvenibus eſt exoptata, nec virginibus dilecta. O Hymen Hymenæe, ades ô Hymen Hymenæe.*

JUVENES. *Quemadmodum vitis quæ non fulta exoritur in agro inculto, nuſquam ſe erigit, nuſquam maturum alit racemum, ſed mollem truncum in terram inclinans declivi gravitate tangit radice ſupremos palmites ſarmentorum. Iſtam nulli*

ANNOTATIONES.

39. *Ut flos in ſeptis.*] Elegans admodum & concinna comparatio, quâ puellas eſſe floris inſtar oſtenditur, qui dum nulla læſus injuriâ viget, à pluri mis optatur: ubi verò ungue decerptus langueſcit, ab omnibus negligitur.

42. *Multi illum pueri.*] Hoc Ovid. lib. 3. Metamorph. reſpexit.

Multi illum juvenes, multæ optavere puellæ,
Sed fuit in tenera tam dura ſuperbia formâ
Nulli illum juvenes, nullæ optavere puellæ.

49. *Ut vidua in nudo.* Apta etiam ſimilitudo, quâ juvenes oſtendunt puellam quandiu manet intacta, & integra, perſimilem eſſe viti, quæ nulli adjuncta & adhærens arbori, ſed humi ſtrata nullum fructum fert utilem, ideoque negligitur; ſed ſi eadem ulmo juncta fuerit, jam diligenter ab agricolis colitur, fructumque producit. *Vidua* autem vitis eodem modo, dicitur illa, quæ nulli arbori juncta eſt, quomodo dicitur illa *maritari*, quæ adjungitur arbori.

Horat. Od. 5 lib. 4.

Et vitem viduas ducit ad arbores.

Idemque Od. 2. Epod.

Ergo aut adultâ vitium propagine
Altas maritat populos.

52. *Summum flagellum.*] Summitas ramorum non modò vitis, ſed cujuſlibet etiam arboris *flagellum* appellatur; vitis ergo, quæ non eſt ulmo conjuncta, flagella radice contingit, utpote quæ in ſublime non aſſurgit.

At ſi forte eadem eſt ulmo conjuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere juvenci:
Sic virgo, dum intacta manet, dum inculta ſeneſcit.
Quum par connubium maturo tempore adepta eſt,
Cara viro magis, & minus eſt inviſa parenti.
At tu ne pugna cum tali conjuge virgo.
Non æquum eſt pugnare, pater cui tradidit ipſe,
Ipſe pater cum matre, quibus parere neceſſe eſt.
Virginitas non tota tua eſt, ex parte parentum eſt,
Tertia pars matri data, pars data tertia patri,
Tertia ſola tua eſt: noli pugnare duobus,
Qui genero ſua jura ſimul cum dote dederunt.
Hymen, ô Hymenæe Hymen ades, ô Hymenæe.

INTERPRETATIO.

coloni, nulli boves excoluerunt: ſed ſi illa ipſa vitis *ulmo eſt adjuncta, plures hanc coloni, plures hanc boves excoluerunt. Ita puella quando manet illibata, quando cælebs fit anus*, ab omnibus negligitur. Sed *quando conveniens conjugium conſecuta eſt*; tunc longè *plus dilecta marito, ac minus eſt odioſa parenti. Sed tu, ô puella, ne reſiſte ejuſmodi marito; non enim par eſt te reſiſtere* ei, *cui te pater ipſe* tuus *tradidit, ipſe*, inquam, tuus *pater ſimul cum matre, quibus* te *obedire oportet. Virginitas* tua *non eſt tota tua*, ſed *partim parentum eſt: tertia pars eſt conceſſa patri* tuo, *tertia pars eſt conceſſa matri* tuæ: *tertia* tantùm *pars eſt tua; noli pugnare cum ambobus parentibus, qui ſua jura genero* ſuo *unà cum dote tradiderunt*. O *Hymen Hymenæe, ades, ô Hymen Hymenæe.*

ANNOTATIONES.

54. *Ulmo conjuncta marito.*] Quaſi *ulmo maritata*: unde Virgil. lib. 1. Georgic.

——— *Ulmiſque adjungere vites.* Plin. lib. 14. cap. 1. *Iam in agro Campano populis nubunt vites, mariteſque complexa, atque per ramos earum procacibus brachiis, geniculato curſu ſcandentes cacumina æquant.*

59. *At tu ne pugna.*] Concludunt Carmen juvenes, hortanturque novam nuptam, ut lubens viro conſentiat, parentibus ſic jubentibus, qui jus ſuum in filiæ virginitatem genero ſuo ceſſerunt. Cùm enim ipſa tertiam tantùm ſuæ virginitatis partem habeat, reliquæ verò duæ parentibus cedant, æquum non eſſet cum ipſis contendere, neque marito reſiſtere, in quem parentes ſimul cum dote poteſtatem, juſque ſuum tranſmiſerunt.

65. *Cum dote.*] *Dos* eſt *pecunia nuptiarum causâ data.* Varro lib. 5. de Lingua Lat. *Dos* autem aut dicitur, aut datur, aut promittitur. *Dotem dicere* poteſt mulier, quæ nuptura eſt, aut ipſius mulieris debitor, ejus juſſu, parens mulieris virilis ſexus, ut pater, avus paternus. *Dare* verò & *promittere dotem* omnes poſſunt.

DE ATY. Carm. LXIII.

SUPER alta vectus Atys celeri rate maria
Phrygium nemus citato cupide pede tetigit,
Aditque opaca ſilvis redimita loca Deæ:
Stimulatus ubi furenti rabie, vagus animi
Devolvit ille acuto ſibi pondera ſilice.

INTERPRETATIO.

Atys veloci navigio delatus per profunda æquora feſtinato curſu avidè pervenit ad Phrygiam ſylvam, & acceſſit ad umbroſa loca Deæ Cybeles. *nemoribus cincta; ubi rapido furore percitus, mentis inops abſcidit ſibi acuminato lapide pu-*

ANNOTATIONES.

1. *Super alta.* Hoc Poëmatis genus minimè quidem vulgare metrum habet Galliambicum, a Gallis Cybeles Sacerdotibus, qui hoc in ejus Deæ ſacris maximè utebantur, ſic dictum. Verſus autem Galliambus, de quo plura Hephæſtion, Terentianus, & alii, ſex conſtat pedibus. Primus ſolet eſſe anapæſtus, aut ſpondæus, deinde duo ſequuntur iambi cum una ſyllaba catalectica longa, quibus adduntur rurſum anapæſtus & iambi duo: ut,

Vice veris & Favoni glacies reſolvitur.

At interdum etiam, ut verſus celerior ſit, in penultimum locum tribrachys pro iambo recipitur: ut,

Super alta vectus Atys celeri rate maria.

Sed & aliàs Antiqui variam pedum mutationem recipiebant, nihil ferè curantes, modò temporum numerus retineretur. Alii verò alio modo Galliambum verſum metiuntur.

Atys.] De *Aty* varii varia retulere Scriptores: de quo quidem ſic habet noſter Catullus. *Atys* adoleſcens præſtanti formâ præditus, navigio delatus in Phrygiam, cum in nemus Cybelæ ſeu Berecynthiæ ſacrum perveniſſet, ejuſdem Deæ numine illius amore correptæ, verſus in furorem virilia ipſe ſibi amputavit, & Cybeleia inſtrumenta concutiens, comites quoque ſuos ut idem facerent exhortatus, & cum ipſis per nemora diſcurrens, ut mos Sacrorum ferebat, tandem domum Cybeles pervenit, ubi præ nimiâ defatigatione ſomno correptus eſt. At mane expergefactus, & furore jam liberatus, ut ſeſe ſenſit eviratum, conditionem ſuam cœpit lamentari, & de patria ſua repetenda cogitans, acceſſit ad littus; ſed Cybele, immiſſo leone, eum ita perterrefecit, ut inde iterùm in nemora confugiens, reliquum ibi vitæ ſpatium in Deæ Cybeles famulatu tranſegerit. Hæc tamen Catulli narratio minimè convenit cum iis quæ alii de Aty tradiderunt; ſed ne alii quidem inter ſe conveniunt. Aliter de *Aty* Ovidius lib. 4 Faſtor. & lib. 10. Metamorph. Aliter Servius lib 8. Æneid, Aliter Diodorus Siculus lib. 3. cap. 5.

2. *Phrygium nemus.*] Ad illam montis Idæ partem, quæ Dindymus aut Dindymon dicitur, quò nempe conveniebant ii, qui ſe Berecynthiæ Deæ conſecrarant. Maximè enim Cybele ſeu Berecynthia in Phrygia colebatur, præcipuumque in Dindymo monte Phrygiæ, ubi & ejus ſacra celebrabantur, templum habebat; unde dicta eſt *Dindymene*, *Idæa mater*, &c. Virgil. Æneid. lib. 9.

——— Ite per alta
Dindyma, ubi aſſuetis biforem dat tibia cantum,
Tympana vos buxuſque vocat Berecynthia matris
Idæa.

3. *Loca Deæ.*] Cybelæ ſacra, ſilvis opacis umbroſa, quæ poſteà Catullus dicit *nive amicta*.

5. *Devolvit ille pondera.*] Amputando dejecit pudenda ſeu virilia. Alii *legunt*

Itaque ut relicta ſenſit ſibi membra ſine viro:
Et jam recente terræ ſola ſanguine maculans,
Niveis citata cepit manibus leve tympanum;
Tympanum, tubam, Cybele, tua, mater, initia:
Quatienſque terga tauri teneris cava digitis,

INTERPRETATIO.

denda. Poſtquam verò ſenſit ſupereſſe ſibi corpus ſine virilitate, tunc humi ſuperficiem cruore recenti inficiens Cybeles numine *afflata candidis manibus ſævum tympanum corripuit: tympanum & buccinam, quæ ſunt tua ſacra, ò mater Cybele: atque pulſans mollibus digitis bovis tergora concava ſodalibus ſuis tremens*

ANNOTATIONES.

lactes; nec cur potiùs *pondera* dicantur *genitalia*, quam *lactes*, video. *Lactes* verò propriè dicuntur ex partes per quas labitur cibus.

Acuto ſilici.] Samiam teſtam innuit, quâ ſolebant matris Deorum, ſeu Berecynthiæ Sacerdotes, qui *Galli* dicebantur, ſibi genitalia amputare; nec aliter citra perniciem; ut ait Plin. lib. 35. Hinc etiam Juvenal. Satyr. 6.

Mollia cui ruptâ ſecuit genitalia teſtâ.

Illa porrò teſta Samia cultri vicem præſtabat, quia acuta erat; unde à Poëtis *culter Phrygius* appellari ſolet. Claudian. in Eutropium.

Inguinis & reliquum Phrygiis abſcindere cultris.

Judæis quoque præceptum fuit olim, ut petrinis ſeu lapideis cultris circumciderentur. Joſue cap. 5.

6. *Membra ſine viro.*] *Virum* dixit eam partem quâ viri ſumus, ſeu virilia; ut & Arnobius lib. 5. adverſus Gentes: *Pinus illa ſolemniter, quæ in matris infertur ſanctum Deæ, nonne illius imago eſt arboris, ſub qua ſibi Attis virum demeſſis genitalibus abſtulit.*

8. *Citata cepit manibus leve tympanum.*] Atyn furore concitatum & evirатum fœminino appellat genere Catullus, quia jam virilitate privatus erat quaſi fœmina.

Leve tympanum.] Primam ſyllabam in illo vocabulo *tympanum* corripuit. Alii legunt *crotalum*. Quòd autem *tympana* in ſacris Cybeles pulſarentur, nemo eſt qui neſciat. Ovid. lib. 4. Faſtor.

Cymbala pro galeis, pro ſcutis tympana pulſant,
Tibia dat Phrygios, ut dedit antè, modos.

D. autem Auguſtin. lib. 7. de Civitate Dei cap. 24. dicit ideo magnam matrem, quæ & Tellus, Cybele, & Ops, & mater Deûm vocabatur, habuiſſe tympanum, ut ſignificaretur eam eſſe orbem terræ, & ob id in ſacris ſuis Galli ſeu Cybeles Sacerdotes tympana ſolebant pulſare. In ſacris porrò Cybeles quæ ſonum ederent, quatuor maximè invenio, tympanum, cymbalum, tibiam, & cornu. quæ Lucret. lib. 2. his expreſſit egregiè verſibus.

Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum
Concava, raucisonoque minantur cornua cantu,
Et Phrygio ſtimulat numero cava tibia mentes,
Telaque præportant violenti ſigna furoris.

9. *Tua mater initia*] Sacra ipſa ſeu myſteria dicuntur, ſed hic ſumit *initia* pro iis quæ in ſacris adhibentur. Varro lib. 2. de re ruſt. *Ab ſuillo genere pecoris immolandi initium ſumptum videtur, cujus veſtigia, quòd initiis Cereris porci immolantur, & quòd initiis pacis fœdus cum feritur, porcus occiditur.*

Juſtin. etiam lib. 5. *Alcibiades abſens Athenis inſimulatur myſteria Cereris, initiorum ſacra, nulla magis quàm ſilentio ſolemnia enuntiaviſſe.*

10. *Quatienſque terga tauri.*] Voca-

Canere hoc ſuis adorta eſt tremebunda comitibus:
Agite, ite ad alta, Gallæ, Cybeles nemora ſimul,
Simul ite, Dindymenæ dominæ vaga pecora,
Aliena quæ petentes, velut exules, loca
Sectam meam executæ duce me, mihi comites
Rapidum ſalum tuliſtis, truculentaque pelagi,
Et corpus evitaſtis Veneris nimio odio,
Hilatate excitatis erroribus animum.
Mora tarda mente cedat. ſimul ite: ſequimini
Phrygiam ad domum: Cybeles Phrygia ad nemora Deæ,
Ubi cymbalûm ſonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo,
Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ,
Ubi ſacra ſancta acutis ululatibus agitant,
Ubi ſuevit illa Divæ volitare vaga cohors,
Quò nos decet citatis celerare tripudiis.

INTERPRETATIO.

cœpit iſtud decantare; Eia, properate, unà pariter, ô Gallæ, ad celſas Cybeles ſylvas; properate unà pariter. ô pecudes errantes Deæ Dindymenæ, quæ loca peregrina adeuntes, tanquam exterres, doctrinam meam conſectatæ, autore me, mihi conſortes agitatum mare toleraſtis, & furorem æqueris, corpuſque veſtrum *virilibus ſpoliaſtis, nimiâ in Venerem malevolentiâ, animos recreate ſonitu tympani concitatis erroribus; pigra cunctatio è mente* veſtra *exeat; venite mecum, conſectamini me ad ædem Phrygiam, ad Phrygios* ſcilicet *Divæ Cybeles lucos, ubi cymbalorum ſonitus perſtrepat, ubi tympana perſonant; ubi Phrygius tibicen inflexâ arundine aſperiùs cantat; ubi Mænades hedera redimitæ magno impetu capita quatiunt; ubi rem divinam grandi vociferatione faciunt; ubi errabunda iſta turba Deæ* Cybeles *ſolita eſt diſcurrere: quò* etiam *nos convenit feſtinatis properare*

ANNOTATIONES.

tympanum, *terga tauri*, quòd ex corio fiat, & *terga* dixit pro *tergora*:
Idem etiam Ovid. lib. 4. Faſt.

Æraque Deæ comites, rauſaque terga movent.

12. *Gallæ.*] Cybeles Sacerdotes *Gallos* vocari nemo neſcit: ſed hîc Poëta *Gallas* vocat fœminino genere, quòd amiſsâ virilitate mulieres potiùs eſſent quam viri.
Martianus autem lib. 7. dicit *Gallos* Berecynthiæ Sacerdotes dictos fuiſſe à *Galle* fluvio Phrygiæ, de cujus aqua potantes reddebantur inſani. Quod & Ovidius aſſerit lib. 4. Faſt.

Cur igitur Gallos, qui ſe excidêre, vocamus?
Cum tantum à Phrygia Gallica diſtet humus.
Inter, ait, viridem Cybelen, altaſque Celænas
Amnis it inſanâ nomine Gallus aquâ.
Qui bibit inde furit. ———

13 *Dindymenæ dominæ.*] Sic dicta eſt Cybele à *Dindymo* monte Phrygiæ. in quo ejus ſacra celebrabantur, ut docet Strabo lib. 12 *Mons quidam urbi imminet nomine Dindyma, à quo Dindymena dicitur, quemadmodum à Cybeleis Cybele.*

23. *Ubi capita Mænades.*] Παρὰ τῦ μαίνεσθαι, ab inſaniendo, propriè dicuntur Bacchi ſacrificulæ. Gallos autem Berecynthiæ Sacerdotes Poëta vo-

Simul

Simul hæc comitibus Atys cecinit nova mulier,
Thiaſus repentè linguis trepidantibus ululat,
Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant.
Viridem citus adit Idam properante pede chorus.
Furibunda ſimul anhelans vaga vadit animo egens
Comitata tympano Atys per opaca nemora dux,
Veluti juvenca vitans onus indomita jugi.
Rapidæ ducem ſequuntur Gallæ pede propero.
Itaque, ut domum Cybelles tetigêre laſſulæ,
Nimio è labore ſomnum capiunt ſine Cerere.
Piger his labante languore oculos ſopor operit.
Abit in quiete molli rabidus furor animi.
Sed ubi oris aurei ſol radiantibus oculis
Luſtravit æthera album, ſola dura, mare ferum:

INTERPRETATIO.

ſaltationibus. Cum Atys recens fœmina ſodalibus ſuis hæc dixiſſet, ſtatim Thiaſus tremebundis clamoribus exululas, cavum tympanum reboat, rauca cymbala reſonant: cohors feſtinans citato curſu petit Idam virentem, & pariter Atys furens, anhelans, errabunda, & mentis inops, tympano cincta diſcurrit per denſas ſylvas tanquam bos indomita ſervitii pondus refugiens. Gallæ properantes ducem Atyn conſectantur properante curſu. At verò poſtquam Cybeles ædem attigerunt defeſſæ ex labore nimio ſomnum capiunt ſine Cerere. His iners ſomnus claudit vacillantes languore oculos. Per placidum verò ſomnum ab his diſcedit furens mentis rabies. At poſtquàm ſol aurei vultus micantibus oculis colluſtravit candidum aërem, ſolidam terram, & ſævum pelagus, & vividis equis fugavit tene-

ANNOTATIONES.

cavit *Mænades*; quia, ut Strabo teſtatur, ſacra Cybeles & Bacchi erant Græcis & Phrygibus communia

28. *Thiaſus,*] Tota nempè cohors ipſa quæ Atyn fuerat ſecuta. *Thiaſus* autem propriè chorus eſt, ſive ſacra ſodalitas canentium, ſaltantium, convivantium, non ſolùm ad Cybelen aut Bacchum, ſed & ad alia etiam ſacra pertinens.

30. *Viridem adit Idam.*] *Ida* mons eſt Troiæ imminens ſylvis redimitus, cujus variæ partes varia ſortitæ ſunt nomina; cujuſmodi eſt latus illud dictum Dindyma ſeu Dindymus, in quo Cybele colebatur: fuit & alia pars Gargarus dicta apud Homer. Iliad. 8. In monte porrò *Ida* Paris ſententiam tulit pro Venere de pomo aureo, contra Palladem & Junonem.

32. *Comitata tympano Atys.*] Vocare pergit fœminam *Atyn* genitalibus exciſis eviratum.

35. *Ut domum Cybeles tetigere.*] Sacrificia agendo, & per nemora diſcurrendo, cum ad domum Cybeles pervenerunt defatigatæ ſomno correptæ ſunt.

36. *Sine Cerere.*] Sine cibo, ſine potu, ſine pane, ſine ullo Cereris munere. Terentius.

Sine Cerere & Baccho.

40 *Æthera album, ſola dura, &c.*] Venuſtiſſima & elegantiſſima poſuit epitheta, *aëra album, ſola dura, mare ferum.* Sic Martiali lib. 10. dicuntur *alba luces.*

Alba leone flammeo calent luces.

Sola dura.] Phrygiæ loca aſpera; Idam ſcilicet montem, aut ſolidam terram. *Mare ferum.* Virgil.

—— *Maria aſpera juro.*

Pepulitque noctis umbras vegetis ſonipedibus.
Ibi ſomnus excitum Atyn fugiens citus abiit,
Trepidantem eum recepit Dea Paſithea ſinu.
Ita de quiete molli rabida ſine rabie
Simul ipſa pectore Atys ſua facta recoluit,
Liquidaque mente vidit ſine queis, ubique foret,
Animo æſtuante rurſum reditum ad vada retulit.
Ibi maria vaſta viſens lacrymantibus oculis,
Patriam adlocuta voce eſt ita mœſta miseriter:
Patria, ô mea creatrix, patria, ô mea genitrix,
Ego quam miſer relinquens, dominos ut herifugæ
Famuli ſolent, ad Idæ tetuli nemora pedem:
Ut apud nivem, & ferarum gelida ſtabula forem,
Et ut omnia earum adirem furibunda latibula.
Ubinam, aut quibus locis te poſitam, patria, rear?

INTERPRETATIO.

bras noctis, ſtatim ſopor Atyn expergefactum deſerens feſtinus diſceſſit, illumque trementem Diva Paſithea gremio ſuo excepit. Itaque poſt placidum ſomnum ubi ipſa Atys extra inſanum furorem facta ſua animo revolvit; & tranquillâ mente ſenſit ſine quibus rebus, & quo in loco eſſet, animo iterùm furente ad mare quà venerat, *reverſionem fecit.* Atque *illic immenſa æquora lacrymoſis oculis aſpiciens triſti voce natalem terram miſerabiliter ſic eſt affata: ô patria mea mater; ô patria mea procreatrix, quam ego infelix deſerens, quomodo conſueverunt fugitivi ſervi heros* relinquere. *ad Idæ montis ſylvas veni, ut in nivibus. & in receſſibus frigidis belluarum immanium, & ut cunctas earum latebras amens luſtrarem.* O patria cariſſima, *ubinam gentium, vel quibus in eris te*

ANNOTATIONES.

41. *Sonipedibus.*] A ſonitu pedum ſic dicuntur equi. Virgil.

Stat ſonipes, ac fræna ferox ſpumantia mandit.

Porrò Solis equi quatuor numerantur ab Ovidio lib. 2. Metamorph. Pyroïs, Eoüs, Æthon & Phlegon.

Intereà volucres Pyroïs, Eous, & Æthon
Solis equi, quartuſque Phlegon hinnitibus auras
Flammiferis implent

43. *Paſithea.*] Nonnulli legunt, *Paſithee ſinu*, omnes Deos continenti, quòd nempè Cybele Deorum mater dicatur. *Paſithea* porrò una eſt ex tribus Gratiis, quam Juno apud Homerum uxorem promiſit Somno, ſi is Jovem auxilium Troianis contra Græcos ferentem conſopiviſſet. Ad illam igitur alludens fabulam Catullus dicit *Paſitheam* recepiſſe in ſinum Somnum maritum ſuum, cùm ab Aty receſſiſſet.

49. *Miſeriter.*] Sic Laberius.

Mens incorrupta miſeriter corrumpitur.

pro *miſerè* aut *miſerabiliter* ſicut pro *purè* dicit infra *puriter.* Ita veteres multa, *parciter*, *ſaviter*, *torviter*, *pracariter*, &c.

51. *Tetuli pedem.*] Alii legunt *retuli*, ſed malè: Veteres enim præteritum *fero*, pro *tuli*, ſæpè efferebant *tetuli*, ut a *pello*, *pepuli*; ut obſervat Diomedes lib. 1. de Grammatica.

Terentius in Andria.

——— *Incepi, dum res tetulit,*

Et ibidem.

Si id ſciſſem, nunquam tetuliſſem pedem;

Cupit ipſa pupula ad te ſibi dirigere aciem,
Rabie fera carens dum breve tempus animus eſt.
Egone à mea remora hæc ferar in nemora domo?
Patria, bonis, amicis, genitoribus abero?
Abero foro, palæſtra, ſtadio, & gymnaſiis?
Miſer, ah miſer! querendum eſt etiam atque etiam anime.
Quod enim genus figuræ eſt, ego quod non habuerim?
Ego mulier, ego adoleſcens, ego ephebus, ego puer,
Ego gymnaſii fui flos, ego eram decus olei.
Mihi januæ frequentes, mihi limina tepida,
Mihi floridis corollis redimita domus erat,
Linquendum ubi eſſet orto mihi Sole cubiculum.

INTERPRETATIO.

eſſe ſitam putem? Hic ille meus *oculus vult ſuam in te vim convertere, donec* mihi *per modicum temporis intervallum meus eſt ſævo furore libera. An ego à mea domo abſens per iſtas vagabor ſylvas? Egone natali ſolo, bonis, amicis, parentibus carebo? Egone privabor ſpectaculis ludorum forenſium, palæſtra, curſûs certamine, & gymnicis ludis? O me infelicem! ſummopere mihi deploranda eſt mea conditio, ô mens* mea. *Quænam enim forma ſpecies eſt, quam ego non obtinerim? Ego mulier, ego juvenis, ego ephebus, ego puer, ego fui gymnici* ludi *flos, ego palæſtra honos; mihi fores* erant *crebriùs* amicorum cœtu *frequentata; oſtia domûs* meæ eorum qui ad me adibant frequentiâ *calebant: mihi ædes erant floreis coronis* undique *ornata, cùm mihi exorto jam Sole cubiculo eſſet excundum.*

ANNOTATIONES.

56. *Ipſa pupula.*] Seu *pupilla* eſt pars oculi minima, à qua tamen oculorum vis aut acies omninò pendet, quæ hic pro oculis uſurpatur, ut apud Manilium lib. 4.

Parvula ſic totum pervіſit pupula Cœlum.

60. *Abero foro, palæſtra, ſtadio & gymnaſiis?*] Omnia enumerat adoleſcentibus grata & jucunda, & quorum ſpectaculis maxime ſolent gaudere *foro* ſpectaculis ludorum forenſium, *Palæſtra*, Latinè *lucta* dicitur, ut apud Virgilium.

Exerceat patrias oleo labente palæſtras.

Aliquando ſumitur pro loco in quo fit ejuſmodi exercitatio, ut apud eumdem Virgil. lib. 3. Æneïd.

Pars in gramineis exercent membra palæſtris.

Stadio. Locus eſt *ſtadium*, in quo curſus ſeu currendi certamen celebratur. *Gymnaſiis.* Locus etiam propriè eſt *Gymnaſium*, ſeu *Schola*, ubi juvenes luctâ, curſu, & ſaltatione corpora exercebant. Quod ſæpiùs nudi factitabant. Quæ omnia ludorum & exercitationum genera apud Græcos unde natus erat Atys, maximè erant in uſu.

64. *Ego gymnaſii flos, decus olei.*] Primus inter eos qui in gymnaſiis nudi, & oleo peruncti, luctâ, ſaltu, aut curſu exercebantur. Solebant enim palæſtritæ Græci maximè oleo ſe perungere. Unde Horat.

Pſallimus, & luctamur Achivis doctiùs unctis.

Et Virgil.

Exerceat patrias oleo labente, palæſtras.

65. *Limina tepida.*] Summam amicorum frequentiam ſignificat. Calere enim dicuntur loca, quæ frequentantur. Ita Cicero Philipp. 2. *Calebant tum in interiore ædium parte totius reipublicæ nundinæ.*

Perſius è contrario dixit Sat. 1.

—— Vide ſis ne majorum tibi fortè Limina frigeſcant.

66. *Corollis redimita domus.*] Indicat ſe multos habuiſſe ſui amantiſſimos.

Egone Deûm miniſtra, & Cybeles famula ferar?
Ego Mænas, ego mei pars, ego vir ſterilis ero?
Ego viridis algida Idæ nive amicta loca colam?
Ego vitam agam ſub altis Phrygiæ columinibus:
Ubi cerva ſilvicultrix, ubi aper nemorivagus?
Jamjam dolet, quod egi, jam jamque pœnitet.
Roſeis ut huic labellis palans ſonitus abiit,
Ibi juncta juga reſolvens Cybele leonibus,
Geminas eorum ad aureis nova nuncia ferens,
Lævumque pecoris hoſtem ſtimulans ita loquitur:
Agedum, inquit, age ferox, i, face ut hinc furoribus,
Face ut hinc furoris ictu reditum in nemora ferat,
Mea liber ah nimis qui fugere imperia cupit.
Age, cæde terga candâ: tua verbera patere.
Face cuncta mugienti fremitu loca retonent.
Rutilam ferox toroſâ cervice quate jubam.
Ait hæc minax Cybelle, religatque juga manu,
Ferus ipſe ſeſe adhortans rapidum incitat animum:
Vadit, fremit, refringit, virgulta pede vago.

INTERPRETATIO.

An ego dicar Divorum ſacricola, & Cybeles ſerva? An ego Manes? An ego dimidium mei? An ego homo ſterilis ero? An ego ſemper *habitabo Idæ nemoroſa regionem nive frigidâ rigentem? An ego ſub excelſis Phrygiæ culminibus traducam totum vitæ ſpatium, ubi ſunt tantùm cervæ ſilvicolæ, & apri per nemora vagantes? Nunc modò me cruciat, quod feci: nunc modò me* facti *pudet. Ubi verò ipſi Atys vagus clamor purpureis labris exiit; ſtatim* Dea *Cybele diſſolvens juga leonibus* currum ſuum trahentibus *connexa, & ad eorum aures perferens nova hæc indicat, & ſiniſtrum* currus ſui leonem *caloratum pecudum hoſtem ſtimulo excitans ſic ait: nunc age, ait, eia, ô fera, propera, fac ut* Atys, *qui, plus ſatis audax deſiderat meam dominationem effugere, fac, inquam, ut furiis agitatus, & furoris œſtro* percitus *iſtinc in ſilvas prærro referat. Agedum*, ô fera, *concute corpus* tuum *caudâ* tuâ, *te verberibus* in furorem *concita, effice ut tota regio* tuo *fremenis rugitu perſonet, & furens quate robuſtâ cervice fulvas comas. Hæc dicit minas intentans Cybele, ac reſolvit manu* ſuâ *juga* feratum. *Ipſa* verò *bellua ſeſe concitans rabidum concipit furorem, currit, rugit, erranti curſu arbuſta revel-*

ANNOTATIONES.

Mos enim fuit apud Veteres, ut maximè amicorum aut amicarum poſtes & domus ornarent, fertis & floribus; Unde Tibullus eleg. 2. lib. 1.

Supplex cum poſtis florea ſerta darem.

75. *Cybele leonibus*] Fingitur Cybeles currus à leonibus trahi, ex quo ipſam dicit Catullus leonem, qui Atyn reditum in patriam cogitantem, ſortemque ſuam lamentantem terreret, ut in ſylvam reduceret, emiſiſſe.

77. *Lævum hoſtem.*] Ad lævam currus ſui junctum. Fingitur Cybele Hippomenem & Atalantam in leones convertiſſe, quos ſuo currui ſubjugavit.

78. *Agedum.*] Verba ſunt Cybeles leonem irritantis, eumque hortantis ut furorem in Atyn exerat eumque in nemora reducat.

83. *Toroſa cervice.*] *Tori* dicuntur par-

At ubi ultima albicantis loca littoris adiit,
Teneramque vidit Atyn prope marmora pelagi:
Facit impetum. ille demens fugit in nemora fera.
Ibi ſemper omne vitæ ſpatium famula fuit.
Dea magna, Dea Cybele, Dindymi Dea, Domina,
Procul à mea ſit furor omnis, hera, domo.
Alios age incitatos, alios age rabidos.

Interpretatio.

lit. At poſtquàm ad extremas oras acta pervenit, juvenemque Atyn conſpexit juxta maris undas, irruit in eum. *Atys perterritus diffugit in ſilvas opacas. Illic jugiter per totum vitæ ſuæ tempus* Cybeles *miniſtra fuit. O Diva Cybele, ô magna Diva, ô Diva Dindymi Regina; longè abſit, ô Domina, à meis ædibus qualiſcumque ira* tua. O *Dea alios impelle in furorem* iſtum *alios rabie iſta exagita;* ſed me liberum dimitte.

Annotatio.

tes carnis muſculoſæ, in quibus eſt robur, unde *toroſus* pro *robuſto & valido* ſumitur.

91. *Dea magna.*] Cybele *magna Dea* vocatur, quòd nempè Deorum ſit mater, quam Poëta enixè precatur ut ipſa à ſe amoveat ſimilem, quo percitus fuit Atys, furorem.

DE NUPTIIS PELEI & THETIDOS.

Carm. LXIV.

Peliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni naſſe per undas,

Interpretatio.

Pinus in monte Pelio ortæ dicuntur olim enataſſe per vaſtos fluctus Neptuni,

Annotationes.

* De Nuptiis Pelei et Thetidos.] *Thetidos & Pelei* nuptias celebraturus Poëta Carmen elegans a Colchica Argonautarum expeditione ingeniosè orditur, deſcribenſque regium nuptiarum apparatum, occaſione datâ in Theſei & Ariadnes amores digreditur; ac tandem ad ſcopum & rem inchoatam reverſus, Parcas carmen nuptiale canentes, & Achillis fata prædicentes inducit. Malè autem à pluribus inſcribitur hoc Poëma *Argonautica*, cùm tantùm Catullus ab Argonautarum navigatione exordium duxerit, ut commodiùs *Pelei & Thetidos* nuptias decantandas aggrederetur. Nonnulli ſunt etiam, qui hoc carmen *Epithalamium* dici velint; ſed alii repugnant, quòd a virginum choro, quæ hic non comparent, cani ſoleret *Epithalamium*.

1. *Peliaco.*] Theſſaliæ mons eſt *Pelion* in ſinum Pelaſgicum incumbens, à quo derivatur *Peliacus*. De *Pelio* vide Plin. lib. 4. cap. 8. & Diodor. qui lib. 4. cap. 4. ſcribit Jaſonem navim Argo juxta *Pelion* ædificaſſe.

Phaſidos ad fluctus, & fineis Æetæos:
Quum lecti juvenes Argivæ robora pubis
Auratam optantes Colchis avertere pellem,
Auſi ſunt vada ſalſa citâ decurrere puppi,
Cærula verrentes abiegnis æquora palmis:
Diva quibus retinens in ſummis urbibus arces

INTERPRETATIO.

ad fluvii Phaſidis ripas. & ad limites Æetaei: quando juvenes electi, Argivæ juventutis vires, aureum vellus Colchis eripere cupientes aggreſſi ſunt mare ſalſum nave celeri trajicere, ſulcantes cæruleas undas, remis ex abiete confectis: per quos Dea ipſa quæ præeſt arcibus, in editiſſimis urbium locis, pineas

ANNOTATIONES.

Pinus.] Id eſt, navis ex arboribus pineis confecta; eſt enim *pinus* arbor navigiis aptiſſima: unde Virgil.

——— *Dant utile lignum*
Navigiis pinus. ———

Græci porrò dicunt Poëtæ ex quercu Dodonea, in qua fuerat Jovis oraculum, confectam fuiſſe iſtam navim; Unde & ſermonis uſum habuiſſe dicitur, & hinc Valer. Flaccus eam fatidicam ratem appellavit.

3. *Phaſidos ad fluctus.*] Colchidis fluvius eſt *Phaſis*, qui ex Armeniæ montibus naſcens in Pontum Euxinum illabitur. *Colchis* autem regio eſt Aſiæ, ab ortu habens Iberiam, a Septentrione, Tauri montis partem, à Meridie *Phaſidem* fluvium, & ab occaſu, Pontum Euxinum. Ibi regnaſſe dicitur Æëtas Rex, à quo Colchidem vocat Catullus *fines Æetaei*. Illuc Jaſonem cum Argonautis navigaſſe ferunt, Medeæque filiæ regis, quæ Jaſonem deperibat, artibus vellus aureum inde retuliſſe.

4. *Lecti juvenes.*] Heroës fuerunt numero quinquaginta, inter quos maximè enituit *Iaſon*, qui navis & expeditionis fuit auctor, ut ſcribunt Valerius Flaccus, & Diodorus. Dicuntur autem *Argiva robora pubis*, hoc eſt, Græcæ juventutis flos & vires. Græci namque dicti ſunt Argivi, ſicut & Achivi, Danaï, Graii, Pelaſgi. &c. Catullum imitatus Virgil. lib. 7. Æneid. dixit:

——— *Dardana pubes,*
Agmina denſantur campis Argivaque pubes. &c.

5. *Auratam Colchis avertere pellem.*] De Vellere aureo hæc vulgò feruntur. Athamas Thebarum rex ex uxore Nephele Phrixum & Hellen ſuſcepiſſe dicitur, qui, mortuâ Nephele, Ino ſuperduxit uxorem, quæ tanto odio in privignos flagrabat, ut Sacerdotes corruperit, qui Athamanti oraculum conſulenti reſponderent opus eſſe ex Nephele genitos Diis ſacrificari. Quod cùm Athamas exequi vellet, Nephele, quæ jam Dea facta erat filios ſuos eripuit, & à Mercurio arietem velleris aurei impetravit, quo in Colchos ad regem Æetam Solis filium tranſveherentur. Helle quidem transfretando ex ariete decidens in mare periit. à quo Helleſpontus dictus eſt; Phrixus verò cùm in Colchos perveniſſet, arietem Jovi mactavit, ejuſque pellem auream in luco Martio in quadam quercu, alii volunt in templo, ſuſpendit. Quam ſervante dracone Jaſon Æſonis filius, collectâ Argivorum manu, fabricatâ navi Argo, Medeæ auxilio, & artibus ſurripuiſſe, & in Græciam exportaſſe dicitur. Fabulam hanc apud Græcos Apollonius & Diodorus Siculus lib. 4. apud Latinos Ovidius & Valerius Flaccus pluribus pertractarunt.

Vellus iſtud Suidas ait, librum fuiſſe in pellibus ſcriptum, quo ratio auri conficiendi continebatur.

8. *Diva retinens arces.*] Minerva

Et

Ipſa levi fecit volitantem flamine currum,
Pinea conjungens inflexæ texta carinæ.
Illa rudem curſu prima imbuit Amphitriten.
Quæ ſimul ac roſtro ventoſum proſcidit æquor,
Tortaque remigio ſpumis incanuit unda,
Emerſere feri candenti è gurgite vultus,
Æquoreæ monſtrum Nereides admirantes,
Illâque atque aliâ viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore Nymphas
Nutricum tenus extanteis è gurgite cano.
Tum Thetidis Peleus incenſus fertur amore,

INTERPRETATIO.

trabes contexens curva carina ædificavit currum tenui vento volantem. Hæc fuit illa navis quæ omnium *prima navigationem docuit Amphitriten* hactenus *inexpertam. Quæ navis ubi primùm prorâ agitatum mare ſulcavit, & fluctus remis verberati ſpumis albeſcere cœperunt, ferina effigies*. ſcilicet *Nereides marinæ ex albicantibus undis prodierunt, prodigium* hoc *ſuſpicientes. Et tunc iſto die & altero hominum oculi conſpexerunt Nymphas æquoreas nudis corporibus è mari ſpumoſo uberum tenus eminentes. Tunc* verò *Peleus dicitur captus fuiſſe Thetidis*

ANNOTATIONES.

ſeu Pallas, arcium tutelam habere dicitur, utpote cui arces ſunt conſecratæ.
Unde Virgil Eclog. 2.

——— *Pallas quas condidit arces*
Ipſa colat. ———

9. *Volitantem currum.*] Metaphoricè navis *currus volans* dicitur, quòd imitatione terreſtris currus, navis aquas percurrat.

11. *Prima imbuit Amphitriten.*] Secundùm fabulas Catullus ait navim Argo primam maria navigaſſe, ut Lucretius de eadem re ſcribens,

Inde laceſſitum primo mare, cum rudis Argos
Miſiſſet ignotas temerato littore gentes.

Amphitriten pro mari poſuit quam rudem, & expertem hactenus navigationis dicit. Fuit autem *Amphitrit.*, ut ſcribit Heſiodus Nerei vel Oceani filia, & Neptuni uxor: unde Dea maris dicitur, & pro mari ſæpiùs ſumitur. Ovid.

——— *Nec brachia longo*
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.

12. *Roſtro.*] Navis *roſtrum* dicitur pars illa prominens juxta proram, & acuta in modum roſtri avium; cujus inventor dicitur *Piſeus*, ut ſcribit Plinius lib. 7.

15. *Nereides.*] Nymphæ marinæ. Nerei & Doridos filiæ, primam navim Argo, tanquam rem novam & monſtri ſimilem cum admiratione intuebantur.

18. *Nutricum tenus.*] Mammarum tenus & uberum, quæ nutrices dicuntur, quòd nutriant fœtus, eminebant è mari Nymphæ, oculiſque humanis ſeſe permittebant.

19 *Tum Thetidis Peleus.*] Notandum valdè eſt duas ejuſdem ferè nominis Deas Marinas ſeu Nymphas fuiſſe; quarum tamen nomen vario modò ſcribitur, prima *Tethys*, primâ productâ ſyllabâ, & cum aſpiratione in ſecunda, & per *y*, Cœli & terræ filia fuit, Oceani verò ſoror & conjux, ex qua & ipſo Oceano nata eſt Doris, quæ

Tum Thetis humanos non deſpexit hymenæos,
Tum Thetidi pater ipſe jugandum Pelea ſenſit.
O nimis optato ſæclorum tempore nati
Heroes, ſalvete; Deûm genus, ô bona mater:
Vos ego ſæpè meo vos carmine compellabo,
Teque adeo eximiè tædis felicibus aucte
Æmathiæ columen Peleu, cui Jupiter ipſe,
Ipſe ſuos Divûm genitor conceſſit amores.
Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?

INTERPRETATIO.

amore; nec tum Thetis humanos Hymenæos contempſit. Tunc etiam *ipſe* Nereus *parens conſenſit Thetidi* filiæ *Peleum conjugio eſſe copulandum. O ſemi Dei nimiùm felici ſæculorum ævo geniti, ſalvete. Divorum ſoboles; ô bona mater; ego vos frequenter interpellabo meis verſibus. Sed te imprimis, ô Peleu, Theſſalia præſidium & decus, tam felici conjugio vehementer ornate; cui Jupiter ipſe Deorum pater ceſſit ſuos amores. An te cepit,* ô Peleu, *Thetis Neptunine formo-*

ANNOTATIONES.

Nereo nupſit, & ex eo peperit *Thetida*; cujus nominis prima ſyllaba aſpiratur, & ſecunda per *s* ſcribitur. Hæc autem eſt ipſa de qua hîc Catullus, quamque fingit tum primùm Peleo fuiſſe adamatam, cum in expeditionem Colchicam cum Argonautis proficiſceretur; cùm tamen ſecundum rei veritatem ipſa Thetis Achillem Peleo peperiſſet, antequàm cum iiſdem Argonautis in Colchos navigaret. *Peleus* autem Æaci & Æginæ filius fuit, Jovis Nepos, & Achillis, qui *Pelides dicitur*, pater.

21 *Tum Thetidi pater.*] Jupiter, vel Nereus *Tethidos pater* in ejus nuptias tandem conſenſit. Nam cum Jupiter a Protheo audiiſſet ex *Thetide* orituram filium, qui paternam majeſtatem longè ſuperaret Nympham, cujus amore ardentiſſimo flagrabat, noluit attingere, ſed nepoti ſuo Peleo ducendam conceſſit; timuit enim exemplum, quod ipſe præbuerat, ne ſicut ipſe Saturnum patrem ejecerat, ita aliquando ſeipſum filii regno ejicerent. Unde Statius:

Magnanimum Æaciden, formidatamque Tonanti
Progeniem, & patrio vetitam ſuccedere cœlo.

25. *Tædis felicibus aucte.*] Quem nimirùm tam fortunato connubio cumularit Jupiter, ut ſuos ipſi amores conceſſerit, ut ſequentia indicant verba.

26 *Æmathia.*] Regio eſt quæ & Theſſalia & Macedonia dicitur.

27. *Divûm Genitor conceſſit amores.*] Thetidem habere tandem permiſit. Ovid. lib 11. Metamorph.

Nempe ſenex Thetidi Protheus prædixerat uda;
Concipe, mater eris juvenis, qui fortibus armis
Acta patris vincet, majorque vocabitur illo.
Ergo ne quidquam mundus Jove majus haberet;
Quamvis haud tepidos ſub pectore ſenſerat ignes
Jupiter, æquoreæ Thetidis connubia fugit,
Inque ſuo Æaciden ſuccedere vota nepotem
Juſſit, & amplexus in virginis ire marina.

28 *Pulcherrima Neptunine.*] Filiarum Neptuni formoſiſſima, Simile eſt apud Theocritum & Callimachum ωκεανίνη: & apud Virgilium, *Nerine Galathea*. Hîc porrò Neptunum cum Nereo confundit.

Tene

Tene ſuam Thetis conceſſit ducere neptem?
Oceanuſque mari totum qui amplectitur orbem?
Quæ ſimul optatæ finito tempore luces
Advenere, domum conventu tota frequentat
Theſſalia; oppletur lætanti regia cœtu.
Dona ferunt: præ ſe declarant gaudia vultu.
Deſeritur Scyros: linquunt Phthiotica Tempe,
Graiugenaſque domos, ac mœnia Lariſſæa.
Pharſalum coeunt, Pharſalia tecta frequentant.
Rura colit nemo, molleſcunt colla juvencis;
Non humilis curvis purgatur vinea raſtris;

INTERPRETATIO.

ſiſſima? An tibi permiſit Tethys habere uxorem neptem ſuam? An id etiam conceſſit Oceanus, qui undis ſuis *univerſum orbem terrarum cingit? Ubi* verò *dies nuptiarum expectati deſtinato tempore advenerunt, omnis Theſſalia* magno *concurſu* Pelei *regiam adit*, ejuſque *palatium læto conventu completur*. Regi ſuo *munera offerunt, & apertè declarant vultu lætitiam* animo conceptam. *Scyros relinquitur, Phthiotica Tempe deſerunt* omnes, *& Graiugenas domos, atque etiam* urbem *Lariſſam. Pharſalon conveniunt, Pharſaliaſque domos tantùm celebrant. Nullus agros exercet, remolliuntur bobus cervices, terram aratro curvo non preſcindunt boves; ferrugineus ſitus relictis vomeribus obducitur,*

ANNOTATIONES.

29. *Tene ſuam Tethys.*] Hæc Tethys, primâ productâ, & cum aſpiratione in ſecunda ſyllaba, eſt uxor & ſoror Oceani, mater Doridis, quæ ex Nereo genuit Thetidem, Tethyos & Oceani neptem.

35. *Deſeritur Scyros.*] Ægæi maris eſt Inſula *Scyros* objecta littori Theſſalico, olim *Phœnice* dicta, Homeri ſepulchro veneranda, cujus Strabo lib. 9. & Plinius lib. 4. meminerunt. Clariſſima fuit propter Achillis cum Lycomede affinitatem, & propter Achillis filium Neoptolemum ibidem, dum lateret Achilles inter Lycomedis filias, procreatum & educatum.

Phthiotica Tempe.] *Tempe* locus eſt in Theſſalia amœniſſimus, quinque millium paſſuum longitudine, & ſex ferè latitudine, jucundiſſimo nemore conſitus ad Peneum fluvium. Nemus ultra viſum hominis attollentibus ſe dextrâ lævâque leviter connexis jugis, intus ſuâ luce viridante allabitur Peneus viridis calculo, amœnus circa ripas gramine, & canorus avium concentu. Dicuntur porrò *Tempe Phthiotica* ab urbe vicina *Phtia*, vel à Phthiotide, quæ eſt pars Theſſaliæ. Horat. lib. 1. Od. 7. dixit:

Theſſala Tempe.

36. *Graiugenaſque domos.*] Græci dicti ſunt *Grais*, vel *Graiugenæ* à *Graio* rege. Virgil. lib. 3. Æneid.

Graiugenûmque domos, ſuſpectaque linquimus arva.

Mœnia Lariſſæa.] Plures fuerunt urbes nomine *Lariſſa*: ſed hic locus de *Lariſſa* Theſſaliæ civitate intelligitur, de qua Strabo lib. 9. & Plinius lib. 4. Ab hac dictus *Lariſſæus* Achilles.

37. *Pharſalum coëunt.*] Pharſalus oppidum Theſſaliæ eſt ad Enipei fluminis ripam ſitum: unde vicini campi *Pharſalici* vel *Pharſalii* dicti ſunt, in quibus duorum ingentium bellorum civilium procellæ detonuerunt: primùm inter Cæſarem & Pompeium, deinde inter Auguſtum, & percuſſores Cæſaris Brutum & Caſſium. De Pharſalo vide Strabon. lib. 8. & 9.

38. *Molleſcunt colla juvencis.*] Quia non trahunt aratrum ad jugum juncti,

Non glebam prono convellit vomere Taurus;
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram;
Squalida deſertis rubigo infertur aratris.
Ipſius at ſedes, quacumque opulenta receſſit
Regia, fulgenti ſplendent auro, atque argento:
Candet ebur ſoliis, collucent pocula menſis:
Tota domus gaudet regali ſplendida gazâ.
Pulvinar verò Divæ geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roſeo conchylis purpura fuco.
Hæc veſtis priſcis hominum variata figuris,
Heroum mirâ virtutes indicat arte.
Namque fluentiſono proſpectans littore Diæ

INTERPRETATIO.

imbecilla vites flexis ſarculis non mundantur: falcula putatorum non diminuit ramorum arborum umbraculum. Sed quâcumque latè patet dives Pelei palatium, ejus atria rutilo micant auro & argento. Albicat ebur ſedibus; reſplendent menſis crateres. Univerſa Regia lætatur magnificis corruſcans opibus. Thalamus autem conjugalis Diæ ſternitur in mediis ædibus, quem ebore Indico cultum & ornatum operit oſtrum purpureo ſucco murieis infectum. Iſta ſtragula antiquis hominum formis diſtincta mirabili artificio Heroum præclara facinora repræſentat. Etenim Ariadne revolvens animo dolores invictos è littore proceloſo Diæ Inſulæ *pro-*

ANNOTATIONES.

ex quo ſolent duritiem & callum in collo contrahere.

45. *Candet ebur ſoliis.*] Ita pariter Virgil. lib. 6. Æneid.

—— *Candenti perfecta nitens elephanto.*

47. *Pulvinar.*] Propriè eſt cervical è plumis, quod capiti ſubjicitur molliuſculum: quo etiam nomine lectulus dicitur, qui quondam in templis ſterni conſuevit in honorem Numinis alicujus: unde lectiſternium nuncupatur. Sed hîc *pulvinar* eſt thorus conjugalis, ſeu lectulus genialis, in quo nova nupta cum ſponſo cubitura eſt. De hoc Hieronym. Epiſt. ad Demetriadem. *Cum jam nuptiarum appropinquaret dies & futuro matrimonio thalamus pararetur*, &c.

50. *Hæc veſtis.*] Purpurea ſtragula, in qua miro artificio erant variæ imagines & figuræ Antiquorum pictæ, in quibus fabula Ariadnes continebatur.

53. *Namque fluentiſono littore Diæ.*] Digrediens Catullus incipit Ariadnes fabulam narrare, prout erat in illo tapete deſcripta. *Hic autem reprehendi ſolet Catullus*, inquit Sebaſtianus Corradus, *quòd ad Theſei & Ariadnes fabulam ita digrediatur, ut propoſiti oblitus eſſe videatur, & mehercule in ea digreſſione ita multus eſt, ut vix defendi poſſit, niſi dicat aliquis illum Poëtas Lyricos eſſe imitatum, qui cum neque gravia, neque magna, ſed amores, cœnas, & alia id genus, proſequantur, longiùs evagari poſſunt; ut Pindarus non ſæpè modo, ſed ſemper ferè facit, & præſertim in Pythiis, ubi cum Arceſilaum pro Demophilo rogare conſtituiſſet, à re tamen ad nautas longiſſimè diſcedit.* Rectè quidem Corradus; longior eſt enim illa digreſſio, quam quæ ferri poſſet in Oratore; ſed Poëtarum, maximè Lyricorum, alia eſt agendi ratio, ut comprobat Horatius lib. 3. Od. 3. ubi arreptâ occaſione è fabula de Danai filiarum ſupplicio, digreditur ad ſuam

Theſea cedentem celeri cum claſſe tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores,
Necdum etiam ſeſeque ſui tum credidit eſſe.
Utpote fallaci quæ tum primùm excita ſomno.
Deſertam in ſola miſeram ſe cernit arena.
Immemor at juvenis fugiens pellit vada remis,
Irrita ventoſæ linquens promiſſa procellæ.
Quem procul ex alga mœſtis Minoïs ocellis.
Saxea ut effigies bacchantis proſpicit Euœ,
Proſpicit, & magnis curarum fluctuat undis,
Non flavo retinens ſubtilem vertice mitram,
Non contecta levi velatum pectus amictu,

Interpretatio.

cui intuens Theſeum fugientem cum veloci claſſe proſpicit, neque tum adhuc cognoſcebat ſe eſſe eam ipſam quæ fuerat antè quippe quæ vix jam expergefacta à ſomne, quo fuerat decepta, infelicem ſe videt derelictam in littore deſerto. Sed Theſeus *Juvenis Ariadnen oblitus aufugiens mare tonſis verberat, relinquens promiſſa* ſua *vana nimboſæ tempeſtati rapienda*. *Hunc procul Minois ex ulva marina lacrymantibus oculis, ut ſlatua Mænadis Euœ exululantis intuetur, & ingentibus ſollicitudinum fluctibus agitatur; nec retinens in flavente capite tenuem infulam, nec habens ſinum contectum amiculo ſubtili, nec curans tumi-*

Annotationes.

Lyden, quam ſimiles pœnas manere ait, ſi contumax eſſe pergat.

Dia porrò dicitur *Naxos* inſula maris Ægæi una è Cycladibus, quæ etiam dicta fuit *Strongyle*, *Calliopolis* & *Dionyſias*. Huc cum appuliſſet Theſeus, Minotauro interfecto, rediens è Creta Ariadnen, cujus ope victor extiterat, & quæ eum noctu clam recedentem ſecuta fuerat, dormientem aufugiens, & accepti beneficii immemor ibidem dereliquit. Cùm verò Ariadne ſomno expergefacta ſeſe proditam & derelictam intellexiſſet, & de Theſeo amatoriè conquereretur: interim ſuperveniens Bacchus illam duxit uxorem.

59. *Ventoſa procella.*] Sæpiùs enim & quaſi adagio dicuntur verba effectu carentia a ventis diſſipari: unde alibi etiam Catullus:

Sed mulier cupido quæ dicit amanti,
In vento & rapida ſcribere oportet aqua.

60. *Minois.*] Ariadne *Minois* Cretæ regis filia, de qua etiam Catullus infra:

——— qualem Minoidi luctum
Attuleras ———

Atque etiam Tibull. lib. 4. Eleg. 7.

Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus.

61. *Bacchantis Euœ.*] *Baccha* ſeu Mœnados, quæ cum furore diſcurrens, & *Euoe* clamans *Baccho* ſacrificabat. Locum hunc expreſſit Ovid. Epiſt. Ariadnes.

Aut ego diffuſis erravi ſola capillis,
Qualis ab Ogygio concita Baccha Deo.
Aut mare proſpiciens in ſaxo frigida ſedi;
Quamque lapis ſedes, tam lapis ipſa fui.

63. *Vertice mitram.*] *Mitra* fuit capitis tegmenium, quo maximè mulieres utebantur, ut ait Servius lib. 4. Æneid. *mitrâ* vero inter cæteros utebantur Lydi & Phryges.

Non tereti ſtrophio luctanteis vincta papillas;
Omnia quæ toto delapſa è corpore paſſim
Ipſius ante pedes fluctus ſalis allidebat.
Sed neque tum mitræ, neque tum fluitantis amictus
Illa vicem curans, toto te pectore, Theſeu,
Toto animo, totâ prodebat perdita mente.
Ah miſeram aſſiduis quam luctibus externavit
Spinoſas Erycina ſerens in pectore curas.
Illâ tempeſtate ferox, & tempore Theſeus
Egreſſus curvis è littoribus Piræi
Attigit injuſti regis Gortynia tecta.
Nam perhibent olim crudeli peſte coactam,

INTERPRETATIO

tes mamillas faſciâ pectorali præcingere. Quæ omnia è corpore Ariadnes disjecta hinc inde ad ejus pedes unda maris identidem *attingebat. Ipſa* verò *tum infulæ, tum amictus fluctuantis curam abjiciens, de te ſolo, Theſeu, totis viſceribus, totâ mente, toto animo inſana cogitabat. Ah quàm infelicem* Ariadnen *continuis fletibus affligere deſtinavit Erycina, infundens in ejus animum moleſtas* amoris *ſollicitudines! Eo ſæculo, eâque hominum ætate ſuperbus Theſeus è ſinuoſo portu Piræi Gortynias domos iniqui Regis* Minoïs *adivit. Ferunt enim quondam Cecropiam urbem fuiſſe immani peſtilentiâ coactam luere pœnas necis An-*

ANNOTATIONES.

65. *Strophio.*] *Strophium* fuiſſe faſciam pectoralem, quâ virginum intumeſcentes mammæ conſtringerentur planè hic indicat Catullus. De *ſtrophio* Nonius. *Faſcia brevis eſt quæ virginalem errorem cohibet papillarum.*

Luctanteis.] Quaſi pugnantes ac ſtrophium præ tumore repellentes. Alii legunt, *lactentes*, lacte plenas, candidas, & pulchras. Alii *lactantes* quaſi per blanditias viros allicientes, ut apud Terentium in Andria.

71. *Luctibus externavit.*] Dementem fecit, extra ſe poſuit, mente alienavit, conſternavit, afflixit. Sicut dixit infrà, *externata malo. Externari* vulgo dicitur, qui apud ſe non eſt.

72. *Spinoſas Erycina ferens curas.*] Venus *Erycina* dicitur ab *Eryce* Siciliæ monte, in quo colebatur religioſiſſimè, ubi & ipſi templum condidit Æneas. Fuit ibidem urbs ejuſdem nominis. Ovid.

Avertit vultus Erycis quæ poſſidet arces.

74. *Piræi.*] Portus fuit Athenarum *Piræus*, Græcè Πειραιεὺς, & Πειραϊκὸς, muro duorum millium paſſuum urbi conjunctus. De hoc Plin. lib. 4. cap. 7. Propert. lib. 3. Eleg. 21.

Deinde ubi Piræi capient me littora portus.

Nonnulli portò volunt hic poëticâ licentiâ Catullum *Piræum* pro *Phalero* poſuiſſe contra hiſtoriæ fidem: Diodorus enim, Pauſanias & alii ſcribunt, non ex *Piræo*, ſed ex *Phalero* portu ſolviſſe Theſeum. Neque enim tunc temporis navale erat *Piræus*, cum Themiſtocles in *Piræo* portum primus conſtruxerit. Vide Diodor. lib. 11.

75. *Gortynia tecta.*] *Domos Cretenſes.* Nam *Gortyn*, ſeu *G rynæ* Civitas fuit Cretæ inſulæ ad Lethæum amnem ſita: de qua Plin. lib. 4. cap. 12. & Strabo lib. 10. In hac urbe dicitur fuiſſe Labyrinthus, juſſu Regis Minoïs extructus: unde dicitur injuſtus.

Androgeoneæ pœnas exolvere cædis,
Electos juvenes ſimul & decus innuptarum
Cecropiam ſolitam eſſe dapem dare Minotauro.
Queis anguſta malis cùm mœnia vexarentur,
Ipſe ſuum Theſeus pro caris corpus Athenis
Projicere optavit potiùs, quàm talia Cretam
Funera Cecropiæ nec funera portarentur.
Atque ita nave levi nitens, ac lenibus auris,
Magnanimum ad Minoa venit, ſedeſque ſuperbas.
Hunc ſimul ac cupido conſpexit lumine virgo
Regia, quam ſuavis expirans caſtus odores

INTERPRETATIO.

drogeonea, & tradere eſcam Minotauro ſeptem adoleſcentes ſelectos, totidemque pariter virgines, florem puellarum. Quibus incommodis cum Athenæ premerentur, Theſeus ipſe maluit ſuam ipſius vitam pro ſua dilecta patria exponere, quàm pati ut *ejuſmodi juvenum puellarumque corpora Cecropiæ lugenda in Cretam deferrentur exequiis cariturа. Itaque navigio celeri vectus, ac ventis ſecundis ad fortem Minoëm acceſſit, regiamque ejus ſuperbam. Hunc verò ubi primùm amantibus oculis vidit* Ariadne *filia Regis, quam caſtum cubile fragrantes exhalans*

ANNOTATIONES.

77. *Androgeoneæ cædis.*] *Androgei interfecti.* Filius fuit *Androgeos* major natu Minois Regis, qui multis inſignis palmis, ab Athenienſibus & Megarenſibus ex invidia occiſus eſt. In cujus ultionem Minos, Niſo Megarenſium rege interfecto, Megaram evertit. Athenienſes acri bello ſuperavit, eoſque quotannis ſeptem adoleſcentes, totidemque puellas a Minotauro devorandos in Cretam mittere coëgit. Alii ſcribunt, ad hoc ſolvendum tributum Athenienſes peſte, fame & bello vexatos ab Oraculo fuiſſe compulſos.

79. *Cecropiam.*] Oppidum à ſe conditum *Cecrops* à nomine ſuo *Cecropiam* appellavit: quæ cùm propriè ſit arx Athenarum, tamen ſumitur vulgò pro tota civitate. Urbs enim Athenæ, ſicut & tota regio Attica, dicta eſt *Cecropia*, à primo Rege *Cecrope*.

Minotauro.] Fabula *Minotauri* notior eſt, quàm quæ hic pluribus commemoretur. Nulli enim neſciunt Paſiphaën Solis filiam, Minois Cretæ Regis uxorem, cum Tauri amore vehementer flagraret, ope & arte Dædali intra ligneam vaccam incluſam voti compotem factam fuiſſe: unde natum dicunt *Minotaurum* mediâ parte hominem, reliquâ verò taurum referentem. Hoc autem monſtrum labyrintho incluſum poſtea Theſeus Ariadnes ope adjutus dicitur interfeciſſe.

81. *Caris Athenis.*] Patria ſcilicet, quæ ſemper eſt dulcis & dilecta. Virgil. Eclog 1.

Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arva.

83. *Funera nec funera.*] Ut Græci dicunt ἄδωρα δῶρα, ἄχαρις χάρις, γάμος ἄγαμος, πόλεμος ἀπόλεμος, &c. Sic Cicero dixit Philipp. 1. *Inſepulta ſepultura.* Horat. lib. 1. Od. 34.

Inſaniens ſapientia. ——

Funera porrò dicuntur corpora electorum juvenum mox peritura, & adhuc viva, & funeribus caritura. Quo ferè ſenſu Manil. lib. 5. de Andromeda dixit:

Virginis & viva rapitur ſine funere funus.

87. *Regia virgo.*] Filia regis Minoïs Ariadne, ubi primùm conſpexit Theſeum, ejus amore cœpit incendi.

Qualeis Eurotæ progignunt flumina myrtos,
Aurave diſtinctos educit verna colores:
Non priùs ex illo flagrantia declinavit
Lumina, quam cuncto concepit pectore flammam
Funditus, atque imis exarſit tota medullis.
Heu miſerè exagitans immiti corde furores,
Sancte puer, curis hominum qui gaudia miſces,
Quæque regis Golgos, quæque Idalium frondoſum,
Qualibus incenſam jactaſtis mente puellam
Fluctibus, in flavo ſæpè hoſpite ſuſpirantem!
Quantos illa tulit languenti in corde timores!
Quantum ſæpè magis fulgore expalluit auri!
Quum ſævum cupiens contra contendere monſtrum,
Aut mortem oppeteret Theſeus, aut præmia laudis.
Non ingrata, tamen fruſtrà, munuſcula Divis
Promittens, tacito ſuſpendit vota labello.

INTERPRETATIO.

odores in tenero matris ſinu fovebat: quemadmodum fluvius Eurotas procreat myrtos, vel ventorum tepentium flamen jucundum varios alit flores; non anteà ab illo ardentes oculos avertit, quàm totis planè viſceribus amore ejus incenſa eſt, & intimis ſenſibus exarſit. Eheu! ô divine puer, qui inclementer furias amoris excitans, mortalium lætitiam ſollicitudinibus confundis: Tuque, ô Venus, *quæ Golgos maximè & Idalium* nemus ſemper *vernans diligis, quantis curarum fluctibus virginem* Ariadnen *amore* Theſei *ardentem, & pro flavo* illo *advena frequenter ſuſpiria fundentem.* O *quàm magnos Ariadne languido pectore paſſa eſt metus! O quàm frequenter auro rutilo pallidior facta eſt! Cum Theſeus volens contra ferum monſtrum* Minotaurum *pugnare, vel mortem ſubire ambiret, vel victoria gloriam referre:* tunc ipſa *promittens dona Diis grata,*

ANNOTATIONES.

89. *Quales Eurota.*] Fluvius eſt Laconiæ *Eurotas* Spartam alluens, ripaſque habens frequentibus myrtis & lauris conſitas, atque in mare ſeu ſinum Laconicum inter Gytheum & Acriam prorumpens. Familiaris porrò Poëtæ noſtro comparatio eſt virginis cum myrto, ut ſupra de nuptiis Juliæ & Manlii vidimus ad illud

Floridis velut enitens
Myrtus Aſia ramulis.

95. *Sancte puer.*] Cupidinem alloquitur, qui puer à Poëtis fingitur, & tanquam potentiſſimus Deus colitur. Virgilio Eclog. 8. dicitur,

Improbus ille puer. ———

Similem omninò huic verſui ſententiam protulit Catullus infrà ad Manlium:

Qui dulcem curis miſces amaritiem.

96. *Quæque regis Golgos.*] Παρίφρασις Venerem compellat quæ præcipuè apud *Golgos* & *Idalium* in inſula Cypro colebatur. De his jam ſuprà in Annalibus Voluſii, & Epithalamio Manlii & Juliæ.

103. *Non ingrata, tamen fruſtrà.*] Satis quidem Diis accepta vota, quia ſervaverunt Theſeum; ſed tamen Ariadnæ fruſtranea, nihilque profutura; quia à Theſeo deſerta eſt.

4. *Suſpendit vota labello.*] Quia non apertè proloquebatur, ut quæ non audebat palàm & publicè vota facere pro

Nam velut in ſummo quatientem brachia Tauro
Quercum, aut conigeram ſudanti cortice pinum,
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit: illa procul radicibus exturbata
Prona cadit, latéque & cominus obvia frangit.
Sic domito ſævum proſternit corpore Theſeus
Nequicquam vanis jactantem cornua ventis.
Inde pedem ſoſpes multa cum laude reflexit,
Errabunda regens tenui veſtigia filo,
Ne labyrintheis è flexibus egredientem
Tecti fruſtraretur inobſervabilis error.
Sed quid ego à primo digreſſus carmine, plura

INTERPRETATIO.

ſibi *tamen non profutura, ſilentibus labris concepit vota. Quemadmodum enim violenta ventorum procella in excelſo monte Tauro quercum ramos agitantem, vel pinum ſtillanti cortice conos ferentem impetu concutiens evertit, & illa arbor radicitùs undique extirpata præceps decidit, & cominùs & ominùs* quæque ſibi *obvia comminuit; ita The*ſeus in terram *crudelem* Minotaurum *corporis* ejus *mole proſtratâ dejecit, fruſtrà cornibus inanes ventos agitantem: atque inde reverſus eſt ſalvus magna cum gloria vagos greſſus tenui filo*, quod ei Ariadna præbuerat, *ne eum ex ambagibus labyrinthæis exeuntem deciperet cæca domus error inextricabilis. Sed cur ego primam narrationem relinquens plura* alia

ANNOTATIONES.

Theſeo, cujus amore capta erat, contra fratrem Minotaurum, ne ipſius amor patri Minoi innoteſceret. Ideo verba ejus labris ſuſpendi, & inhærere videbantur.

105. *Nam velut in ſummo, &c.*] Sic Homerus Iliados 16 Sarpedonem á Patroclo interfectum comparat cum quercu, populo, aut pinu cæſis.
Horat. de Achille lib. 4. Od. 6.

Ille, mordaci velut icta ferro
Pinus, aut impulſa cupreſſus Euro,
Procidit latè, poſuitque collum
Pulvere Teucro.

Taurus porrò mons eſt totius Aſiæ longè maximus qui ab Indico mari exurgens valdè ſatis attollitur: deinde dextro latere ad Septentrionem, ſiniſtro Meridiem verſus deflectitur, Aſiamque dividit, & in Occidentem perpetuo jugo vergens, pro varietate gentium, linguarum ac regionum, quas attingit, varia ſortitur nomina. De hoc monte Plin. lib. 5. cap. 27. Strabo lib. 2. Solin. cap. 48. Pompon. Mela lib. 1. & alii.

106. *Sudanti cortice.*] Quia pinus arbor eſt reſinam ferens. De qua Plin. lib. 16. cap. 10. & 11.

111. *Jactantem cornua ventis.*] Fruſtra percutientem cornibus vibratis aërem, & ventos inanes, quaſi contra hos luctaretur

113 *Regens tenui veſtigia filo.*] Sicut doctus fuerat ab Ariadne.

114. *Labyrintheis è flexibus.*] *Labyrinthus* domus eſt cœca, & obſcura, viarum ſinuoſis & multifidis ambagibus implicita. Quatuor autem præcipue fuiſſe *labyrinthos* tradit Plinius lib. 36. cap. 13. Primus fuit in Ægypto ante annos tria millia & ſeptingentos a Peteſucho, ſive Tithoe rege fabricatus. Secundus in Creta a Dædalo, annuente Minoe rege, conſtructus ad exemplar Ægyptii. Tertius fuit in Lemno inſula. Quartus in Italia, à Porſena rege Hetruriæ ſepulcri causâ conſtructus.

Commemorem? ut linquens genitoris filia vultum,
Ut conſanguineæ complexum, ut denique matris,
Quæ miſera, ah! fieret gnatæ deperdita fletu,
Omnibus his Theſei dulcem præoptarit amorem.
Aut ut vecta ratis ſpumoſa ad littora Diæ;
Aut ut eam triſti devictam lumina ſomno
Liquerit immemori diſcedens pectore conjux.
Sæpè illam perhibent ardenti corde furentem
Clariſonas imo fudiſſe è pectore voces.
Aut tum præruptos triſtem conſcendere monteis:
Unde aciem in pelagi vaſtos protenderet æſtus:
Tum tremuli ſalis adverſas procurrere in undas
Mollia nudatæ tollentem tegmina ſuræ:
Atque hæc extremis mœſtam dixiſſe querelis,
Frigidulos udo ſingultus ore cientem.
Siccine me patriis abvectam, perfide, ab oris,
Perfide deſerto liquiſti in littore Theſeu?
Siccine diſcedens neglecto numine Divûm

INTERPRETATIO.

referam? Quomodo nempè filia patris conſpectum deſerens: quomodo ſororis & demùm matris Paſiphaës, *quæ mærore confecta infelicem filiam lamentaretur, complexum relinquens prætulerit omnibus his jucundum Theſei amorem. Vel quomodo navis Theſei ad ſpumantes oras* Inſulæ *Dia appulſa eſt: vel quomodo ſponſus aufugiens animo ingrato illam deſeruerit funeſtum ſomnum dormientem. Narrant eam frequenter flagranti furore ſuccenſam graves ex intimo corde querelas emiſiſſe: & eam modo altos montes aſcendiſſe mærentem, unde oculos intenderet in immenſum mare: modò eam in rapidi pelagi contrarios fluctus excurriſſe, ſubtilia nuda tibia tegumenta altiùs reducentem, ipſamque graviter dolentem magnis gemitibus, & ore madido ſuſpiria languentia trahentem, hæc verba protuliſſe:* Itane, *ô perjure & perfide* Theſeu, *à patria abductam dereliquiſti me in deſerto littore? Itane, ô ingrate, me deſerens, contempto Deorum*, per quos

ANNOTATIONES.

118. *Ut conſanguineæ.*] Sororis Phædræ, quam etiam ſecum avexit, & duxit uxorem Theſeus. *Matris* Paſiphaes, quæ Solis & Cretæ Nymphæ filia fuit, & Minois regis uxor.

132. *Siccine me patriis abvectam, perfide, ab oris.*] Querelarum eſt Ariadnes exordium, cujus ſanè oratio omnis pathetica, & ad movendum animum compoſita, brevibus conſtat ſententiis, & crebris figurarum mutationibus, velut inter æſtus iracundiæ fluctuat. Hanc ut elegantiſſimam ad verbum penè tranſtulit Ovid. in Epiſt. Ariadnes ad Theſeum.

133. *Perfide, deſerto liquiſti in littore.*] Pathos eſt à loco.

Tibull. lib. 4. Eleg. 7.

Gnoſſia, Theſea quondam perjuria linguæ
Fleviſti ignoto ſola relicta mari.
Sic cecinit pro te doctus, Minoe, Catullus,
Ingrati referens impia facta viri.

Immemor,

Immemor, ah! devota domum perjuria portas?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Conſilium? tibi nulla fuit clementia præſto,
Immite ut noſtri vellet miſereſcere pectus?
At non hæc quondam nobis promiſſa dediſti
Voce: mihi non hoc miſeræ ſperare jubebas;
Sed connubia læta, ſed optatos hymenæos.
Quæ cuncta aërii diſcerpunt irrita venti.
Tum jam nulla viro juranti fœmina credat:
Nulla viri ſperet ſermones eſſe fideles:
Qui, dum aliquid cupiens animus prægeſtit apiſci,
Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt.
Sed ſimul ac cupidæ mentis ſatiata libido eſt,
Dicta nihil metuêre, nihil perjuria curant.
Certè ego te in medio verſantem turbine lethi
Eripui, & potiùs germanum amittere crevi,
Quam tibi fallaci ſupremo in tempore deeſſem.

INTERPRETATIO.

mihi fidem juraſti. *Numine, in patriam revehis exſecranda perjuria? An nihil potuit flectere barbara tui animi propoſitum? Nullane tibi affuit humanitas, ut crudele tuum cor mei vellet miſereri? Sed hæc olim blandis tuis verbis non promiſiſti: non iſtud expectare mihi infelici ſuadebas, ſed jucundas nuptias & felix conjugium, quæ omnia ut inania & irrita colores abripiunt venti. Nunc verò nulla mulier fidem habeat hominis* juranti: *nulla* fœmina *credat promiſſiones hominis* cujuſcumque *eſſe ſinceras & veras qui quando* eorum *mens anxia ardet deſiderio aliquid aſſequendi, nihil timent jurare, nec deſiſtunt quidvis polliceri. Ubi verò ardentis* eorum *deſiderii cupiditas expleta eſt, juramenta* violare *nihil omninò timent, nec ullo modo falſa juramenta curant. Ego ſanè, te in medio diſcrimine mortis conſtitutum ſervavi;* meumque *fratrem* Minotaurum *ſtatus potiùs perdere, quàm non adeſſe tibi perfido in extrema* vitæ tuæ *hora.*

ANNOTATIONES.

135. *Devota perjuria portas.*] Refers in patriam tecum perjuria meis imprecationibus execrata, & pro qui bus tuum caput diris devovi. *Devotus* enim ſæpiùs idem eſt ac votis & diris petitus.
Tibull. lib. Eleg. 5.

Tunc me diſcedens devotum fœmina dixit.

143. *Nunc jam nulla viro juranti fœmina credat.*] Decepta à Theſeo Ariadne alias admonet fœminas, ne viris jurantibus fidem adhibeant qui dum aliquid cupiunt adipiſci, omnia promittunt, omnia ſe facturos jurant: cùm verò, quod cupiebant ſunt adepti, fidem frangere non verentur. Hunc locum imitatus Ovid. dixit:

Nunc quoque nulla viro juranti fœmina credat.

144. *Nulla viri ſperet, &c.*] Sic Propert. lib. 2. Eleg. 34.

Expertus dico, nemo eſt in amore fidelis.

Virgil. lib. 3. Æneid.

Nuſquam tuta fides. ———

145. *Prægeſtit apiſci.*] Pro *adipiſci*, dicebant Veteres. Lucill. apud Nonium: *Ut ego effugiam, quod ego te in primis cupere apiſci intelligo.* Lucret. lib 6.

Quippe etenim nullo ceſſabam tempore apiſci.

148. *Nihil perjuria curant.*] Quod

Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibuſque
Præda, neque injectâ tumulabor mortua terrâ.
Quænam te genuit ſola ſub rupe leæna?
Quod mare conceptum ſpumantibus expuit undis?
Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vaſta Charybdis,
Talia qui reddis pro dulci præmia vita?
Si tibi non cordi fuerant connubia noſtra,

INTERPRETATIO.

Pro quo quidem beneficio *belluis immanibus devoranda dabor, & avibus eſca relinquar, nec fato functa terrâ* mihi *impoſitâ humabor. Quænam leæna*, ô perfide Theſeu, *te deſerto in ſaxo generavit? Quodnam pelagus te progenitum excreavit ſpumoſis fluctibus? Quænam Syrtis, quænam crudelis Scylla, quænam immanis Charybdis es tu? qui pro ſuavi vita* tibi ſervata *talem rependis mercedem? Si tibi conjugium noſtrum non placebat, quia reformidabas ſeveriora tui*

ANNOTATIONES.

Ariadne vitis objicit, id quoque viri in fœminas retorquent. Sic ipſe Catullus infrà.

—— Mulier cupido quod jurat amanti,
In vento & rapida ſcribere oportet aquâ.

Sed hoc omnibus amantibus commune eſſe teſtatur Ovidius.

Ne jurare time, Veneris perjuria venti
Irrita per terras, & freta ſumma ferunt.

153. *Neque injectâ tumulabor mortua terrâ.*] In hoc ſe miſerabilem credit, quòd poſt mortem ſepulturâ ſit caritura, eandemque ſortem habitura cum iis, qui, quòd eorum corpora inhumata jacerent, centum annos errare dicebantur. Pulveris autem injectio pro quodam ſepulturæ genere habebatur. & ſaltem ſi fieret circa cadavera, tunc eorum animæ requiem capere credebantur, & paludem Stygiam tranſire. Vide Virgil. lib. 6. Æneidos.

154. *Sub rupe leæna.*] Crudelitatis & ſævitiæ Theſeum arguit.
Tibull. Eleg 4. lib. 3.

Nec te conceptam ſæva leæna tulit.

155. *Quod mare.*] Crudeles homines, & ab omni humanitate alienos fingunt Poëtæ è mari fuiſſe genitos, aut montibus; aut à feris educatos in ſilvis.
Ovid. Epiſt Ariadnes.

Nec pater eſt Ægeus, nec tu Pittheidos Æthra
Filius: auctores ſaxa, fretumque tui.
Te lapis & montes, innataque rupibus altis
Robora, te ſæva progenuêre feræ.

156. *Quæ Syrtis*, &c. Ubicumque ſunt arenoſa loca in mari Servius *Syrtes* aſſerit vocari. *Syrtes* verò maximè dicuntur duo ſinus periculoſiſſimi in mari Libyco, magnitudine diſpares; quorum alterum, qui Carthagini propinquior eſt, minorem *Syrtim* vocant, Alter, qui in Cyrenaicam regionem vergit, major *Syrtis* dicitur. Utraque *Syrtes* navigantibus eſt periculoſiſſima, quòd ibi mare vadoſum ſit, arenæ congerens cumulos, & brevia hinc & hinc transferens. De his vide Salluſt. in Jugurtha, Strabon. lib. 3. Plin. lib. 5. cap. 4. Melam lib. 1. &c.

Quæ Scylla rapax, quæ vaſta Charybdis.] In freto Siculo ſcopulus eſt *Scylla* Charybdi vorticoſo gurgiti oppoſitus, naufragiis infamis, ad quem illiſi fluctus canum latratus imitantur. In hoc ſaxum mutatam fuiſſe Scyllam Phorci filiam à Circe venefica. *Charybdin* etiam fingunt fuiſſe mulierem rapaciſſimam, a Jove, cum Herculis boves ſurripuiſſet, occiſam, & in voraginem hanc converſam. Vide Strabon. lib. 6.

Sæva quòd horrebas priſci præcepta parentis:
Attamen in veſtras potuiſti ducere ſedes,
Quæ tibi jucundo famularer ſerva labore,
Candida permulcens liquidis veſtigia lymphis,
Purpureâve tuum conſternens veſte cubile.
Sed quid ego ignaris nequicquam conqueror auris,
Externata malo, quæ nullis ſenſibus auctæ
Nec miſſas audire queunt, nec reddere voces?
Ille autem propè jam mediis verſatur in undis;
Nec quiſquam apparet vacua mortalis in alga.
Sic nimis inſultans extremo tempore ſæva
Fors etiam noſtris invidit queſtibus aures,
Jupiter omnipotens, utinam nec tempore primo
Gnoſia Cecropiæ tetigiſſent littora puppes,
Indomito nec dira ferens ſtipendia tauro
Perfidus in Cretam religaſſet navita funem.
Nec malus hic celans dulci crudelia formâ
Conſilia, in noſtris requieſſet ſedibus hoſpes.
Nam quò me referam? quali ſpe perdita nitar?
Idæoſne petam monteis? ah! gurgite lato
Diſcernens pontum truculentum dividit æquor!

INTERPRETATIO.

patris dura mandata; nihilominus ſaltem poteras in patriam tuam me perducere, utpote quæ tibi libenti animo famula ſervirem abluens aquâ mundâ niveos pedes tuos, *aut ſternens coccineâ ſtragulâ lectum tuum. Aſt cur ego miſeriis afflicta & inſana fruſtra conqueror ſurdis ventis, qui nullis ſenſibus præditi, neque audire, neque referre poſſunt querelas* à me *editas. Ipſe vero* Theſeus *nunc ferè eſt in medio mari, neque ullus homo conſpicitur in* hoc *deſerto littore. Ita fortuna crudelis mihi nimium inſultans ultimo vitæ die meis etiam querelis negavit aures. O Jupiter præpotens, Utinam nedum* etiam *initio rerum naves Cecropiæ Gnoſſias oras attigiſſent; neque perjurus nauta vectigalia portans Tauro invicto funem ſolviſſet verſus Cretam, neque iſte ſceleratus advena* Theſeus *tegens blandâ sub ſpecie crudelem animum in patria mea domibus manſiſſet. Etenim quem in locum me conferam? quanam ſpe* ego *miſera poſſim ſuſtentari? An Idæos montes adibo? Aſt mare ſævum vaſto freto dividit & ſeparat patriam*

ANNOTATIONES.

159. *Priſci præcepta parentis.*] Connubium intelligit, quod vocat, *præcepta priſci parentis*, hoc eſt, *Cecropis* primi Regis Atticæ, qui primus matrimonii dedit leges, mariſque & fœminæ conjunctione apud Athenienſes, ut tradit Juſtinus, connubium conciliavit.

165. *Externata malo.* Quæ nimio dolore demens facta apud me non ſum.

172. *Gnoſſia.* Cretenſia ab urbe *Gnoſſo*, de qua jam ſupra.

174. *Perfidus in Cretam.*] Plus ſatis notum eſt *Cretam*, quæ nunc *Candia* dicitur eſſe Inſulam maris Mediterranei inter Africum & Ægæum pelagus ſitam, quæ quondam dicitur fuiſſe centum digeſta per urbes. Unde Virgil. Æneid. lib. 3.

Centum urbes habitant magnas, &c.

178. *Idæoſne petam montes.*] *Idam* montem etiam eſſe Cretæ & omnium Cretenſium altiſſimum ſcribit Strabo

An patris auxilium ſperem, quemve ipſa reliqui
Reſperſum juvenem fraternâ cæde ſecuta?
Conjugis an fido conſoler memet amore,
Qui refugit lentos incurvans gurgite remos?
Præteream littus? nullo ſola inſula tecto.
Nec pater egreſſus pelagi cingentibus undis.
Nulla fugæ ratio, nulla ſpes, omnia muta:
Omnia ſunt deſerta, oſtentant omnia lethum.
Non tamen antè mihi langueſcunt lumina morte,
Nec priùs à feſſo ſecedent corpore ſenſus:
Quàm juſtam à Divis expoſcam prodita mulctam,
Cœleſtumque fidem poſtremâ comprecer horâ.
Quare facta virûm mulctantes vindice pœnâ

INTERPRETATIO.

meam à me. *An parentis mei opem expectare audeam? Quem etiam ego deſerui, ut adoleſcentem ſequerer fratris cruore madentem? An meipſam ſolari queam amore fideli ejus ſponſi, qui flexiles contorquens pelago ſonſas aufugit? An prætergrediar littus?* Hæc *inſula deſerta eſt ſine ulla domo. Neque hinc exitus datur, fluctibus maris undique* me *circumdantibus. Non eſt ullus effugii modus*, *non* eſt *ulla* hinc exeundi *ſpes: cuncta ſunt* hîc *muta, cuncta ſunt deſerta, omnia denique mortem minantur. Attamen non priùs oculi letho mihi deficient, neque anteà languentibus membris recedens ſenſus, quàm* ego ſic *decepta pœnam à Diis exorem* proditori meo *debitam*, & *Cœlitum auxilium implorem extremo* vitæ *meæ tempore. Quamobrem vos ô Eumenides, punien-*

ANNOTATIONES.

lib. 10. & Plin. lib. 4. cap. 12. Sunt qui legant *Idmeneos* pro *Idomeneos*, id eſt, Cretenſes ab *Idomeneo* Cretenſium Rege Deucalionis filio, de quo Homerus, Dictys Cretenſis;. Diodorus lib. 5. cap. 15. Strabo lib. 10. & Servius lib. 3. Æneid. plura commemorarunt. Alii legunt *Iſthmeneos*; quia pluribus *Iſthmis* ſecatur Creta. Ita Scaliger. Sed hoc potiùs videretur intelligi de *Iſthmo* Peloponneſi, qui ſex millibus paſſuum patens Ægæum mare ab Ionio dividit.

181. *Reſperſum juvenem fraternâ cæde.*] Theſeum eruentatum ſanguine Minotauri fratris mei.

182. *Conjugis an fido.*] Theſei nempè quem conjugem appellat, quia pollicitus fuerat, ſi victor evaderet, ſe illam uxorem habiturum.
Unde Ovid. Epiſt. Ariadn.

Cum mihi dicebas, per ego ipſa pericula juro,
Te fore dum noſtrum vivet uterque meam.

187. *Oſtentant omnia lethum.*] Virgil. lib. 1. Æneid.

Præſentemque viris intentant omnia mortem.

188. *Non tamen antè mihi.*] Querelas ſuas concludens Ariadna ſignificat, antequam moriatur, ſe velle precari Deos, ut ſuamque ulciſcantur injuriam, Theſeique puniant perfidiam pro meritis.

190. *Expoſcam prodita mulctam.*] Diſcrimen ponunt Juriſperiti inter *mulctam* & *pœnam*, ut *mulcta* ſit ſpecialis peccati, *pœna* generale omnium delictorum ſupplicium. *Mulcta* eſt vulgò hodie pecuniaria: *pœna* etiam capitis & exiſtimationis. *Mulcta* ex arbitrio irrogatur, *pœna* lege. Sic Dido apud Virg. lib. 4. Æneid. Æneæ mala imprecatur,

Sol qui terrarum flammis opera omnia luſtras,

Eumenides, quibus anguineo redimita capillo
Frons expirantis præportat pectoris iras,
Huc huc adventate, meas audite querelas,
Quas ego, væ miseræ, extremis proferre medullis
Cogor inops, ardens, amenti cæca furore.
Quæ quoniam verè naſcuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati noſtrum vaneſcere luctum:
Sed quali ſolam Theſeus me mente reliquit,
Tali mente, Deæ, funeſtet ſeque ſuoſque.
Has poſtquàm mœſto profudit pectore voces,
Supplicium ſævis expoſcens anxia factis:
Annuit invicto cæleſtum numine Rector,
Quo tunc & tellus, atque horrida contremuerunt
Æquora, concuſſitque micantia ſidera mundus.
Ipſe autem cæcâ mentem caligine Theſeus

INTERPRETATIO.

tes hominum crimina ſuppliciis ultricibus, quibus caput cinctum crinibus viperis præ ſe fert hominis morientis dolores, huc huc adeſte, meas attendite querimonias, quas ego, heu mihi infelici, egens, furens, veſanâ excæcata rabie cogor ex intimis viſceribus effundere; quæ cùm verè oriantur ab imo corde, ne ſinatis vos fletus meos & gemitus irritos manere & inultos. Sed quo animo perfidus Theſeus me deſeruit, eodem ipſo; oro vos, ô *Diva, & ſeipſum & ſuos cruentet. Ubi* verò Ariadne *debitas pœnas imprecata diris* Theſei *ſceleribus, hæc verba animo dolenti protulit, ſtatim Deorum Rex annuit nutu* ſuo *potenti, quo tunc terra vaſtaque maria cohorruerunt. Cælumque* ipſum *aſtra fulgentia concuſſit. Theſeus verò ipſe ſubitò correptus denſâ animi cæcitate ex animo im-*

ANNOTATIONES.

Tuque harum interpres curarum, & conſcia Juno.
Nocturniſque Hecate triviis ululata per urbes,
Et diræ ultrices, & Dii morientis Eliſæ:
Accipite hæc, meritumque malis advertite Numen,
Et noſtras audite preces.

193. *Eumenides.*] Furiæ ſic dictæ per antiphraſin, quòd minimè ſint benignæ, mites ac benevolæ. Tres eſſe dicuntur, Tiſiphone, Megæra, Alecto, quæ pro crinibus ſerpentes habere dicuntur: unde Catullus ſubjungit:

—— Quibus anguineo redimita capillo
Frons expirantis præportat pectoris iras.

Virgil. Georgic. lib. 4.

—— Cæruleoſque implexa crinibus angues
Eumenides.——

201. *Funeſtet ſeque ſuoſque.*] Funere inquinet, contaminet & polluat ſeque ſuamque domum.

204. *Cæleſtum Rector.*] Jupiter Ariadnes imprecationibus annuit.

Virgil. 4. Æneid.

—— Superûm tu maxime Rector.

209. *Mundus.*] Macrobius lib. 1. Saturnal. hoc loco cælum vult intelligi.

Virgil. Eclog. 4.

Aſpice convexo nutantem pondere mundum.

207. *Ipſe autem cæcâ mentis caligine.*] Ubi primùm Jupiter Ariadnes precibus annuit, Theſeus illicò oblitus eſt mandata patris, quæ ejuſmodi erant, ut ſi victor occiſo Minotauro evaderet domum rediens candida vela extolleret, nigris, quibus in Cretam navigabat, omninò depoſitis.

Conſitus oblito demiſit pectore cuncta,
Quæ mandata priùs conſtanti mente tenebat:
Dulcia nec mœſto ſuſtollens ſigna parenti,
Soſpitem, & ereptum ſe oſtendit viſere portum.
Namque ferunt, olim claſſi quum mœnia Divæ
Linquentem gnatum ventis concrederet Ægeus,
Talia complexum juveni mandata dediſſe:
Gnate mihi longâ jucundior unice vitâ,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere caſus,
Reddite in extremæ nuper mihi fine ſenectæ:
Quandoquidem fortuna mea, ac tua fervida virtus
Eripit invito mihi te, cui languida nondum
Lumina ſunt gnati carâ ſaturata figurâ:
Non ego te gaudens lætanti pectore mittam,
Nec te ferre ſinam Fortunæ ſigna ſecundæ.
Sed primùm multas expromam mente querelas,
Canitiem terrâ, atque infuſo pulvere fœdans,
Inde infecta vago ſuſpendam lintea malo,
Noſtros ut luctus, noſtræque incendia mentis,
Carbaſus obſcurâ dicat ferrugine Hibera.

INTERPRETATIO.

memori delevit omnia patris *præcepta, quæ anteà tenaci pectore ſignata retinebat; neque expandens candida vela anxie patri* ſuo *ſignificat ſe ſalvum & incolumem reviſere portum. Dicunt enim cùm Ægeus ventis quondam committeret filium* Theſeum cum *claſſe ex urbe Deæ* Palladis in Cretam *proficiſcentem, poſtquàm* eum *eſſet exoſculatus, hæc adoleſcenti præcepta dediſſe: ô fili unigenite, mihi diuturno annorum ſpatio longè gratior;* ô *fili* cariſſime, *recenter mihi reddite ſub terminum ſenectutis ultimæ, quem cogor in incerta diſcrimina mittere, quoniam infelicitas mea, tuaque ardens virtus rapit te mihi reluctanti, cui languentes oculi non adhuc ſunt ſatiati dilecti filii conſpectu. Non ego te lubens & animo læto dimittam, neque te gerere patiar ſigna proſpera ſortis, ſed plures priùs proferam ex* imo *pectore querimonias, inficiens canos* meos *humo & pulvere inſperſo; deinde vela nigra ſublimi malo extendam; ut* illa *vela Hibera atro*

ANNOTATIONES.

213. *Ægeus.*] Athenarum Rex, Pandionis filius ac Theſei pater. qui mortuum filium arbitratus, cum nigrum velum navis ejus redeuntis è Creta, quod ex oblivione non amoverat, proſpexiſſet, in mare ſe dedit præcipitem, quod ab eo *Ægæum* appellatur.

217. *Reddite in fine ſenectæ.*] Quia nempè Theſeus ex Æthra Pitthei filia Ægeo natus in Civitate Troëzene & apud Pittheum avum educatus non conſulit ſe Athenas ad viſendum patrem, ut indicant Diodorus & Plutarchus, niſi cùm jam adoleviſſet, & fortia facinora pugnando cum pluribus hoſtibus edidiſſet, tuncque agnitus eſt ab Ægeo, cui poſteà in regnum ſucceſſit.

222. *Fortunæ ſigna ſecundæ.*] Velum candidum, quod meliori fortunæ congruit. Veteres enim candida ad boni naturam, nigra ad mali retulerunt. Catullus jam ſuprà.

Fulſere quondam candidi tibi ſoles,

227. *Carbaſus obſcurâ dicat ferrugine*

Quod tibi ſi ſancti concedens incola Itoni,
Quæ noſtrum genus ac ſedes defendere ſueta
Annuat, ut tauri reſpergas ſanguine dextram:
Tum verò facito, ut memori tibi condita corde
Hæc vigeant mandata, nec ulla obliteret ætas.
Ut ſimul ac noſtros inviſent lumina colles,
Funeſtam antennæ deponant undique veſtem,
Candidaque intorti ſuſtollant vela rudentes:
Quamprimùm cernens ut lætâ gaudia mente
Agnoſcam, quum te reducem ætas proſpera ſiſtet.
Hæc mandata priùs conſtanti mente tenentem
Theſea, ceu pulſæ ventorum flamine nubes
Aërium nivei montis liquere cacumen.
At pater, ut ſummâ proſpectum ex arce petebat,
Anxia in aſſiduos abſumens lumina fletus:
Quum primùm inflati conſpexit lintea veli,

INTERPRETATIO.

colore demonſtrent mœrorem meum, & ardentem animi dolorem. Quod ſi tibi annuens Dea ſacri Itoni habitatrix, quæ noſtram gentem, & patriam protegere ſolita eſt, nutu concedat, ut manum tuam Minotauri cruore perfundas: Tunc fac ut hæc conſtanti pectore tibi infixa maneant præcepta, neque ullum tempus ea deleat; ut ſtatim atque noſtros montes oculi tui reviſent, antennæ tuæ funerea vela undequaque abjiciant, & rudentes immiſſi expandant carbaſa alba. Ut ego proſpiciens læto animo quamprimùm cognoſcam gaudia tua, quando te tempus fortunatum reverſentem nobis præſentem faciet. Iſta præcepta Theſeum deſeruerunt ea memori animo antea ſervantem, quomodo nubila agitata ventorum flatu nivoſi montis æthereum verticem. Sed pater ejus Ægeus, cùm ex ſumma arce proſpiceret, oculos ſollicitos in lacrymas continuas effundens, ſtatim atque vela

ANNOTATIONES.

Ibera.] *Ibera* dicitur *carbaſus*, quòd nempè optima vela ex Iberia ſeu Hiſpania, quæ cannabe & lino abundabat, afferebantur. *Ferrugo* autem *obſcura* hic ſumitur pro ferri nigredine, non pro purpureo colore, ut nonnulli commenti ſunt. Virgil. 1. Georgic.

Cum caput obſcurâ nitidum ferrugine texit.

228 *Itoni incola.*] Palladem ſeu Minervam intelligit, quæ etiam dicta eſt *Itonis* & *Itonias* ab *Itono* Bœotiæ urbe, in qua maximè culta fuit, habuitque templum antiquiſſimum. Fuit & mons in Bœotia ejuſdem nominis, & urbs in Theſſalia, ubi etiam Pallas templa habuiſſe dicitur. Vide Lilium Giraldum Syntagmat. 11. de Minerva, & Strabon. lib. 9.

234. *Antenna.*] Lignum in malo navis tranſverſum, cui velum alligatur, cujus duo extrema Virgilio dicuntur *cornua*.

Cornua velatarum obvertimus antennarum.

235. *Rudentes.*] Navium funes hoc nomine appellantur, quòd ſtantibus ventis rudere videantur.

241. *At pater.*] *Ægeus pater* Theſei proſpiciens redeuntes è Creta filii ſui naves, credens Theſeum eſſe interfectum, cum nigra vela, quæ amovere oblitus erat, conſpexiſſet, ex alta turri in mare ſe præcipitem dedit.

Præcipitem ſeſe ſcopulorum è vertice jecit,
Amiſſum credens immiti Theſea fato.
Sic funeſta domus ingreſſus tecta paterna
Morte ferox Theſeus, qualem Minoïdi luctum
Attulerat mente immemori, talem ipſe recepit.
Quæ tamen aſpectans cedentem mœſta carinam,
Multiplices animo volvebat ſaucia curas.
At parte ex alia florens volitabat Iacchus,
Cum thiaſo Satyrorum, & Nyſigenis Silenis,
Te quærens, Ariadna, tuoque incenſus amore:
Qui tum alacres paſſim lymphatâ mente furebant,
Evoe bacchantes, evoe capita inflectentes.

INTERPRETATIO.

nigra vidit, ſeipſum è cacumine ſcopulorum præcipitavit, ratus filium ſuum *Theſeum crudeli morte periiſſe. Itaque Theſeus domum paternam reverſus, infauſtâ* Minotauri *nece ſuperbus, tantum ipſe accepit mœrorem, quantum ingrato* ſuo *animo Minoïdi intulerat, quæ nihilominus mœrens navem* Theſei *recedentem proſpiciens varios anxiâ mente motus agitabat. Sed ex alia parte Iacchus ætate vigens advolabat cum Satyrorum choro & Silenis Nyſigenis te quæritans, ô Ariadne, tuique ardens deſiderio; qui* omnes *læti undequaque furore correpti*

ANNOTATIONES.

247. *Minoïdi.*] Ariadna, quæ nomine patronomico dicitur *Minoïs, idis* cujus ultima ſyllaba in dativo corripitur, ut in cæteris nominibus Græcis.

251 *Volitabat Iacchus*] Ex alia nimirùm parte illius ſtragulæ ſeu veſtis, quæ lectum genialem Thetidis contexerat, depingebatur Bacchus in Naxon Inſulam celeriter ſuperveniens, dum Ariadne de Theſei perfidia conquereretur. Diodorus porrò lib. 5 cap. 12. ſcribit Bacchum ſeu Dionyſium Ariadnes amore captum, cum a Theſeo virginem abſtuliſſet, eam uxorem duxiſſe, eamque præter modum dilexiſſe.

252. *Cum thiaſo Satyrorum.*] Vidimus *thiaſum* eſſe cœtum & turbam ſaltantium rebuſque ſacris Bacchi, Cybeles aut alterius Numinis vacantium. *Satyri* finguntur acutis auribus, calvi, cum corniculis in capite, rubicundâ facie, capripedes, & effigie humanâ velociſſimi. In montibus Indiæ, ſi Plinio credas lib. 7. habitare dicuntur. Nunquam autem capiuntur niſi ſenes, aut ægri, propter velocitatem, qualem unum adductum ad Syllam ferunt è bello Mithridatico redeuntem, ut refert Plutarchus.

Nyſigenis Silenis.] Genitis in urbe Indiæ nomine *Nyſe*, ubi & Bacchus natus & educatus dicitur. *Silenus* autem nutritor fuit, ſeu pedagogus Bacchi, ejuſque perpetuus comes, qui aſinum apud Ovidium 1. Faſtor. equitare fingitur.

Venerat & pando ſenior Silenus aſello.

Inde *Sileni* Bacchi comites vulgato nomine dicuntur. Quibus etiam adjunguntur Fauni, Panes, Satyri, Sylvani, cæterique Dii agreſtes.

255. *Evoe bacchantes.*] Bacchari propriè eſt Bacchi ſacra celebrare; ſed quia furentes, diſcurrentes, & vociferantes Orgia ſeu myſteria illa peragebant, inde per tranſlationem dixerunt *bacchari* pro *furere*, & *vagari cum clamore. Evoe capita inflectentes*; caput rotantes tanquam furibundi & fanatici. Ut ſuprà in *Aty*.

Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ

Horum

Horum pars tecta quatiebant cuſpide thyrſos.
Pars è divulſo raptabant membra juvenco.
Pars ſeſe tortis ſerpentibus incingebant.
Pars obſcura cavis celebrabant Orgia ciſtis,
Orgia quæ fruſtrà cupiunt audire profani,
Plangebant alii proceris tympana palmis,
Aut tereti tenueis tinnitus ære ciebant.
Multi rauciſonis efflabant cornua bombis,
Barbaraque horribili ſtridebat tibia cantu.
Talibus amplificè veſtis decorata figuris

INTERPRETATIO.

bacchabantur, evoe conclamantes, evoe capita rotantes. Horum alii thyrſos obducto foliis mucrone agitabant; alii rapta è bove dilaniato fruſta diſcerpebant; alii ſe convolutis anguibus præcingebant, alii Orgia occulta concavis ciſtis celebrabant; illa nempe *Orgia quæ volunt in- caſſum audire, qui his non ſunt initiati. Alia pars percutiebat longis manibus tympana, vel concavis æramentis acutos ſonitus excitabant; multi raucis bombis buccinas aſpirabant, & horrendo fragore Phrygia fiſtula concrepabat. Hujuſmodi figuris periſtroma magnificè ex-*

ANNOTATIONES.

256. *Quatiebant cuſpide thyrſos.*] *Thyrſus* haſta eſt, ſeu telum latens, cujus mucro hederâ tegitur. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 19. qui etiam lib. 7. hæc ſcribit: *Liber pater thyrſo ferit per obliquationem circumfuſa hedera latente mucrone; quia non ita profiteri oportet in convivio cenſorem, ut palam vitia caſtiget.*

257. *Pars è divulſo raptabant membra juvenco.*] Bacchanalis turba ſæpiùs ſolebat per montes, ſaltuſque diſcurrens, vitulos aut juvencos vel fortè oblatos, vel ſtudioſè conquiſitos, necnon greges & armenta fruſtulatim diſcerpere, carneſque crudas devorare. Vide Ovid. de fabula Penthei lib. 3 Metamorph.

258. *Pars ſeſe tortis ſerpentibus.*] Solebant Bacchi feſta celebrantes ſeu bacchantes, impunè ſerpentes attrectare, quibus non modò corpora cingebant, ſed etiam capita coronabant, ut referunt Plutarchus in Alexandro, Euripides in Bacchis, & Horat. lib. 2. Od. 19.

Tu ſeparatis uvidus in jugis
Nodo coërces viperino
Biſtonidum ſine fraude crines.

259. *Orgia ciſtis.*] Latinis *Orgia* tantùm dicuntur ſacra Bacchi, licèt apud Græcos pro quibuſcumque ſacris & cæremoniis *Orgia* ſumantur; Unde ὀργιάζειν idem eſt, ac quodcumque feſtum celebrare. Dicuntur autem obſcura, quia occulta & myſtica erant, initiatis tantùm nota, in arculis autem ſeu ciſtis vimineis capacibus reponebantur: Unde Tibul. lib. 1. Eleg. 7.

Et levis occultis conſcia ciſta ſacris.

260. *Orgia quæ fruſtra cupiunt audire profani.*] *Profanus* idem eſt ac myſteriis non initiatus; nemini enim iis ſacris, qui his non eſſet initiatus, intereſſe licebat. Quoſcumque verò alios his ſacris ſe immiſcentes ejulatu magno fugabant, aut diſcerpebant.

263. *Rauciſonis efflabant cornua bombis.*] In ſacris Bacchi adhiberi ſolita eſſe cornua præter Catullum teſtis eſt etiam Perſius Satyr. 1. v. 99.

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis.

Bombos, imbrices, teſtas inter plauſuum genera numerat Suetonius in Nerone cap. 20. *Bombus* eſt propriè cornuum & organorum.

264. *Barbaraque horribili ſtridebat tibia.*] Pulſari ſolitam in Bacchi Sacris

Pulvinar complexa ſuo velabat amictu.
Quæ poſtquam cupidè ſpectando Theſſala pubes
Expleta eſt, ſanctis cœpit decedere Divis.
Hic qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus proclives incitat undas,
Aurorâ exoriente, vagi ſub lumina ſolis:
Quæ tardè primùm clementi flamine pulſæ
Procedunt, leviterque ſonant plangore cachinni;
Pòſt vento creſcente, magis magis increbreſcunt,
Purpureaque procul nantes à luce refulgent:
Sic tum veſtibuli linquentes regia tecta
A ſe quiſque vago paſſim pede diſcedebant.
Quorum poſt abitum, princeps è vertice Pelii
Advenit Chiron portans ſilveſtria dona.
Nam quotcumque ferunt campi, quos Theſſala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit floreis tepidi fœcunda Favoni,
Hos indiſtinctis plexos tulit ipſe corollis,
Queis permulſa domus jucundo riſit odore.

INTERPRETATIO.

ornatum circumdans ſuo velamine torum genialem Thetidis *tegebat. Hac autem ubi Theſſala juventus avidè conſpiciendo ſatiata eſt, incæpit Diis venerandis cedere* advenientibus. *Hic quemadmodum Zephyrus agitans tranquillum pelagus flamine matutino, aurorâ naſcente, circa primum rapidi ſolis exortum, primùm aquas commovet, quæ primò flatu molli pulſa lentè concitantur, ac tenui reſonant fremitus fragore: deinde augeſcente flatu, plus pluſque agitantur,* & undæ *labentes à lumine purpureo longè reſplendent; eodem modo tunc temporis deſerentes veſtibulum regalis domus diſcedebant ab invicem, unuſquiſque in domum ſuam pedibus undequaque vagantibus. Poſt quorum diſceſſum primus Chiron è Pelii montis cacumine adventavit ferens agreſtia munera. Quotquot enim flores producunt agri, quotquot Theſſalica terra lateis montibus ſuis profert, quotquot juxta fluviorum ripas fovet tepentis Favoni flamen genitale; hos ille attulit intermiſtis corollis implicitos, quibus tota regia delibuta ſuavi odore fragravit, il-*

ANNOTATIONES.

fuiſſe tibiam cum Catullo teſtatur Tibullus:

Et Tyria veſtes, & dulcis tibia cantu.
Barbarum verò dixit *tibiam*, vel quia ritu Barbarorum factam, vel à Barbaris inventam, à Phrygibus nempè, quos multi volunt, Græcis maximè, habitos & dictos fuiſſe *Barbaros*.

273. *Plangore cachinni.*] Undarum ſonitum metaphoricè *cachinnum* vocat; quaſi littus percutiendo, fremitumque ciendo, undæ riſum edere videantur.

278. *Vertice Pelii.*] *Pelion* ſeu *Pelius* mons eſt Theſſaliæ altiſſimus in ſinum Pelaſgicum incumbens, in quo Chiron habitabat, ubi & genitus eſt.

279. *Advenit Chiron.*] *Chiron* Centaurus Saturni & Philyres filius, Achillis præceptor & inſtitutor. Apollodor. lib. 3.

283. *Favoni.*] *Favonius* eſt Zephyrus ventus ab æquinoctiali occaſu ſpirans, à *favendo* ſic dictus. Plin. lib. 16. cap. 25.

Confeſtim Peneos adeſt. viridantia Tempe,
Tempe, quæ ſilvæ cingunt ſuperimpendentes,
Neſſonidum linquens claris celebranda choreis
Non vacuus: namque tulit radicitus altas
Fagos, ac recto proceras ſtipite laurus,
Non ſine nutanti platano lentaque ſorore
Flammati Phaëtontis & aëria cupreſſu.
Hæc circum ſedes latè contexta locavit,

INTERPRETATIO.

licò Peneus deſerens vernantia Tempe celebranda præclaris Neſſonidum choreis, relinquens, inquam, Tempe, quæ nemora ſuperimminentia claudunt advenit non vacuus; attulit enim proceras fagos imis radicibus evulſas, & alias recto trunco laurus, cum vacillanti platano, & flexibili ſorore Phaëtontis fulminati, & ſublimi cupreſſu. Iſta omnia circa regiam undequaque ſimul inſerta compoſuit, ut

ANNOTATIONES.

285. *Peneos adeſt.*] *Peneus* Theſſaliæ fluvius ſupra omnes clarus, qui ortus è monte Pindo juxta Gomphos, & inter Oſſam & Olympum montes nemoroſâ convalle defluens, quingentis ſtadiis dimidio ejus ſpatio navigabilis, acceptiſque multis Theſſaliæ amnibus, per Tempe amœniſſimum locum ad erumpendum in mare delabitur.

286. *Tempe.*] De *Tempe* loco amœniſſimo tantoperè apud Veteres decantato jam ſuprà Poematis hujus verſu 35. Sed præter illa *Tempe* Theſſalica, ſunt & *Tempe* in Bœotia *Tecmeſſia* dicta à *Tecmeſſe* monte, & in Sicilia *Heloria* ab *Heloro* amne ſic appellata.

287. *Neſſonidum linquens claris celebranda choreis.*] Nympharum *Neſſonidum*, quæ ſic dicuntur à palude *Neſſonide* Tempe & Peneo fluvio vicina, Nonnulli alii legunt, *Nereidum*, ſed certò certius eſt lectionem noſtram eſſe ſequendam, quam antiqui codices repræſentant, & optima ratio ſuadet. Conſtat enim ex Strabone lib. 9. pluribus in locis *Neſſonidem* paludem Tempe vicinam eſſe, in quam etiam ſeſe effundit Peneus: unde longè ſatius & convenientius eſt ut Nymphæ *Neſſonides* choreis celebrent Tempe, utpote vicinæ & fluviales, quàm *Nereides*, quæ remotiores & marinæ. Sic autem ſcribit Strabo lib. 9. Τῶν δὲ σεισμῶν ῥαγμῶν, τὰ νῦν καλούμενα Τέμπη, κὴ τὴν Ὄσσαν ἀποσχιζόντος ἀπὸ τοῦ Ὀλύμπου διεξέπεσε ταύτῃ πρὸς θάλασσαν ὁ Πηνειὸς, κὴ ἀνέψυξε τὴν χώραν ταύτην. Ὑπολείπεται δ' ὅμως ἥ τε Νεσσωνὶς λίμνη μεγάλη, κὴ Βοιβηὶς ἐλάττων ἐκείνης, κὴ πλησιεστέρα τῇ παραλίᾳ. *Cùm autem terra motus hiatum feciſſet, quæ nunc Tempe dicitur, abrupta ab Olympo Oſſa per eum hiatum Peneus in mare ſe evolvens ſiccandam planitiem præbuit. Reſtant tamen paludes, Neſſonis una magna, altera Boebeis aliquanto minor, & oræ maritimæ vicinior.* Idem Strabo paulò pôſt ubi ſuprà. Καὶ τοὺς ὑπολειφθέντας τῶν Περραιβῶν κατέσχον Λαρισαῖοι, πλησίον μὲν οἰκοῦντες τοῦ Πηνειοῦ, νεμόμενοι δὲ τὰ εὐδαιμονέστατα μέρη τῶν πεδίων, πλὴν εἴ τι σφόδρα κοῖλον πρὸς τῇ λίμνῃ τῇ Νεσσωνίδι, εἰς ἣν ἐπικλύζων ὁ ποταμὸς ἀφῃρεῖτό τι τῆς ἀροσίμου. *Perrhæborum reliquias Lariſſæi occupaverunt prope Peneum habitantes, & fertiliſſimam planiciem colentes, niſi ubi quid nimis depreſſum accedit ad Neſſonidem paludem, in quam etiam ſeſe effundens fluvius nonnihil arabilis aptæ telluris abſcindit.* Idemque etiam paulò pôſt: τὰ δ' ὀρεινότερα χωρία πρὸς τῷ Ὀλύμπῳ κὴ τοῖς Τέμπεσι τοὺς Περραιβοὺς. κὴ τὰ περὶ τὴν Νεσσωνίδα λίμνην κὴ Βοιβηίδα.

291. *Flammati Phaëtontis.*] Arborem

Veſtibulum ut molli velatum fronde vireret.
Poſt hunc conſequitur ſolerti corde Prometheus
Extenuata gerens veteris veſtigia pœnæ:
Quam quondam ſilici reſtrictus membra catenâ
Perſolvit, pendens è verticibus præruptis.
Inde Pater Divûm ſanctâ cum conjuge, natiſque
Advenit cœlo, te ſolum, Phœbe, relinquens,

INTERPRETATIO.

Propylæum jucundis ornatum foliis vernaret. Poſt hunc ſubſequitur ingenio prudenti Prometheus ferens indicia diminuta priſci ſupplicii, quod olim paſſus eſt ad rupem vinculis religatus corpore ex altis & præruptis Caucaſi jugis ſuſpenſus. Deinde Deorum Pater auguſta cum uxore, & filiis adeſt è Cœlo, te ſolum ibi re-

ANNOTATIONES.

populum intelligit. Sorores enim *Phaëtontis* ipſius interitum deflentes Deorum miſeratione in populos converſæ dicuntur, quam fuſiùs fabulam proſequitur Ovidius lib. 2. Metamorphoſ. Alii verò dixerunt eas in alnos eſſe mutatas. *Flammatus* dicitur *Phaëton*, quòd incendio fulminis fuerit abſumptus.

293. *Veſtibulum ut molli velatum.*] Die nuptiarum fores conjugum frondibus, floribus, & coronis ornari ſolebant. Sic apud Virgil. Æneid. lib. 4.

——— *Variis florentia limina ſertis.*

Ovid. 4. Faſtor.

Et tegat ornatas longa corona fores.

Vide Plutarchum in Erotico, ubi narrat januam novi conjugis & novæ nuptæ ramis oleæ, & hederâ coronari ſolitam.

294. *Prometheus ſolerti corde.*] Quia nempè prudentiſſimus; qui etiam inter Deos colebatur. Unde cum iiſdem à Poëta noſtro fingitur Pelei nuptiis & Thetidis interfuiſſe.

295. *Gerens veteris veſtigia pœnæ.*] Quòd nempè Jovem decepiſſet in diſtribuendis carnibus, quòd viros mulieteſque effinxiſſet, quodque clam ſurripuiſſet ignem è Cœlo mortalibuſque dediſſet. Unde iratus Jupiter Prometheum per Mercurium catenâ ferreâ ad ſaxum in Caucaſo monte religari juſſit, & aquilam appoſuit, quæ ejus jecur continuò renaſcens aſſiduè corroderet. Verùm cùm poſteà Jupiter Thetidis amore captus, eam vellet uxorem ducere, Parcæ fata canentes edixerunt, ut quicumque Thetidis eſſet maritus, filium haberet paternâ laude & virtute clariorem. Quod cùm Prometheus vigilans audiiſſet, Jovi renunciavit, qui veritus ejuſmodi fatum, & ne quod ipſi Saturno patri fecerat, ſibi contingeret, Thetidem deſtitit velle uxorem ducere. Prometheo autem meritam pro beneficio retulit gratiam, eumque vinculis liberavit, ac Thetidi & Pelei nuptiis intereſſe juſſit. Apollon. tamen lib. 2. eum liberatum narrat ab Hercule,

299. *Te ſolum, Phœbe, relinquens pater Divûm.*] Significat Jovem cum conjuge Junone, filiis, omnibuſque Diis adveniſſe de Cœlo, ad Pelei & Thetidis nuptias, præter unum Apollinem ſeu Phœbum cum ſorore Diana, qui adeſſe neglexerunt, hujuſmodi nuptias aſpernati. Homerus tamen & Æſchylus Phœbum adfuiſſe ſcribunt, & carmen nuptiale Thetidi ceciniſſe, quo funeſta omnia prædicebantur. Scitè porrò Catullus videtur Apollinem & Dianam removiſſe ab his nuptiis, cùm Diana ſemper caſta, conjugio ſit infenſa, & futurum eſſet, ut Apollo Achillem Pelei & Thetidis filium interficeret.

Unigenamque ſimul cultricem montibus Idæ
Pelea nam tecum pariter ſoror aſpernata eſt,
Nec Thetidis tædas voluit celebrare jugaleis.
Qui poſtquam niveos flexerunt ſedibus artus,
Largè multiplici conſtructæ ſunt dape menſæ.
Quum intereà infirmo quatientes corpora motu,
Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus.
His corpus tremulum complectens undique veſtis
Candida purpureâ talos intexerat orâ.
At roſeo niveæ reſidebant vertice vittæ,
Æternumque manus carpebant ritè laborem.
Læva colum molli lanâ retinebat amictum,
Dextera tum leviter deducens fila ſupinis
Formabat digitis: tum prono in pollice torquens
Libratum tereti verſabat turbine fuſum:
Atque ita decerpens æquabat ſemper opus dens,
Laneaque aridulis hærebant morſa labellis,
Quæ priùs in leni fuerant extantia filo.

INTERPRETATIO.

linquens, ô Phœbe, pariterque gemellam tuam *ſororem ſilvicolam in montibus Idæ. Siquidem* Diana *germana* tua *unà tecum Peleum deſpexit, nec dignata eſt faces nuptiales Thetidis celebrare. Qui* Dii omnes *poſteaquàm candida corpera in ſedilibus compoſuerunt, menſa* ſtatim *fuerunt abundanter plurimis cibis diverſi generis inſtructa. Cùm interim Parcæ commoventes membra* ſua *debili geſtu inchoarunt canere divina carmina. His alba veſtis undequaque contegens membra trementia purpureo limbo talos velaverat, atque etiam in* earum *capite roſeæ ſpiranti erant candida vitta,* earumque *manus opus æternum more* ſuo *peragebant. Illarum ſiniſtra manus colum facili vellere onuſtam tenebat; dextera* verò *modò molliter torquens flamina digitis inverſis deducebat fila, modò declivi pollice ſuſpenſum in volubilem gyrum fuſum flectebat: ac deinde* earum *dentes morſu extantia eximentes jugiter fila lævigabant, & carptus lanæ ſiccis* earum *labris inhærebant, qui anteà in tenui filo eminuerant. Ad earum verò*

ANNOTATIONES

300. *Unigenamque ſimul.*] Sororem gemellam Dianam uno eodémque ſimul partu editam, quæ maximè montes Idæos colit, ubi venatur. De montibus autem Idæis Cretenſibus debet intelligi Poëta, quoniam apud Cretenſes Diana præcipuè colebatur. Ovid. in Faſtis.

Pallada Cecropidæ, Minoia turba Dianam.

306. *Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus.*] Dum Jupiter cum Junone & cæteris Diis diſcumberet, Parcæ Carmen Nuptiale canere cœperunt vera, rata, & fixa Achillis fata continens. Sed antequàm Parcarum cantus referat Poëta, earum habitum & opus tam ſcienter & graphicè expreſſit, ut nullus unquam Pictor nentes mulieres tam doctè expingere poſſit.

314. *Tereti verſabat turbine fuſum.*] In orbem & in gyrum verſabat. Tibull. lib. 2. Eleg. 1.

Fuſus & appoſito pollice verſat opus.

316. *Aridulis hærebant morſa labellis.*] Propter exhauſtam in nendo ſalivam. *Aridulis*, pro *aridis*: Ut ſuprà *frigidulos ſingultus*; *albulus columbulus*. Vocabula illa Catullo ſunt familiaria.

Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera virgati cuſtodibant calathiſci.
Hæ tum clariſonâ pellentes vellera voce
Talia divino fuderunt carmine fata,
Carmine, perfidiæ quod pòſt nulla arguet ætas.
O decus eximium! magnis virtutibus augens,
Emathiæ columen Peleu, clariſſime natu:
Accipe, quod lætâ tibi pandunt luce ſorores,
Veridicum oraclum. ſed vos, quæ fata ſequuntur,
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Adveniet tibi jam portans optata maritis
Heſperus; adveniet fauſto cum ſidere conjux,
Quæ tibi flexanimo mentem perfundat amore,
Languiduloſque paret tecum conjungere ſomnos,
Levia ſubſternens robuſto brachia collo.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Naſcetur vobis expers terroris Achilles,

INTERPRETATIO.

pedes quaſilli viminei ſervabant mollia lanicia candidi velleris. Tum illa trahentes penſa, fuſos verſantes canorè modulamine cecinerunt hujuſmodi: fata veridico vaticinio, quod nullum poſteà tempus mendacii inſimulabit. O Peleu genere illuſtriſſime, Æmathiæ præſidium, magnis cumulans virtutibus inclytam tuam gloriam: audi divinum Oraculum, quod tibi tres pandunt Sorores hâc optatâ die. At vos, ô fuſi, ex quibus fata pendent, currite, currite, nentes fila. Aderit tibi mox Heſperus, afferens ſponſis quod cupiunt: aderit cum felici ſtella uxor, quæ tibi animum amore jucundo perfundat, atque apparet tecum languentes ſomnos conciliare, ſupponens validis cervicibus tuis mollia ſua brachia. O fuſi currite, currite nentes fila. Vobis naſcetur impavidus Achilles, hoſtibus non tergo,

ANNOTATIONES.

324. *Emathiæ columen Peleu clariſſime natu.*] Hic ſumitur *Emathia* pro Theſſalia, quanquam apud omnes Autores, præter Catullum & Lucanum, *Emathia* ſit propriè Macedonia, ſic dicta ab Emathione rege, cujus, ut refert Juſtinus, prima virtutis experimenta in illis locis extant. Malè, me judice, legitur vulgò: *Peleu clariſſime nate*, iſt eſt, Achille: cum tamen legendum ſit, *natu*, hoc eſt, genere ac natalibus. Adde quòd *natus* ille; nondum Peleo natus erat, quo tempore Parcæ finguntur à Catullo hæc ceciniſſe. Diſertiſſime enim poſtea de Achille novis conjugibus naſcituro, ejuſque præclarè factis & virtutibus vaticinantur Parcæ:

Naſcetur vobis expers terroris Achilles.

325. *Sorores.*] Parcæ. Sic Horat. lib. 2. Od. 3.

Dum res, & ætas, & Sororum
Fila trium patiuntur atra.

327. *Currite ducentes*, &c.] Verſus intercalaris, qui ſæpius interpoſitus repetitur.

328. *Portans optata maritis Heſperus.*] Superiùs docuimus adveniente tantùm Veſpero, & poſt Solis occaſum conſueviſſe novam nuptam apud Antiquos in mariti poteſtatem & manus venire: unde dicitur Heſperus gaudia & vota maritis afferre.

334. *Expers terroris Achilles.*] Græcorum fortiſſimus celebratur Achilles, qui

Hoſtibus haud tergo, ſed forti pectore notus:
Qui perſæpè vago victor certamine curſus
Flammea prævertet celeris veſtigia cervæ.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Non illi quiſquam bello ſe conferet heros,
Cum Phrygii Teucro manabunt ſanguine rivi:
Troïcaque obſidens longinquo mœnia bello
Perjuri Pelopis vaſtabit tertius hæres.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Illius egregias virtutes, claraque facta
Sæpè fatebuntur natorum in funere matres,
Cum cinere incanos ſolvent à vertice crines,
Putridaque infirmis variabunt pectora palmis.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Namque velut denſas præſternens cultor ariſtas
Sole ſub ardenti flaventia demetit arva:
Troiugenûm infeſto proſternet corpora ferro.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Teſtis erit magnis virtutibus unda Scamandri,

INTERPRETATIO.

ſed conſtanti pectore cognitus, qui celeri pugnâ curſus ſæpiſſimè victor præveniet veloces rapida cervæ pedes. O fuſi, currite, currite, nentes ſtamina. Huic nullus Heros bello ſe comparabit, quando Phrygii amnes Teucro ſanguine exundabunt, & tertius hæres perfidi Pelopis diuturno bello Troianos muros oppugnans urbem Troiam *evertet. Currite, currite, ò fuſi, nentes fila. Matres in exequiis filiorum ſuorum frequenter prædicabunt ipſius eximias tum corporis tum animi dotes, & inclyta facta, cùm à capitibus effundent cinere inſperſos capillos, & manibus ægris ſibi pectora livida maculis inficient. Currite, currite, ò fuſi ducentes ſtamina. Etenim quemadmodum meſſor reſecans cop oſas ſpicas ad ſolem ferventem flaveſcentes agros proſternit: ſic* ille *inimico gladio Troianorum corpora demetet. Currite, currite, ò fuſi, nentes ſtamina. Aqua* fluvii *Scamandri fatebitur*

ANNOTATIONES.

hic impavidus & intrepidus prædicitur. Ligyron primò dictus eſt. deinde Achilles, quòd labia mammis non admoviſſet, ſed nutritus fuiſſet à Chirone leonum viſceribus & aprorum, urſorumque medullis.

335. *Hoſtibus haud tergo, ſed forti pectore.*] Hæc maxima viri fortis commendatio, qui pectore, non tergo ſit notus hoſtibus, indicium enim eſt eum nunquam fugiſſe.

340. *Phrygii manabunt Teucro ſanguine rivi.*] Fluvii Trojani ſunt, Xanthus & Simois, qui, dum Troia a Græcis oppugnaretur, ſæpiùs Troianorum ſanguine a Græcis interfectorum fluxerunt.

342. *Perjuri Pelopis tertius hæres.*] Agamemnon intelligitur Pliſthenis filii Pelopis filius, qui Dux fuit Græcorum, quique Troiam dicitur poſt longum & diuturnum bellum expugnaſſe. *Perjurus* Pelops dicitur, quòd fidem Myrtillo Oenomai aurigæ non ſervaverit, ſed illum in mare præcipitaverit, quod ab eo dictum eſt Myrtoum. Fabula nota eſt. Vel denique dicitur *perjurus*, quod ſocerum ſuum Oenomaum perfidioſè necarit. Hygin. cap. 245.

353. *Unda Scamandri.*] Amnis eſt

Quæ paſſim rapido diffunditur Helleſponto :
Cujus iter cæſis anguſtans corporum acervis
Alta tepefaciet permiſtâ flumina cæde.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Denique teſtis erit morti quoque reddita præda,
Cum teres excelſo coacervatum aggere buſtum
Excipiet niveos perculſæ virginis artus.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Nam ſimul ac feſſis dederit fors copiam Achivis
Urbis Dardaniæ Neptunia ſolvere vincla:
Alta Polyxeniâ madefient cæde ſepulchra,
Quæ velut ancipiti ſuccumbens victima ferro,
Projiciet truncum ſubmiſſo poplite corpus.

INTERPRETATIO.

ejus præclara facta, quæ in æſtuoſum Helleſpontum abundanter influit, cujus quidem fluminis alveus coarctatus occiſorum hominum cumulis, profundas ejus aquas reddet tepidas ſanguine profuſo. Currite, currite, ô fuſi nentes fila. Tandem etiam teſtis aderit ipſius præda letho tradita, quando conſtructum alto terræ tumulo ſepulchrum ejus candida membra mactatæ Polyxenæ virginis recipiet. Currite, currite, ô fuſi, nentes fila. Etenim ſtatim atque fortuna, Græcis bello fractis, fecerit poteſtatem diſſolvendi compages murorum urbis Dardaniæ à Neptuno conſtructorum: tunc excelſus Achillis tumulus perfundetur ſanguine Polyxenæ, quæ ut hoſtia procumbens gladio utrinque acuto projiciet inflexo genu corpus capite trun-

ANNOTATIONES.

Scamander ex Ida monte profluens, qui & *Xanthus* dictus eſt. Hic irrigatâ Troade in Helleſpontum influit. Vid. Hom. Iliad. 21.

354. *Helleſponto.*] *Helleſpontus* eſt mare anguſtum inter Thraciam & Aſiam, ita dictum ab Helle Athamantis filia, quæ cùm unà cum Phrixo fratre in Colchicam regionem transfretaret, in illud decidit. Vide Plin. lib. 5. cap. 13. Strabonem lib. 2. & Solin. cap. 10.

356. *Tepefaciet.*] Syllabam brevem in *tepefaciet*, licentiâ poëticâ produxit. Ovid.

Sanguine Tlepolemus Lyciam tepefecerat haſtam.

358. *Morti quoque reddita præda.*] Achilli mortuo data Polyxena quaſi pars prædæ ipſi debita, utpote quæ vivo ipſi fuerat promiſſa: & quam cum eſſet ducturus in templo Apollinis à Paride interfectus eſt. Unde cùm Polyxena Neoptolemo ſeu Pyrrho Achillis filio, captâ jam Troiâ, in prædæ diviſione obveniſſet, illam ad patris tumulum mactavit, ut hic declarat Catullus.

360. *Percuſſæ virginis artus.*] Polyxenæ à Pyrrho ad patris Achillis ſepulchrum interfectæ, ut ipſius Manibus caſto virginis ſanguine parentaret.

363. *Urbis Dardaniæ Neptunia vincla.*] Quia nempè mœnia urbis Trojæ fuerant à Neptuno & Apolline ædificata, Laomedonte Deorum operam conducente.

365. *Victima ferro.*] Non tantùm ut victima, ſed & ut hoſtia verè & propriè mactata fuit Polyxena, quia & hoſtis ab hoſte, & victa à victoribus fuit immolata.

Accipiat

Accipiat conjux felici fœdere Divam.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Quare agite optatos animi conjungite amores,
Dedatur cupido jam dudum nupta marito.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Non illam nutrix oriente luce reviſens
Heſterno collum poterit circumdare filo.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Anxia nec mater diſcordis mœſta puellæ
Secubitû caros mittet ſperare nepotes.
Currite ducentes ſubtemina, currite fuſi.
Talia præfantes quondam felicia Pelei
Carmina divino cecinerunt omine Parcæ.
Præſentes namque antè domos inviſere caſtas
Sæpiùs, & ſeſe mortali oſtendere cœtu
Cœlicolæ nondum ſpretâ pietate ſolebant.
Sæpè Pater Divûm templo in fulgente reviſens,

INTERPRETATIO.

catum. Currite, currite, ô fuſi, nentes ſtamina. Eia itaque ſimul jungite ſuaves animi ardores: ſponſus recipiat fortunato fœdere Divam. Tradatur nunc *uxor viro pridem eam concupienti. Currite, currite, ô fuſi, nentes fila.* Ejus *nutricula primo mane eam reviſens, c*ollum ejus *præcingere filo heſternâ die facto non valebit. Currite, currite, ô fuſi, nentes ſtamina. Nec* ejus *mater ſollicita & triſtis ob filia diſſentientis ſegregem à ſe cubitum deſinet exoptatos ſperare poſteros. Currite, currite, ô fuſi, nentes fila. Hæc quondam Parcæ canentes ſic prænuntiarunt cœleſtibus auſpiciis fortunata Pelei fata. Olim enim Dii, cum non eſſet adhuc contempta virtus conſueverant frequentiùs præſentes viſitare hominum ædes crimine immunes, & humanis ſeſe cœtibus exhibere. Frequenter Deorum Rex* homines *in-*

ANNOTATONES.

373. *Heſterno collum filo.*] Latius collum fieri defloratæ virginis, quàm intactæ & illibatæ putabant Veteres: unde doctè & ſcitè ſoo more Catullus ſignificat Thetidem brevi fore matrem, cùm futurum ſit, ut poſtridie nuptiarum ejus collum eodem filo quo heri, ut pote breviori, circumdari aut menſurari non poſſet.

375. *Anxia nec mater mœſta.*] Congeries epithetorum, *anxia*, *mœſta*, pro *anxia & mœſta*: quia maternus amor mentem conſiſtere non ſinit. *Diſcordis* à ſe diſſidentis & diſcedentis, ut ſolent diſcordes. Ita *Tanais diſcors* dicitur Horatio lib. 3. Od. 29. quia in duas ſe findit partes, quarum altera in Mæotidem paludem, altera in Cimmerium Boſphorum excurrit. Ovid.

Diſcordemque utero fœtum tulit.

376. *Secubitu.*] Quòd ſeorſim à ſe cubet; anteà enim unà cum matre dormire ſolebat Thetis, ut ſuprà vidimus.

——— *Quam ſuaves exſpirans caſtus odores*
Lectulus in molli complexu matris alebat.

378. *Talia præfantes.*] *Præfari* vox eſt vaticinii, ut *fari*: unde *fatum* dicitur. Concludit igitur Poëta, hæc fuiſſe carmina & prædictiones de Pelei & Thetidis felicitate à Parcis, quarum eſt fatorum arcana referare, editas.

383. *Sæpè Pater Divûm.*] Jovem in-

Annua dum feſtis veniſſent ſacra diebus,
Conſpexit terra centum procurrere currus:
Sæpè vagus Liber Parnaſſi è vertice ſummo
Thyadas effuſis evanteis crinibus egit:
Quum Delphi totâ certatim ex urbe ruentes
Acciperent læti Divum fumantibus aris.
Sæpè in lethifero belli certamine Mavors,

INTERPRETATIO.

viſens in templo micanti, cum ſua ſacra quotannis celebrarentur diebus ſolennibus, ſpectavit centum rhedas per terram concurrere, frequenter errans Bacchus in præcelſo culmine Parnaſſi agitavit Thyadas furentes diſperſis capillis, cum Delphi ex omni civitate turmatim erumpentes Deum gaudentes altaribus fumantibus reciperent. Frequenter in prælio militia mortifero Mavors vel Domina Tri-

ANNOTATIONES.

telligit, enumeratque Deos, qui, nondum pietate ab hominibus neglectâ & abjectâ, cum ipſis quondam verſabantur.

384. *Annua dum ſacra feſtis diebus.*] Hoc de Ludis Olympicis quidam interpretantur, quod quidem ita eſſe non poteſt, cùm Ludi iſti non eſſent annui, ſed quinquennales. Alii putant Catullum hoc loco Ludos Circenſes attigiſſe, cùm maximè ſubjunxerit,

Conſpexit terra centum procurrere currus.

Sic enim etiam Virgil. lib. 3. Georgic.

Centum quadrijugos agitabo ad littora currus.

Ubi Servius ex Varrone de Gente Populi Romani: *Viginti quinque miſſus ait fieri ſolitos uno die Circenſium.* unde in unoquoque miſſu, qui ſepties repetebatur, erant quatuor currus.

Propert. lib. 2. Eleg 25.

Nec priùs infecto depoſcit præmia curſu,
Septima quam metam triveris antè rota.

386. *Vagus Liber Parnaſſi è vertice ſummo.*] Ex hoc loco nonnulli volunt inferre, eumdem eſſe ex Catulli ſententiâ Bacchum & Solem ſeu Phœbum, cui ſacer eſt Parnaſſus. Sed revera fuit Parnaſſus & Baccho & Phœbo conſecratus; duplex enim habuit jugum; quorum alterum Phœbo, alterum Baccho ſacrum. Unde in eodem monte tum Phœbo, tum Libero patri ex æquo rem divinam faciebant.

Lucan. lib. 5.

——— *Parnaſſus gemino petit æthera colle:*
Mons Phœbo Bromioque ſacer, cui Numine miſto
Delphica Thebanæ referunt Trieterica Bacchæ.

387. *Thyadas evantes.*] *Bacchas furentes & evoe clamantes.* Porrò dicitur Bacchus ſacrificulas ſuas è vertice Parnaſſi egiſſe, tum quia Parnaſſus ipſi ſacer tum quia in montibus Bacchanalia ſeu Sacra Bacchi celebrabantur.

Virgil. lib. 4. Æneid.

——— *Ubi audito ſtimulant Trieterica Baccho*
Orgia, nocturniſque vocat clamore Cithæron.

Idem lib. 2. Georgic.

——— *Virginibus bacchata Lacænis*
Taygeta. ———

Unde manifeſtum eſt omnes ferè montes fuiſſe Baccho ſacros, juxta illud,

Bacchus amat colles.

388 *Cum Delphi*] Poſuit continens pro contento. *Delphi* enim eſt oppidum ſub monte Parnaſſo clariſſimum Apollinis Oraculo, quod orbis umbilicum dixerunt.

389. *Acciperent Divum fumantibus aris.*] Ipſum nempè Bacchum, cui ingentem victimarum copiam immolarunt.

390. *Mavors.*] *Mars* etiam bellorum temporibus cum hominibus verſatus

Aut rapidi Tritonis Hera, aut Rhamnuſia virgo
Armatas hominum eſt præſens hortata catervas.
Sed poſtquam tellus ſcelere eſt imbuta nefando,
Juſtitiamque omnes cupidâ de mente fugârunt:
Perfudêre manus fraterno ſanguine fratres:
Deſtitit extinctos natus lugere parenteis:
Optavit genitor primævi funera nati,
Liber ut innuptæ potiretur flore novercæ:
Ignaro mater ſubſternens ſe impia nato,
Impia non verita eſt Divos ſcelerare Penates.
Omnia fanda, nefanda malo permiſta furore
Juſtificam nobis mentem avertêre Deorum.
Quare nec tales dignantur viſere cœtus,
Nec ſe contingi patiuntur lumine claro.

INTERPRETATIO.

tonis rapidi, vel Rhamnuſia puella præſens copias hominum armis inſtructas excitavit. At verò poſteaquàm terra polluta eſt nefariis flagitiis, & univerſi homines ex animo paſſionibus æſtuanti juſtitiam expulerunt, fratres germano cruore manus polluerunt, filii ceſſarunt mortuos parentes efferre, pater optavit mortem filii ſui primogeniti, ut ſecurus pellicis novercæ ætate florenti & formâ frueretur: mater execranda ſeipſam filio neſcienti ſupponens & ſubjiciens, ſacrilega, inquam, mater *non timuit Deos Penates ſic eis contaminare omnia illa juſta & injuſta ſine ullo diſcrimine impiâ mentis humanæ veſaniâ confuſa benignam à nobis Deorum voluntatem abalienarunt. Ideoque neque dignantur tam ſceleratos hominum cœtus inviſere, neque apertâ luce videri volunt.*

ANNOTATIONES.

eſt. Homerus Iliad. lib. 5. inducit ipſum cum Pallade pro Troianis contra Diomedem ſtetiſſe.

391. *Tritonis Hera, aut Rhamnuſia virgo.*] *Triton* torrens in Bœotia; palus, & fluvius in Africa; ad quæ loca natam dicunt Palladem: unde *Tritonis* dicta eſt. *Rhamnuſia* autem eſt *Nemeſis*. Dea ſcelerum ultrix, ſic dicta ab Atticæ pago, cui *Rhamnus* nomen, ubi Templum habuit celeberrimum.

405. *Divos ſcelerare Penates.*] *Penates* Servio dicuntur Dii omnes qui domi coluntur. De his vide Macrob. lib. 3 cap. 4. &. Nicolaum Comit. lib. 4. cap. 2.

AD ORTALUM. Carm. LXV.

ETSI me aſſiduo confectum cura dolore
 Sevocat à doctis, Ortale, virginibus:
Nec potis eſt dulceis Muſarum expromere fœtus
 Mens animi, tantis fluctuat ipſa malis.
Namque mei nuper Lethæo gurgite fratris
 Pallidulum manans alluit unda pedem,
Troia Rhœteo quem ſubter littore tellus
 Ereptum noſtris obterit ex oculis.
* * * * * *
Nunquam ego te vitâ frater amabilior
Aſpiciam poſthac? at certè ſemper amabo;
 Semper mœſta tuâ carmina morte canam:
Qualia ſub denſis ramorum concinit umbris

INTERPRETATIO.

O CARISSIME Ortale, quanquam me ſollicitudo continuo abſumptum mœrore ſeparat à doctis novem puellis, nec poteſt animus meus proferre jucundos Muſarum fœtus: adeo magnis agitatur doloribus. Etenim aqua defluens amnis Lethæi non ita pridem irrigat pedes fratris mei pallentes, quem è noſtro conſpectu raptum contegit terra Troiana ſub littore Rhœteo * * * * * * * * *

O frater, longè mihi vitâ jucundior, nunquam ego te videbo in poſterum? Sed equidem te perpetuò diligam: jugiter faciam verſus triſtes in obitum tuum. Quemadmodum Daulias deflens mortem

ANNOTATIONES.

1. *Etſi me aſſiduo.*] Qui Catulliani Laboris Monimenta varias in partes ſecant, hinc tertiam ultimamque ipſius operis partem eaorditi volunt, in qua poſtquam Elegias quaſdam hexametro pentametroque verſu currentes doctè & ingenioſè more ſuo luſit Catullus, eodem carminis genere Epigrammata ſubtexuit.

2. *Ortale virginibus.*] Primum igitur huc ex Elegiis Carmen ad Ortalum amicum ſcribit Catullus, quo ſe excuſat, quòd dolore ea fratris ſui morte ſuſcepto impeditus non potuerit citò, ut ille volebat ejus deſiderio facere ſatis. Ab ipſo enim poſtulaverat Ortalus, ut, quam Græcam de Coma Berenices Callimachus Elegiam compoſuerat, vellet ipſe Latinam facere, quod cùm demum peregiſſet, illam ad Ortalum mittit. Quis porrò fuerit Ortalus ille ambigitur. Nonnulli ſuſpicantur ipſum eſſe quem alio nomine Hortenſium Poëtam vocant, Catulli, Calvi, Cinnæ, & Memmii Poetarum æqualem.

4. *Mens animi.*] Eleganter dicitur pro *animo* ſimpliciter Plaut. Cilell. Bacchid. & alii paſſim. Locret. lib. 3

Denique cur animi nunquam mens conſiliumque
 Gignitur in capite. ———

5. *Lethæo gurgite.* Lethe Fluvius eſt Inferorum, qui dicitur oblivionem mortuis inducere. Λήθη enim Græcè, Latinè oblivio dicitur. Unde Virgil.

—— *Longa oblivia potant.*

7 *Rhœteo littore.*] *Rhœteum* Promontorium eſt Troadis Regionis A[illegible]s ſepulchro celebre ſicut Sigæ in Ac[illegible]lis.

13. *Daulias fata gemens Ityli.*] D

Daulias abſumpti fata gemens Ityli.
Sed tamen in tantis mœroribus, Ortale, mitto
Hæc excerpta tibi carmina Battiadæ:
Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis
Effluxiſſe meo fortè putes animo.
Ut miſſum ſponſi furtivo munere malum
Procurrit caſto virginis è gremio,
Quod miſeræ oblitæ molli ſub veſte locatum,
Dum adventu matris proſilit, excutitur,
Atque illud prono præceps agitur decurſu.
Huic manat triſti conſcius ore rubor.

INTERPRETATIO.

Ityli extincti mœſtos *edit cantus ſub opacis arborum umbraculis. Attamen, chariſſime Ortale, in tanto dolore ad te mitto hos verſus Battiada ad verbum ferè* è Græco *converſos; ne forſitan credas tua verba ventis rapidis incaſſum tradita è memoria mihi excidiſſe. Sicut pomum clandeſtino proci dono miſſum decidit è ſinu pudicæ puellæ, quod repoſitum ſubter tenui veſte inſeriis* virginis, *quæ oblita eſt* illud ibi eſſe, *dejectum eum ad matris adventum exurgit, & ipſum ſtatim proclive præcipiti devolvitur ſpatio. Inde vultus triſtis* puellæ *rubore culpa indice ſuffunditur.*

ANNOTATIONES.

cta & elegans comparatio, quâ dolorem ſuum Catullus expreſſit. Dicit enim ſe talibus mortem fratris carminibus defleturum, qualibus Philomela Ityn abſumptum conqueritur. *Daulias* autem dicitur Philomela, à *Daulia* regione Phocidis Atticæ vicina, in qua nefarium circa Ityn facinus patratum eſt, & hinc *Daulias* avis Poëtarum carminibus celebratur. Non enim Tereus Prognes maritus regnavit in Thracia, ut Latini tradunt Scriptores, ſed io *Daulia* Phocidis prope Atticam, ut ſcribit Thucydides lib. 2. *Itys* autem Catullo more familiari diminutivè dicitur *Itylus.* Terei porrò Regis & Philomelæ fabula nota eſt. Vide ſis Ovid. lib. 6. Metamorph.

15. *Battiada.*] Hoc eſt, Callimachi: Callimachus enim à Batto Cyrenarum Rege & conditore originem ducere ſe teſtatur apud Strabonem lib. 17 unde *Battiades* dicitur Callimachus. De hoc vide Gell. noct. Att. lib. 7. cap. ultimo.

18 *Furtivo munere.*] Quod nimirùm clandeſtinè miſſum eſt à proco, qui hîc ſponſus dicitur Catullo, ut proci Penelopes dicuntur ſponſi.
Horatio epiſt. 2. lib. 1.

19. *Virginis è gremio.*] Nec mulieri, nec gremio credi oportere, proverbium eſt: quòd mulier levis & incerti animi: & ſæpiùs in gremio poſita, eâm venerior in oblivionem exurgentium. decidunt.

DE COMA BERENICES. Carm. LXVI.

OMNIA qui magni diſpexit lumina mundi,
Qui ſtellarum ortus comperit; atque obitus:
Flammeus ut rapidi ſolis nitor obſcuretur,
Ut cedant certis ſidera temporibus,
Ut Triviam furtim ſub Latmia ſaxa relegans
Dulcis amor gyro devocet aërio:

INTERPRETATIO

ILLA Conon, *qui diſquiſivit omnes ſtellas vaſti cœli, qui cognovit ſiderum ortus & occaſus*, qui ſpeculatus eſt, *quomodo ſplendor igneus Solis velocis eclipſin patiatur, quomodo certis temporum ſpatiis aſtra nobis occultentur, quomodo* [illegible] *dus amor ablegans Triviam furtivè* [illegible] *Latmium montem deducat* eam *à curſu*

ANNOTATIONES.

1. *Omnia qui magni*] Hyginus lib. de Signis Cœleſtibus, ubi de Leone agitur, hujus Elegiæ a Callimacho Poeta Græco compoſitæ, & à Catullo noſtro Latinitate donatæ argumentum declarat, quod hujuſmodi eſt. Ptolomæus Rex Ægypti cognomento Evergetes Berenicen ſeu Beronicen Ptolomæi Philadelphi filiam ſororemque ſuam duxit uxorem. Paucis verò pòſt initium matrimonium diebus, contigit ut adverſus Aſſyrios expeditionem ſuſciperet, in quam cùm proficiſceretur, Crinem ſuum Veneri voviſſe Berenice dicitur, ſi ad ſe ſuus conjux ſoſpes victorque rediret. Cùm autem, re præclarè a Ptolomæo geſtâ devotionis ſuæ convictam ſe Deorum judicio Berenice videret, crinem ſuum ritè in Veneris æde appendit. Is autem cùm poſtridie non compareret, idque Rex & Regina moleſtiſſimè ferrent, Conon Mathematicus tunc temporis excellens, Regis gratiam inire cupiens, perſuaſit crinem iſtum in cœtum Deorum Numine ſublatum, & in Sydus converſum fuiſſe. Illud autem Callimachus, qui Ptolomæum propter ſingulare bonarum artium ſtudium, Numinis loco habebat, hoc Poëmate complexus eſt. Quamvis autem Græca ipſa Callimachi Elegia, quod quidem noverim non extet, apud Theonem tamen Arati Interpretem principium illius legitur.

5. *Triviam ſub Latmia ſaxa relegans.*] *Trivia* dicitur Diana, quæ eadem eſt Luna, quæ tres facies habere dicitur, ſeu quia triviis præeſſe exiſtimatur, ſeu quia dicitur in terra Diana, apud Inferos Proſerpina ſive Hecate, & in cœlo Luna ſeu Lucina.
Unde Virgil.
——— *Tria virginis ora Dianæ.*
Eleganter autem adumbratur poëtico commento defectus Lunæ, quæ cùm obſcuratur de cœlo deſcendere in amplexus Endymionis fingitur. Endymion verò paſtor fuiſſe dicitur, cujus amore Luna capta ad eum in Latmo monte dormientem exoſculandum deſcendit. Alii verò dicunt Endymionem puerum fuiſſe pulcherrimum, & ob id a Luna adamatum, cui illa a Jove impetravit, ut quidquid optaſſet conſequeretur. Optavit autem Endymion, ut perpetuum dormiret ſomnum immortalis perſeverans, & ſenii expers unde natum eſt proverbium illud apud Græcos: *Endymionis ſomnum dormire*; quod dicitur in eos, qui diuturno in otio verſantes nullis honeſtis actionibus vitam exercent. *Latmia* portò *ſaxa* dicitur mons Larmus in Caria, in quo dormiiſſe ſomnum ſuum Endymionem fingunt.

Idem me ille Conon cœleſti lumine vidit
  E Bereniceo vertice cæſariem
Fulgentem clarè: quam multis illa Deorum
  Levia protendens brachia pollicita eſt.
Quâ Rex tempeſtate novo auctus Hymenæo
  Vaſtatum fines iverat Aſſyrios,
Dulcia nocturnæ portans veſtigia rixæ,
  Quam de virgineis geſſerat exuviis.
Eſtne novis nuptis odio Venus? anne parentum
  Fruſtrantur falſis gaudia lacrymulis,
Ubertim thalami quas intra limina fundunt?
  Non, ita me Divi, vera gemunt, juverint.
Id mea me multis docuit regina querelis,
  Inviſente novo prœlia torva viro.
At tu non orbum luxſti deſerta cubile,
  Sed fratris cari flebile diſcidium:
Quum penitùs mœſtas exedit cura medullas.
  Ut tibi tunc toto pectore ſollicitæ

Interpretatio.

cœleſti: *ille*, inquam, *ipſe Conon divinâ oculorum acie vidit me comam è capite Berenices* Reginæ detractam inter Aſtra *lucidè micantem*, *quam ipſa* Berenice *nitidas manus ad cœlum elevans*, *pluribus Diis vovit*, *quo tempore Rex* Ptolomæus ejus *nuptiis & conjugio felicior factus iverat depopulatum Aſſyrias provincias*, *ſecum ferens indicia jucunda nocturnæ pugnæ*, *quam pro ſpoliis virginalibus inierat*. *An Venus odio eſt novis nuptis? An* novæ nuptæ *parentum lætitiam vanam reddunt fictis lacrymis*, *quas abundanter effundunt intra thori ſepta? Non* ſanè *verè dolent*; *ſic me Dii adjuverint*. *Hoc mihi demonſtravit Regina* Berenice *innumeris* ſuis *lachrymis*, *dum novus* ejus *conjux* Ptolomæus Rex *ſeva bella adiret*. *Sed tu*, ô Berenice, *non flevisti* quaſi *derelicta viduum lectum*, *ſed* potius *triſtem diſceſſum dilecti fratris* tui. *Quando* mariti abſentis *deſiderium* adeo *triſtes* tibi *penitùs corrodit medullas*, *ut tibi modo imis viſceribus anxia*

Annotationes.

7. *Ille Conon.*] Mathematicus fuit celebris, cujus meminit Hyginus & Seneca lib. 6. quæſt. Natural. ubi de Cometis.

8. *E Beroniceo vertice.*] *Berenice* fuit ſoror & conjux Ptolomæi Regis Ægypti, quæ cæſariem ſuam Diis pro felici conjugis ſui in Aſſyrios expeditione & reditu devoverat.

10. *Novo auctus Hymenæo.*] Hic in vocabulo, *novo*, *o*, vocalis non abjicitur, & longa remanet, & præterea in vocabulo, *auctus*, ultima ſyllaba longa habetur ante aſpirationis accentum. Ut apud Virgil.

Linquens profugus Hymenæos.

Et

Terga fatigamus haſtâ, &c.

11. *Fines Aſſyrios.*] *Aſſyria*, quæ aliis *Syria* dicitur, vaſta regio eſt Aſiæ, à mari Mediterraneo ad Tigrim & Euphratem, inter Cappadociam, Armeniam, Mediam, Perſidem, & Arabiam protenſa.

21. *Luxſti.*] Pro *luxiſti*, ſed meliùs videretur, *luſti* quia ſi media abjiciatur ſyllaba, *xi*, abjicienda erit: aut fortaſſe ſcribendum eſt, *luxſis*.

Senſibus ereptis mens excidit? atqui ego certè
  Cognoram à parva virgine magnanimam.
Anne bonum oblita es facinus, quo regium adepta es
  Conjugium, quo non fortius auſit alis?
Sed tum mœſta virum mitrens, quæ verba locuta es?
  Juppiter, ut terſti lumina ſæpè manu.
Quis te mutavit tantus Deus? an quód amanteis
  Non longè à caro corpore abeſſe volunt?
At quæ ibi, proh, cunctis pro dulci conjuge Divis
  Non ſine taurino ſanguine pollicita es!
Si reditum retuliſſet is, aut in tempore longo
  Captam Aſiam Ægypti finibus adjiceret.
Queis ego pro factis cœleſti reddita cœtu

INTERPRETATIO.

ablatis ſenſibus animus defecerit. Ego ſanè te noveram à tenera ætate fortem. An non recordaris illud *eximium facinus, propter quod regale connubium ſecuta es connubium? quo nullum fortius alius quis ſuſcipere audeat. At verò quas protuliſti voces conjugem* tuum Regem *dimittens!* O *Jupiter, quam frequenter abſterſiſti manu* madentes *oculos! quiſnam tam potens Deus te immutavit?* An hoc factum eſt. *quia amantes nolunt diſtare procul à perſona ſibi dilecta? Sed ò quanta Diis omnibus vouiſti cum multo cruore bubulo pro ſalvo ſponſo* tuo, *ſi* modo *brevi rediret, & Aſiam devictam adderet Ægypti imperio! quæ quoniam contigerunt, ut optaveras, ego* tua coma *cœleſti ſtellarum choro addita, per-*

ANNOTATIONES.

26. *Magnanimam.*] Cur dicatur Berenice *Magnanima* docet Hyginus Aſtronomicon lib. 2. *Hanc*, inquit, *Berenicen nonnulli cum Callimacho dixerunt equos alere, & ad Olympia mittere conſuetam. Alii dicunt hoc amplius, Ptolemæum Berenices patrem hoſtium multitudine perterritum fugâ ſalutem petiiſſe. filiam autem ſæpè conſuetam in equum inſiluiſſe, & reliquas exercitûs copias conſtituiſſe, complures hoſtium interfeciſſe, & reliquos in fugam conjeciſſe, pro quo etiam eam Callimachus magnanimam dixit.*

27. *Bonum oblita es facinus.*] Illud nempè, quod modò ex Hygino retulimus, propter quod fratrem ipſius amore eſſe correptum ſignificat.

28. *Quo non fortius auſit alis.*] Quo facinore nullum fortius, aut majoris animi quivis alius aggredi queat. Lectionem noſtram ſequuntur & interpretantur omnes viri docti. *Alis* enim, ut ait Priſcianus lib. 12. *Veteres pro alius protulerunt* ſicut & dixerunt *alid* pro *aliud*. Chariſius etiam lib. 2. *alis* pro *alius*, *alid* pro *aliud* dixiſſe, & ſic locutum eſſe Salluſtium demonſtrat, quod etiam Diomedes Grammaticus confirmat. Nonnulli tamen aliter legunt hoc modo: *Quod non fortior auxit avis* ut ſenſus ſit *quod non potentius auſpicium firmare potuit*. Quia nempè præclarum facinus, quod Berenice geſſerat, Ptolomæum fratrem adduxerat ut eam duceret uxorem, illudque fuiſſe fortius & potentius augurium, quòd ipſius conjugium firmare potuiſſet. Quem quidem ſenſum non improbamus, cùm certum ſit in matrimoniis ineundis auguria & auſpicia apud Veteres maximè obſervari conſueviſſe.

30. *Terſti.*] Pro *terſiſti*. Alii legunt *triſti* pro *triviſti*: ſed quo meliori ſenſu non video.

Priſtina vota novo munere diſſolüo.
Invita, ô regina, tuo de vertice ceſſi,
Invita. adjuro teque, tuumque caput.
Digna ferat, quòd ſi quis inaniter adjurarit.
Sed qui ſe ferro poſtulet eſſe parem?
Ille quoque everſus mons eſt, quem maximum in oris
Progenies Phthiæ clara ſupervehitur:
Cum Medi properâte novum mare; quumque juventus
Per medium claſſi barbara navit Athon.
Quid faciant crines, quum ferro talia cedant?
Jupiter, ut Chalybum omne genus pereat.
Et qui principio ſub terrâ quærere venas

INTERPRETATIO.

ſolvo novo dono antiqua tua *vota*. Ego quidem *non lubens, ò Regina, è tuo capite receſſi*, *non lubens*, inquam, receſſi: *teſtem te appello, tuumque caput. Quod ſi aliquis temerè & falsò juraret* per tuum caput, me non invitam receſſiſſe, *pœnas luat perjurio debitas. At quis ſperet ſe poſſe reſiſtere ferro?* Nam *iſte etiam mons ferro exciſus eſt, ſuper quem altiſſimum Phthia gens illuſtris in oris ſuis tranſnavigavit, dum Medi novum illud pelagus tranſire feſtinarent, & dum juventus peregrinâ navi tranſveheretur per medium Athon. Quid verò agent capilli, quandoquidem res ejuſmodi ferro cadunt? O Jupiter, utinam pereat totum genus Chalybum: & quiſquis initio rerum primus cœpit inveſtigare intra*

ANNOTATIONES.

41. *Digna ferat.*] Si quis caput tuum inaniter adjurare auſus fuerit, dignas violatæ religionis pœnas luat.

42. *Sed qui ſe ferro.*] Quânam ratione ego coma tua, quæ mollis ſum & tenera, ferro reſiſtere potuiſſem, cùm montes etiam ferro exſcindantur.

43. *Ille quoque everſus mons eſt.*] Montem Athon ſignificat à Xerxis regis Perſarum exercitu exciſum. Variè porrò hic locus legitur & exponitur; ab aliis hoc pacto:

Ille quoque everſus mons eſt, quem maxima natu
Progenies Phthia clara ſupervehitur.

Exponuntque *maximam natu Phthia progeniem*, de populis montis Atho verticem incolentibus, qui diutiſſimè vivunt, unde Macrobii vocantur. Athos enim modò Thraciæ, modò Macedoniæ modò Phthiæ, id eſt, Theſſaliæ tribuitur. Alii *claram progeniem* interpretantur de Xerxis exercitu. Nos autem *claram progeniem Phthia* populos Theſſaliæ, quæ & Phthia, unde natus erat Achilles, propter cujus gloriam longè clarior fuit populus Theſſaliæ ſeu Phthiæ, in cujus oris ſeu finibus mons Athos exciſus eſt a Perſarum exercitu.

45. *Cum Medi.*] *Medi* ſunt Aſiæ populi Perſis vicini, quorum magna fuit multitudo in Xerxis exercitu. Hæc Hiſtoria ex Herodoto, Plinio, Juſtino, Probo, aliiſque Scriptoribus notiſſima eſt.

48. *Ut Chalybum omne genus.*] Verſus hic reſtitutus eſt e ſcholiis in Apollonium, ubi locus hic ex Callimacho laudatur.

—— χαλύϐων ὡς ἀπόλοιτο γένος.

Chalybes autem populi ſunt Scythiæ, vel potiùs Aſiæ ad Thermodontem ita dicti à *Chalybe* filio Martis, qui primi ferrum, ferrique uſum invenerunt, Virgil.

India mittit ebur, mittunt ſua thura Sabæi,

Inſtitit, ac ferri frangere duritiem.
Abruptæ pauló antè comæ mea fata ſorores
Lugebant, cum ſe Memnonis Æthiopis
Unigena impellens nutantibus aëra pennis
Obtulit Arſinoës Chloridos ales equus.
Iſque per æthereas me tollens advolat umbras,
Et Veneris caſto collocat in gremio.
Ipſa ſuum Zephyritis eò famulum legarat,

INTERPRETATIO.

terra viſcera ferri fodinas ejuſque domare duritatem. Comæ ſorores meæ. quæ remanſerunt in capite Berenices. *paulò antè à me ſeparatæ, mea deflebant infortunia, cùm avis equus Chloridos fra-ter Memnonis Æthiopis aërem agitans motantibus alis.* obtulit *ſeſe* mihi in urbe *Arſinoës, & ipſe accurrens per noctis tenebras rapit me, meque ponit in pudico ſinu Veneris. Zephyritis ipſa in-*

ANNOTATIONES.

At Chalybes nudi ferrum.——
Is igitur ſenſus eſt, *omne genus Chalybum pereat*, quia nempè ferrum invenerunt, primique per terræ venas inveſtigarunt.

53. *Unigena Memnonis Æthiopis impellens, &c.*] Locus hic difficillimus a variis eruditiſſimis viris variè exponitur, mirumque eſt, quantum omnes torſerit. Nos duas tantùm expoſitiones lectori ſubjiciemus; ſi quis verò melius aliquid protulerit, gratulabimur. Alii igitur ſic locum hunc interpretantur, ut ſenſus ſit: Comæ ſorores, hæ nempè quæ in Reginæ capite remanſerant, lugebant meam ſortem, quòd a ſuo conſortio ſejuncta forem, cùm ales equus unigena Memnonis Æthiopis commovens auras tremebundis pennis obtulit ſeſe mihi Arſinoæ Chloridos, &c. Ita ut *ales equus ales unigena Memnonis Æthiopis* ſit equus Pegaſus filius ejuſdem cum Memnone matris, nempè Auroræ, quæ dicitur dono dediſſe Jovi Pegaſum; qui Pegaſus juſſu Veneris ex ipſius templo in urbe Arſinoë, crines Berenices ibidem appenſos detulit in Cœlum, & inter Sydera collocavit. Alii hoc non de Pegaſo, ſed de Zephyro interpretantur. *Chloridos ales equos*, non *Chloridos ales equus*. Sed ſive legatur, *ales equos*, aut *ales equus*, poteſt de Zephyro intelligi, cùm ſit ventus, quo Chloris vehitur. Conſtat autem *Chloridem* uxorem fuiſſe *Zephyri*, *Zephyrum*que apud Euripidem & alios dici *equitem*. Euripides in Phæniſſis, Ζεφύρου πνοαῖς ἱπ-πάσαντος ἐν οὐρανῷ. Quòd etiam *Zephyrus* fuerit *Memnonis unigena*, hoc eſt, eâdem cum Memnone matre natus, certum eſt; cùm aurora mater Memnonis ſit etiam ventorum mater & genitrix, ut ſcribit Heſiodus in Theogonia:

Ἀστραίῳ δ' Ἠὼς ἀνέμους τέκε καρτε-
ροθύμους
Ἀργέστην, Ζέφυρον, Βορέην, &c.

Conſtat etiam ex Strabone & Athenæo Venerem dictam fuiſſe *Arſinoen*, habuiſſeque templum in urbe Arſinoë à Ptolomæo Rege conditâ in Cyrenaïca Africæ regione, ut ſcribit Plin. lib. 5. cap. 5. ubi comam ſuam Berenice Veneri appenderat. Videat Lector, an hæc expoſitio ſenſum planiorem efficiat, quam quæ de Pegaſo.

57. *Zephyritis famulum ſuum legarat.*] *Zephyritis* hic dicitur Venus à *Zephyrio* Ægypti promontorio, in quo colebatur. & lucum & templum habuit. Vide Strab. lib. 14 circa finem. Dicitur autem miſiſſe famulum ſuum vel Pegaſum, vel Zephyrum, qui nempe Deam colebat; ſic qui colunt Deos & venerantur, famuli Deorum dicuntur.

Grata Canopæis incola littoribus.
Scilicet in variu ne ſolum lumine cœli
Aut Ariadneis aurea temporibus
Fixa corona foret : ſed nos quoque fulgeremus
Devotæ flavi verticis exuviæ.
Vividulo afflatu cedentem ad templa Deûm me
Sidus in antiquis Diva novum poſuit.
Virginis & ſævi contingens namque leonis
Lumina, Calliſto juncta Lycaoniæ,
Vertor in occaſum tardum dux ante Booten,
Qui vix ſero alto mergitur Oceano.

INTERPRETATIO.

cola grata Canopiis littoribus, illuc famulum ſuum miſerat, nimirùm, ut non tantùm ſola corona ex Ariadnes capite inter varia Aſtra Cœli poſita coruſcans fulgeret, verùm ut nos etiam ſpolia flavi capitis Berenices Veneri *dedicata coruſcaremus.* *Dea* Venus *me madentem lachrymis, quòd à Regina divellerer ad templa Deorum* tanquam *novum aſtrum inter antiqua collocavit. Etenim* ego *attingens Sydera Virginis & crudelis Leonis vicina Calliſto Lycaoniæ, vergo in occidentem prior ante pigrum Booten,* qui tandem *agrè ſero mari tingitur. At*

ANNOTATIONES.

58. *Grata Canopais littoribus.*] Venus enim præcipuè colebatur apud Ægyptios, maximè verò apud Temyſenſes, ut docet Strabo lib. 17. quæ etiam habuit oppidum ad oſtium Mendeſium. *Canopæi* porrò populi, ſive *Canopi* incolæ molliſſimi erant, & Veneri addictiſſimi. Fuit autem *Canopus* civitas Ægypti a Menelao condita, centum viginti ſtadiis ab Alexandria diſtans, ſic dicta a *Canope* Menelai Gubernatore, qui ibidem obiiſſe morſu ſerpentis dicitur. Ut Quintilian. lib. 1. & Servius lib. 2 Æneid. teſtantur. Eſt etiam *Canopus* unum ex Nili fluminis oſtiis.

60. *Aut Ariadneis,*] Ne unum nimirùm Sydus eſſet in Cœlo è puellæ capite decerptum, nempè corona *Ariadnes*, ſed ego quoque cum numerum augerem, madentem me lachrymis, quas, cùm a Regina divellerer, profuderam, in Cœlo inter Aſtra collocavit. Fabula autem de Corona Ariadnes, quæ inter Sydera relata eſt, nota eſt ex Hygino, Ovidio, Servio, Manilio, & pluribus aliis.

63. *Ad templa Deûm.*] Cœlum dicitur *Templum Deorum: Templum* enim tribus modis dicitur. Ut Varro lib. de Ling. Lat. docet. *Cœli*, inquit, *convexa etiam templa dicuntur.*

65. *Virginis & ſævi Leonis.*] Indicat locum, in quo collocata eſt coma Berenices, commemoratione vicinorum Syderum. Virgo autem infra pedes Bootæ poſita eſt, capite poſteriorem partem Leonis, circulum Æſtivalem dextrâ manu contingens.

66 *Calliſto juncta Lycaonia.*] *Calliſto* fuit filia Regis Arcadiæ Lycaonis, quæ in Urſam converſa inter Aſtra collocata eſt. De hac vide Ovidium & Hyginum.

67. *Tardum ante Booten.*] *Bootes* qui & *Arcturus* & *Arctophylax*, dicitur *tardus*. quod cùm ſit in minimo circulo circa polum, ſerò tamen videatur occidere; cùm aliæ ſtellæ remotiores citiùs occidant. Dicitur autem mergi Oceano ſecundum Veterum morem, qui ſtellas & Sydera occidentia in Oceano mergi exiſtimabant.

Sed quamquam me noćte premunt veſtigia Divûm,
Luce autem canæ Tethyi reſtituor:
(Pace tuâ fari hæc liceat Rhamnuſia virgo:
Namque ego non ullo vera timore tegam,
Non ſi me infeſtis diſcerpant ſidera dictis,
Condita quin veri pectoris evoluam)
Non his tam lætor rebus, quàm me abfore ſemper,
Abfore me à Dominæ vertice diſcrutior.
Quicum ego, quum virgo quondam fuit, omnibus expers
Unguentis, una millia multa bibi.
Nunc vos, optato quas junxit lumine tæda,
Non priùs unanimis corpora conjugibus
Tradite nudantes rejectâ veſte papillas,
Quam jucunda mihi munera libet onyx:
Veſter onyx, caſto petitis quæ jura cubili.
Sed quæ ſe impuro dedit adulterio,
Illius ah mala dona levis bibat irrita pulvis.
Namque ego ab indignis præmia nulla peto.
Sed magis, ô nuptæ, ſemper concordia veſtras
Semper amor ſedes incolat aſſiduus.

INTERPRETATIO.

quamvis pedes Deorum videantur noctu me calcare, interdiu tamen annoſa reſtituor Tethyi. O Diva *Rhamnuſia, fas mihi ſit iſta dicere cum tua bona venia: ego enim nuſquam propter metum aliquem celabo veritatem; neque. etiam ſi Aſtra me diris maledictis proſcindant,* impedient *quominus aperiam arcana ſincera mentis* meæ. *Non tantùm gaudeo me his* quibus fruor, *bonis eſſe cumulatam, quantùm doleo me in perpetuum ſeparatum iri à capite Reginæ* Berenices, *cum qua ego ſola plura millia unguentorum exhauſi, quanquam, dum virgo fuit, cunctis caruit unguinibus. Jam vos. ô* novæ nuptæ, *quas fax nuptialis deſideratâ luce copulavit, non antè maritis concordibus corpora veſtra permittite, detegentes amictu remoto mamillas, quàm veſtra pyxis onychina offerat mihi grata dona. Pyxis,* inquam, *veſtra onychina* omnium *veſtrùm quæ fidem legitimo thoro ſervatis. At pulvis abjectus ebibat ut inania, fœda munera illius, quæ ſeſe turpi adulterio polluit; ego enim nulla dona quæro ab impudicis. Imo potiùs, ô nuptæ, jugiter concordia, amor perpetuus jugiter habi-*

ANNOTATIONES.

70. *Tethyi reſtituor.*] *Tethys* eſt uxor Oceani, in quem Aſtra mergi dicuntur, dum occidunt.

71. *Rhamnuſia virgo*] Diximus jam ſuprà Carm. de Nupt. Pelei, Deam Nemeſim ſcelerum ultricem vocari *Rhamnuſiam* à *Rhamnunte* pago Atticæ, ubi colebatur. Vide Pauſaniam in Attic.

82. *Onyx.*] Vas unguentarium ex *Onyche* gemma. *Onyx* autem lapis eſt colorem habens ad unguis humani ſimilitudinem quem ad conficienda vaſa unguentaria cavabant. Hinc illud Propertii:

Cum dabitur Syrio munere plenus Onyx.

Tu verò, regina, tuens cum ſidera Divam
 Placabis feſtis luminibus Venerem
Sanguinis expertem; non votis eſſe tuam me,
 Sed potiùs largis effice muneribus.
Sidera cur retinent? utinam coma regia fiam.
 Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.

INTERPRETATIO.

tet domos veſtras. Sed tu, ô Regina, quando reſpiciens aſtra Deam Venerem ſanguinis expertem diebus ſolemnibus propitiam tibi reddes, non votis tantùm, *ſed liberalibus* etiam *donis fac* apud eam, *ut iterùm ſim tua. Ut quid* autem *aſtra me tenent? Dii faciant, ut iterùm caſaries regalis evadam*: ſi hoc fiat, tunc *Orion vicinus Hydrochoo tempeſtates faciat.*

ANNOTATIONES.

89. *Tu verò Regina.* Ad Reginam ſe denuùm convertit, ſuadetque, ut non otioſis tantùm votis, ac inanibus, ſed largis potiùs muneribus adducat Venerem, ut ſe è Cœlo iterum in caput, à quo abſciſſa fuerat, redire patiatur.

90 *Venerem ſanguinis expertem.*] Alludit ad Venerem Paphiam, cujus aram ſanguine maculari nefas erat: unde thure tantùm ei floribuſque ſacrificabatur, ut Cornelius Tacitus, & Servius aſſerunt.

93 *Sydera cur iterent.*] Ut quid Aſtra multiplicentur ex comis, ſeu coronis fœminarum. Antiqui codices habent, & fortan meliùs: *Sydera cur retinent?* Quid me tenent Aſtra, quominus iterum in caput Reginæ redeam?

94. *Proximus Hydrochoo fulgeat Oarion.*] Alii legunt: *Proximus Arcturo luceat Erygone*: quia nempe *Orion* & *Hydrochous*, ſeu *Aquarius*, ſunt duo ſigna Cœleſtia ab invicem diſſitiſſima, unde non poſſunt dici vicina: ſed nos vulgatam ſequimur lectionem, cujus ſenſus eſt: Dii faciant ut iterùm in caput Reginæ redeam, & tunc non curabo quem locum & quem ordinem inter ſe Sydera ſortiantur: & utrum Aquarius & Orion, etſi invicem diſtent, inter ſe conjungantur. *Hydrochous* enim Græcè, *Aquarius* Latinè eſt, & ex vocabulo, *Orion* Græci, faciunt *Oarion*, quos ſequitur Catullus.

AD JANUAM IMPUDICÆ. Carm. LXVII.

O DULCI jucunda viro, jucunda parenti,
 Salve, teque bonâ Jupiter auctet ope,

INTERPRETATIO.

O JANUA, *grata* cuidam *marito*, ejuſque *patri*, *ſalva ſis*, *teque etiam Jupi-*

ANNOTATIO.

1. O *dulci jucunda viro*, &c.] Carminis hujus argumentum, quod Catullus, niſi à paucis, quibus hæ res notæ eſſent, noluit intelligi, conjecturâ nunc aſſequi velle ſtultum eſſet. Illud igitur ſolùm compertum eſt dialogum eſſe, quo Poëta noſter ad nefarias cujuſdam mulieris libidines detegendas, januam ædium illius cum populatibus aliquot loquentem, eaſque indicantem ipſis in-

Janua : quam Balbo dicunt ſerviſſe benignè
  Olim, cum ſedes ipſe ſenex tenuit :
Quamque ferunt rursùs voto ſerviſſe maligno,
  Poſtquàm eſt porrecto facta marita ſene.
Dic agedum nobis, quare mutata feratis
  In dominum veterem deſeruiſſe fidem.
Non, ita Cæcilio placeam, cui tradita nunc ſum,
  Culpa mea eſt, quanquam dicitur eſſe mea.
Nec peccatum à me quiſquam pote dicere quidquam.
  Verùm iſti populo janua quidque facit :
Quin quacumque aliquid reperitur non benè factum,
  Ad me omnes clamant : Janua culpa tua eſt.
Non iſtuc ſatis eſt uno te dicere verbo :
  Sed facere, ut quivis ſentiat, & videat.

INTERPRETATIO.

tor augeat divino ſuo auxilio, quam ferunt Balbo quondam liberaliter famulatam eſſe, quando vetulus iſte domum hanc incoluit, quam dicunt etiam inſerviiſſe deſiderio impudico, poſtea quam puella hera tua *alteri nupſit mortuo jam vetulo. Dic igitur nunc nobis, quâ de causâ diceris mutata dereliquiſſe fidelitatem erga antiquum herum tuum* Balbum. *Non vitium meum eſt, etſi fertur eſſe meum : ſic accepta ſim Cæcilio, cui jam ſum mancipata, nemoque poteſt aſſerere me aliquid peccaviſſe, quanquam, ſi populum iſtum audias, janua quodcumque crimen admiſit. Quinimo ubicumque invenitur aliquid non rectè actum, ſtatim ad me omnes vociferantur; ô porta culpa, tua eſt. Non ſufficit te hoc unico verbo aſſerere, verùm faciendum eſt ut unuſquiſ-*

ANNOTATIONES.

troducit. Quænam verò illa fuerit mulier, quæ tam turpia facinora patrarit, quis ſenex ille Balbus, quis Cæcilius, quis invalidus filius, aut officioſus pater; quinam denique cæteri illius ſocietatis Principes; quos ne tum quidem, dum viverent, cognoſcere ulla laus erat, nunc quærere non eſt nobis opus.

5. *Quamque ferunt voto ſerviſſe maligno,*] Januæ verbis nullo tempore pudicam fuiſſe dominam ſignificat, ne tum quidem cùm Balbo nupta eſſet, & pudica audiret

6 *Poſtquam eſt porrecto*, &c.] Poſtquàm alteri nupſit, mortuo & elato jam Balbo ſene. Alludit Catullus ad illum morem quo mortuos in veſtibulo efferendos collocabant ad ipſum limen, cujus conſuetudinis manifeſtiſſimum apparet veſtigium apud Suetonium in Auguſto, cujus mortui corpus *à Bovillis Equeſter Ordo ſuſcepit, urbique intulit, atque in veſtibulo domûs collocavit.*

9. *Non, ita Cæcilio placeam.*] Reſpondet janua ſeſe excuſans, & culpam in janitorem rejiciens, jurat per Cæcilium dominum ſuum. Ad hunc ferè modum Propertius lib. 1. januam quandam de dominæ ſuæ impudicitiis conquerentem inducit. Cæcilius ille, de quo hic janua loquitur, Turnebo videtur eſſe Cæcilius Metellus, cui Claudia nupſerat. Unde hoc Carmen obſcuriſſimum intelligendum putat de Claudia; quæ ſine controverſia fuit Leſbia Catulli.

15. *Non iſtud ſatis eſt.* Viator aut Poeta januam alloquitur, quæ iterùm reponit ad hunc verſum : Qui poſſum? &c.

Quî poſſim? nemo quærit, nec ſcire laborat.
Nos volumus vobis dicere, ne dubita.
Primum igitur, virgo quod fertur tradita nobis,
Falſum eſt. Nonque illam vir prior attigerat.
*   *   *   *   *
*   *   *   *   *
Sed pater ipſius nati violaſſe cubile
Dicitur, & miſeram conſceleraſſe domum:
Sive quòd impia mens cœco flagrabat amore:
Seu quòd iners ſterili ſemine natus erat.
Et quærendum aliunde foret nervoſius illud,
Quod poſſet zonam ſolvere virgineam.
Egregium narras mirâ pietate parentem,
Qui ipſe ſui gnati minxerit in gremium.
Atqui non ſolum hoc ſe dicit cognitum habere
Brixia Chinææ ſuppoſita ſpeculæ:
Flavus quam molli percurrit flumine Mela:

INTERPRETATIO.

quiſque ita eſſe ſentiat ac perſpiciat. Quomodo valeam hoc facere? *Si nullus requirit, neque aliquis* id *compertum habere curat; nos verò dicere cupimus vobis: noli ambigere nos verum dicere. Primum ergo falſum eſt illud quod dicitur* illam puellam *incorruptam mihi commiſſam fuiſſe; neque* enim *tam vir ſuus primus attigerat* * * *
* * * * *
* * * * *
Verùm pater ejus mariti *fertur filii ſui thorum polluiſſe, atque infelicem domum ſuam conſtupraſſe: ſeu quia ſceleratus illius animus inſanâ ardebat libidine, ſeu quia filius* ejus *ſterili ſemine ſegnis & infœcundus erat. Ita ut ſic aliunde eſſet quærendum illud robuſtius, quod virginale cingulum poſſet recingere. Præclarum* quidem *commemorat mirabili præditum religione patrem, qui ipſe urinam effuderit in ſinum filii ſui. Sed ſanè Brixia ſita ad Chinæam rupem non modò aſſerit ſibi iſtud compertum eſſe. Brixia*, inquam, *dilecta Verona patria mea parens, quam*

ANNOTATIONES.

29. *Egregium narras.*] Rurſus Poëta aut viator loquitur.

32. *Brixia Chinæa ſuppoſita ſpeculæ.*] Senſus eſt, Verum non eſt, quòd hæc virgo hic vitiata fuerit, quia priuſquam huc veniret violata fuit, non ſolùm a patre ſponſi, ſed etiam Brixiæ commiſit adulterium cum duobus aliis, nempè Poſthumio & Cornelio, quod in illa urbe notiſſimum eſt. Cætera verò interponuntur ad deſcribendum Brixiæ ſitum, ejuſque cum Verona conjunctione & amicitia. *Brixia* porrò civitas eſt Galliæ Tranſalpinæ ſeu Longobardiæ, à Gallis Cœnomanenſibus olim condita ad fluvium Melam ad radices montis *Chinæi* ſeu rupis, quæ dicebatur olim *Chinæa*, quam Poëta vocat *ſpeculam*. quia nempè ex editis montium jugis proſpectus peti poteſt, liceteque illinc longè latèque ſpeculari.

33. *Flumine Mela.*] *Mela* fluvius eſt Galliæ Tranſalpinæ ſeu Longobardiæ aut Æmiliæ, qui ex Brenno monte ortus Brixiam civitatem alluit, De quo Virgil in Georgic.

——— *Aut curva legunt prope flumina Melæ.*

Brixia Veronæ mater amata meæ :
Sed de Poſthumio, & Corneli narrat amore ,
Cum quibus illa malum fecit adulterium.
Dixerit hic aliquis : Quî tu iſthæc, Janua, noſti,
Cui nunquam domini limine abeſſe licet,
Nec populum auſcultare : ſed huic ſuffixa tigillo
Tantùm operire ſoles, aut aperire domum ?
Sæpè illam audivi furtivâ voce loquentem
Solam cum ancillis hæc ſua flagitia,
Nomine dicentem, quos diximus : utpote quæ mî
Speraret nec linguam eſſe, nec auriculam.
Prætereà addebat quemdam, quem dicere nolo
Nomine, ne tollat rubra ſupercilia.
Longus homo eſt, magnas cui lites intulit olim
Falſum mendaci ventre puerperium.

INTERPRETATIO.

turbidus Mela alluit lenibus aquis. Verùm & multa refert de Poſthumio & de Cornelii amoribus, *quibuſcum* puella hera mea *turpe commiſit adulterium.* Sed *quis* forſan *repoſuerit. quomodo tu, ô janua*, *illa cognoviſti* omnia, *cui nuſquam fas eſt deſerere oſtium heri* tui ; *qua neque potes populi ſermones audire : ſed* quæ *iſtis annexa poſtibus, ſolummodò conſueviſti claudere, aut reſerare ades ? Frequenter illam puellam auſcultavi ſolam* ſuis *ancillis narrantem iſta ſua ſcelera, & nomine vocantem eos, quos retuli ; quippe quæ crederet me neque linguam, neque aures habere. Inſuper* his, quos nominavi, *quempiam adjungebat. quem non volo nominare, ne rubra efferat ſupercilia. Vir eſt procerus, cui quondam ſimulatus partus fallaci ventre graves movit controverſias.*

ANNOTATIONES.

34. *Verona.*] Ejuſdem etiam Galliæ Tranſalpinæ civitas, noſtri Catulli patria, cujus mater dicitur Brixia, vel quòd eſſet *Veronâ* ipſa vetuſtior, vel quòd inde *Veronam* coloni multi commigraſſent, vel quòd Brixia Metropolis eſſet Cœnomanorum, in quibus eſt *Verona.*

42. *Solam cum ancillis.*] Alii legunt, *conſciolis*, Manutio correctore, ſed vetuſtiores codices habent. *ancillis* : quod quidem huic loco mirificè convenit. *Ancillæ* enim libidinum omnium adminiſtris uti dominas conſueviſſe, multa Plauti, Tibulli, Ovidii, Propertii, aliorumque teſtimonia docent, quæ referre fruſtraneum eſſet, cùm res ipſa ſit omnibus noſtro etiam ſæculo notiſſima.

46. *Rubra ſupercilia.*] Eleganter admodum minacem excandeſcentium geſtum & vultum expreſſit ad hunc ferè modum Petronius : *Poſtquam ſe amarè ſenſit ſupercilium altiùs ſuſtulit.*

47. *Longus homo.*] *Longus homo* dicitur ſæpiùs ſtolidus & blennus, μέγας pro inepto & bardo ſumitur apud Ariſtophanem.

48. *Falſum mendaci ventre puerperium.*] Quia nempè nothus erat, & quâ volebat matre minimè genitus : unde multas lites coactus eſt ſuſtinere.

AD MANLIUM.

AD MANLIUM. Carm. LXVII

Quod mihi fortunâ, caſuque oppreſſus acerbô,
Conſcriptum hoc lacrymis mittis epiſtolium:
Naufragum ut ejectum ſpumantibus æquoris undis
Sublevem, & à mortis limine reſtituam:
Quem neque ſancta Venus molli requieſcere ſomno
Deſertum in lecto cœlibe perpetitur:
Nec veterum dulci ſcriptorum carmine Muſæ
Oblectant, quum mens anxia pervigilet:
Id gratum eſt mihi, me quoniam tibi ducis amicum:
Muneraque, & Muſarum hinc petis, & Veneris.
Sed, tibi ne mea ſint ignota incommoda, Manli,
Neu me odiſſe putes hoſpitis officium:
Accipe queis merſer fortunæ fluctibus ipſe,
Ne ampliùs à miſero dona beata petas.

INTERPRETATIO.

Illud quidem *mihi jucundum eſt, quandoquidem me tibi putas amicum, quòd tu concuſſus infortunio & iniquo fato ſcribis ad me literulas fletibus* tuis *exaratas. ut* ego *tibi* quaſi *naufragium paſſo ſpumoſiſque maris fluctibus jactato ſuccurram, teque è lethi faucibus ereptum reficiam; te quem in viduo cubili derelictum ſacra Venus non patitur relevari placidâ quiete; quem neque etiam Muſæ recreant jucundis priſcorum Autorum libris. Cum animus* tuus *mœrens pervigilat; & hâc de causâ quæris à me Muſarum dona & Veneris jocos. Verùm, ô Manli, ne mala mea tibi ſint incognita & ne exiſtimes me odiſſe hoſpitis officium, audi, quibus ego fortuna adverſa procellis ſim oppreſſus, ut poſthac à me infelici non quæras læta car*minum *munera. Satis plura cecini illâ*

ANNOTATIONES.

1. *Quod mihi fortuna.*] Manlius, in cujus gratiam Epithalamium ſuperius ſcripſerat Catullus, cùm uxorem Juliam fato functam amiſiſſet, ipſum per epiſtolam rogaverat ut ad ſe carmina conſolatoria ſcriberet, & libellos de rebus amatoriis jucundiſque, dum junior eſſet, olim compoſitos ſibi mitteret legendos. Hâc ergo Elegiâ elegantiſſimâ & politiſſima reſpondet Catullus, ſeque excuſat, quòd utrique petitioni facere ſatis minimè poſſit. Primò namque dicit ſe dolore ex fratris morte contracto oppreſſum, cùm ipſe conſolatione indigeat, alios conſolari non poſſe. Deinde teſtatur ſe de rebus amatoriis libros Veronæ, quò ſe ob fratris interitum contulerat, non habere, ſed Romæ, ubi habitabat, reliquiſſe. Denique ob ſingularem Manlii in ſe munificentiam, plurimum illi ſe debere fatetur, eique fauſta feliciaque omnia à Diis immortalibus precatur

2. *Epiſtolium.*] *Parvam epiſtolam*, quo ferè modo dixit Pacuvius *prologium*. Eſt autem epiſtola media pars dialogi, cui ſi reſponſum fuerit conjunctum dialogum faciet integrum.

10. *Munera Muſarum & Veneris.*] Carmina ſcilicet conſolatoria, & de rebus amatoriis.

12. *Hoſpitis officium.*] Officium nempe quod hoſpes tuus factus præſtare teneor. Namque Manlius Catullum hoſpitio ſuſceperat.

14. *Dona beata.*] Carmina intelligit

Tempore quo primùm veſtis mihi tradita pura eſt,
Jucundum quum ætas florida ver ageret:
Multa ſatis luſi. Non eſt Dea neſcia noſtri,
Quæ dulcem curis miſcet amaritiem.
Sed totum hoc ſtudium luctu fraterna mihi mors
Abſcidit. ô miſero frater adempte mihi.
Tu mea tu moriens fregiſti commoda frater;
Tecum unà tota eſt noſtra ſepulta domus.
Omnia tecum unà perierunt gaudia noſtra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Cujus ego in interitu tota de mente fugavi
Hæc ſtudia, atque omneis delicias animi.
Quare quod ſcribis Veronæ turpe Catullò
Eſſe, quod hîc quiſquis de meliore notâ
Frigida deſerto tepefecit membra cubili.
Id, Manli, non eſt turpe; magis miſerum eſt,
Ignoſces igitur, ſi, quæ mihi luctus ademit,
Hæc tibi non tribuo munera, cum nequeo.
Nam quod ſcriptorum non magna eſt copia apud me,
Hoc fit, quod Romæ vivimus: illa domus,
Illa mihi ſedes, illic mea carpitur ætas:

INTERPRETATIO.

ætate, quâ mihi primò toga munda data eſt, dum lætum ver adoleſcentia vigeret. Non ſumus ignoti Diva illi, quæ ſuavem ſollicitudinibus temperat amaritudinem. Sed mors fratris mihi omne ſtudium iſtud dolore ademit: ô cariſſime *frater, mihi infelici erepte. O germane tu decedens è vita everſiſti omnia bona* mea; *tecum ſimul noſtra domus tota eſt ſepulta; tecum pariter omnis lætitia noſtra interiit, quam ſuavis amicitia tua in vita fovebas.* Ob *mortem ego omni ex animo projeci iſta Muſarum ſtudia, & univerſas animi delectationes. Itaque, quod ſcribis indecorum eſſe* Catullo tuo *Veronæ commorari, quia hoc in loco quivis nobilioris etiam conditionis* ſolus *algidum corpus calefacit lecto amoribus vacuo; hoc non eſt indecorum, ô Manli, ſed potius miſerabile eſt. Condonabis itaque mihi ſi ea tibi non mitto dona quæ mihi dolor & fletus abſtulit, quandoquidem non poſſum. Etenim quod mihi* nunc *non eſt magna ſcriptorum copia, iſtud in cauſa eſt, quia Romæ vitam degimus: Roma mihi domicilium, mihi Roma habitatio eſt. ibi vita mihi tranſigitur,*

ANNOTATIONES.

conſolatoria, & amatorios libellos, quos Manlius petierat.

15. *Veſtis mihi tradita pura eſt.*] Induebantur *togâ purâ* viri, qui pro ætate ad negotia civilia & rerum publicarum adminiſtrationes idonei exiſtimabantur.

18 *Quæ dulcem curis amaritiem.*] Eleganti circumlocutione Deam Venerem ſignificat; nam, ut inquit Plautus, Amor eſt melle & felle fœcundiſſimus Amaritudo autem ſeu *amarities* in amore eſt dulcis ob amantium cupiditatem.

19. *Sed totum hoc ſtudium.*] Scribendi nempè res amatorias.

27. *Quod ſcribis Veronæ turpe Ca-*

Huc una ex multis capſula me ſequitur.
Quod cum ita ſit, nolim ſtatuas me mente malignâ
Id facere, aut animo non ſatis ingenuo:
Quod tibi non utriuſque petiti copia facta eſt:
Ultrò ego deferrem, copia ſi qua foret.
Non poſſum reticere, Deæ, qua Manlius in te
Juverit, aut quantis juverit officiis:
Ne fugiens ſæclis obliviſcentibus ætas
Illius hoc cœcâ nocte tegat ſtudium.
Sed dicam vobis. vos porrò dicite multis
Millibus: & facite hæc charta loquatur anus.
* * * * * *

Interpretatio.

In hunc locum nempè Veronam, *unica* tantùm *è pluribus*, quas habeo, *ſcriptorum ciſtula mecum venit. Quæ cùm ita ſint nolim exiſtimes me malo animo hoc agere, vel voluntate non ſatis liberali, quod tibi facultas utriuſque tuæ petitionis non eſt conceſſa: ultrò namque & libenter mitterem tibi* & libros & carmina *ſi aliquam* horum *copiam haberem. O Diva, nequeo tacere, quibus in rebus mihi opem tulerit Manlius, vel quàm magnis me ſit proſecutus beneficiis. At ne tempus obliviosis ſaculis fluens opacis tenebris ſepeliat ejus in me amorem, hunc ego vobis prædicabo: at vos*, quæſo, *innumeris deinde millibus prædicate, & efficite, ut hæc charta olim annoſa hunc celebret.*
* * * *
* * * *

Annotationes

ipſe.] Scripſerat Manlius Catullo turpe hoc ipſi eſſe Veronæ commorari, cùm nobiles omnes & honeſtæ conditionis viri parùm Veronæ ſint in amoribus felices, utpote qui a Veronenſibus mulieribus non amantur. Sed reſpondet Catullus ſe Veronæ deliciarum causâ non commorari, ſed potiùs illuc ob fraternam mortem acceſſiſſe, & ideo ſibi turpe non eſſe, ſed potiùs dignum commiſeratione aſſerit.

36. *Capſula.*] Ex multis librorum aut ſcriptorum capſis, unam tantùm, eamque exiguam ſecum Veronam convexerat Catullus.

41. *Nec poſſum reticere Deæ.*] Aptiſſimè ad prædicandum Manlium Muſas invocat Poëta, quippe quarum proprium munus eſt præſtantium virorum famam ab oblivione, & injuriâ mortalitatis aſſerere. Unde Horat

Dignum laude virum Muſa vetat mori.

Sic etiam Tibullus;

Quem referent Muſæ, vivet, dum robora tellus,
Dum Cœlum ſtellas, dum vehet amnis aquas.

43. *Saclis obliviſcentibus.*] Ne beneficia a Manlio in me profecta ulla unquam ætas poſſit oblivioni mandare.

46. *Charta loquatur anus.*] Annales loqui dixit etiam & Macrob. lib. 1. Saturnal. *Sed & multus exercitus, oppidaque hoſtium, Gallorum, Hiſpanorum, Afrorum, Maurorum, aliarum que gentium, quas priſci loquuntur Annales.*

Item & Virgil. in Ceiri.

Æternum ſophia conjunctum carmine nomen
Noſtra tuum ſenibus loqueretur pagina ſaclis.

Dixit Virgilius, *ſenibus ſaclis*, quomodo dixit Catullus, *cana ſæcula*, ut infra dicet, *fama loquetur anus*, id eſt, quæ diu & per multa ſæcula durabit.

Noteſcatque magis mortuus, atque magis.
Ne tenuem texens ſublimis aranea telam
Deſerto in Manlii nomine opus faciat:
Nam mihi quam dederit duplex Amathuſia curam,
Scitis, & in quo me corruerit genere:
Cum tantùm arderem, quantùm Trinacria rupes,
Lymphaque in Oetæis Malia Thermopylis.
Mœſta neque aſſiduo tabeſcere lumina fletu
Ceſſarent, triſtique imbre madere genæ.
Qualis in aërii pellucens vertice montis
Rivus, muſcoſo proſilit è lapide,
Qui quum de pronâ præceps eſt valle volutus,

INTERPRETATIO.

Et magis ac magis poſt mortem per ora hominum feratur, & ne unquam pendula aranea ſtamina ſua ſubtilia deducens laborem exerceat in nomine Manlii projecto. Vos enim, ô Muſæ, *ſcitis quam mihi ſollicitudinem fecerit utraque Amathuntia, & quomodo me ſibi ſubjecerit; ita ut tantùm inflammarer, quantùm Trinacria rupes, & aqua Malienſis in Oetæis Thermopylis, nec ceſſarent triſtes oculi* mei *langueſcere continuis lacrymis, & genæ mœſto fletu ſemper irrigarentur. Non ſecus ac fons limpidus in cacumine montis excelſi ſcaturit è ſaxo muſcoſo, qui quando fugiens per vallem declivem defluxit per*

ANNOTATIONES.

51. *Duplex Amathuntia.*] *Duplex* dicitur Venus, quia doloſa & verſuta, ut apud Horat.

Nec curſus duplicis per mare Ulyſſis.

Vel potiùs *duplex* dicitur, quia duas Veneres putabant eſſe Veteres; alteram οὐρανίαν ſeu cœleſtem dictam, quæ honeſtos excitare amores, alteram πάνδημον, ſeu vulgarem, quæ in libidinem impellere putabatur. *Amathuntia* autem dicitur, ut vidimus ſupra ab urbe Cypri Amathunte, in qua præcipue colebatur.

53. *Trinacria rupes.*] *Trinacria* dicta eſt, ſcilicet à tribus ſummitatibus ſeu promontoriis, Pachyno, ſcilicet, Peloro, & Lilybæo: ἄκρα enim Græcè, Latinè ſummitas dicitur. Unde in Faſtis Ovid.

Terra tribus ſcopulis vaſtum procurrit in æquor.
Trinacris appoſiti nomen adepta loci.

Rupes autem *Trinacria* Hic eſt mons Ætna perpetuò ardens, & perpetuas eructans flammas, de quo Plin lib. 2. cap. 109. & 3 cap. 7. Strabo lib. 6. & alii.

54. *In Oetæis Malia Thermopylis.*] *Oeta* mons eſt Theſſaliæ, ut jam ſupra vidimus, qui ad ſinum Maliacum vergens ad radices habet vallem ad mare latam non amplius quam ſexaginta paſſus, in qua ſunt aquæ calidæ, Herculi quondam conſecratæ. Ad has autem fauces extructus eſt olim murus contra Theſſalorum incurſiones à Phocenſibus, poſtquam Æolidem incoluerunt. Portæ autem ibidem extructæ ſunt, quæ Græcè πύλαι dicuntur, & ab aquis calidis locus ille dictus eſt *Thermopylæ*. De Thermopylis audi Livium de bello Macedonico. *Extremos,* Theſſali, *ad Orientem montes Oetam vocant, quorum quod altiſſimum eſt Callidromum appellatur, in cujus valle ad Maliacum ſinum vergente iter eſt non latius quàm ſexaginta paſſus. Hæc una militaris via eſt quâ traduci exercitus,*

Per medium denſi tranſit iter populi,
Dulce viatori laſſo in ſudore levamen,
Quum gravis exuſtos æſtus hiulcat agros.
Ac velut in nigro jactatis turbine nautis
Lenius aſpirans aura ſecunda venit,
Jam prece Pollucis, jam Caſtoris implorata:
Tale fuit nobis Manlius auxilium.
Is clauſum lato patefecit limite campum,
Iſque domum nobis, iſque dedit dominam,
Ad quam communes exerceremus amores.
Quò mea ſe molli candida Diva pede
Intulit, & trito fulgentem in limine plantam
Innixa, argutâ conſtituit ſoleâ:
Conjugis ut quondam flagrans advenit amore
Proteſilaëam Laodamia domum

INTERPRETATIO.

mediam frequentis plebis viam; eſtque *viatori feſſo jucundum ſolatium in æſtu, cum nimius calor terram exſiccatam ſcindit. Et ut ventus ſecundus mollius ſpirans poſt invocatam Pollucis & Caſtoris opem nautis atrâ tempeſtate agitatis ſubvenit, ita mihi fuit Manlius auxilium. Ille agros anguſtos mihi ſpatioſis finibus dilatavit; ipſe mihi domum, ipſe mihi amicam habere dedit, quam communibus ſtudiis coleremus;* ipſe, inquam, domum dedit, *quam Dea mea placido greſſu adiit, & inſiſtens in limine ſibi noto collocavit pedes arguto calceo ſplendentes; ſicut olim Laodamia ardens amore ſponſi* ſui *adiit domum*

ANNOTATIONES.

ſi non prohibeantur, poſſint: ideo pylæ, & ab aliis, quia calida aqua in ipſis faucibus ſunt, Thermopylæ locus appellatur. Vide etiam Strab. lib. 9. & Herodot. lib. 6.

Lympha porrò *Malia* dicitur à loci vicinitate; *Thermopylæ* enim ſunt ad ſinum *Maliacum*

65. *Jam prece Pollucis, jam Caſtoris.*] Quod nempè in extremo periculo nautæ cum nulla ſupereſt ſpes ſalutis, ad vota confugiunt. *Caſtor* autem & *Pollux* nautis in tempeſtate apparentes dicuntur eſſe ſigna felicia & fauſta; Sicut Helena dicitur eſſe navigantibus peſſimum ſignum. Cur autem gemini *Caſtor* & *Pollux* felicem dicantur præbere navigationem docet Diodor. Sicul. lib. 5. cap. 2. atque etiam Plin. lib. 5 cap. 37.

68. *Iſque domum nobis.*] Puellam quandam Manlius, quæ ipſi erat in deliciis, tradidit Catullo, ſimulque dedit ipſi domum in qua habitaret, & agri partem, quæ vicina erat agro Catulli, eâ tamen lege, ut & Manlius etiam puellâ uti poſſet.

72. *Argutâ ſoleâ.*] Reſonanti & crepitanti, vel arctâ & brevi.

74. *Proteſilaëam Laodamia domum.*] Hac comparatione vult amicæ ſuæ ſignificare magnitudinem amoris, qui tantus in ipſa fuit, quantus in Laodamia, quæ cùm Proteſilao deſponſa eſſet amoris impatiens ad ipſum ivit antequam ſacra eſſent Diis facta, unde mulctata eſt, quia brevi poſteà Proteſilaüs cùm Trojam adiret, periit. Cùm autem Laodamia uxor ejus mortem accepiſſet, umbram ſaltem mortui videre optavit, quam complexa ſtatim expiravit. Fuit autem Proteſilaus Iphicli

Acceptam fruſtrà, nondum quum ſanguine ſacro
Hoſtia cœleſteis pacificaſſet heros.
Nihil mihi tam valdè placeat, Rhamnuſia virgo,
Quod temerè invitis ſuſcipiatur heris.
Quam jejuna pium deſideret ara cruorem,
Docta eſt amiſſo Laodamia viro,
Conjugis antè coacta novi dimittere collum,
Quam veniens una atque altera rurſùs hyems
Noctibus in longis avidum ſaturaſſet amorem,
Poſſet ut abrupto vivere conjugio.
Quod ſcibant Parcæ non longo tempore abeſſe,
Si miles muros iſſet ad Iliacos.
Nam tum, Helenæ raptu, primores Argivorum
Cœperat ad ſeſe Troia ciere viros:
Troia nefas, commune ſepulchrum Aſiæ, Europæque,

Interpretatio.

Proteſilaëam perperam ſuſceptam, cum nondum victima deſtinata cruore ſuo placaſſet Deos ſuperos. O Rhamnuſia virgo, nihil tantopere mihi ſit cordi quod perperàm Diis invitis ſuſcipiatur. Quantum altaria victimis vacua expetant devotum hoſtiarum ſanguinem didicit adempto ſibi conjuge ſuo *Laodamia, quæ compulſa eſt prius amplexum novi* ſui *ſponſi deſerere, quàm duæ hyemes ſequentes per ſuas longas noctes ejus ardentem ſatiaſſent amorem, ut facilius* poſteà *valeret vitam ducere connubio diſſoluto: cùm maximè non ignorarent Parcæ non diu fore abſentem* Proteſilaum, *ſi is Iliaca mœnia miles adiret. Tunc enim Troia inceperat, raptâ Helenâ, contra ſeipſam excitare Argivorum Principes; infanda*, inquam, ilia *Troia, communis tumulus Europæ &*

Annotationes.

filius qui inter duces Græcos ad bellum Trojanum profectus, omnium primus ab Hectore interfectus eſt.

75. *Acceptam fruſtrà.*] Quia nempè temerè Laodamia domum adiit ſponſi, antequàm ſacrum pro cònjugii felicitate fieri ſolitum peractum eſſet, Diique nondum eſſent propitiati.

77. *Rhamnuſia.*] Nemeſis Dea ultrix ſcelerum & malefactorum.

79. *Jejuna ara.*] In qua non fuit mactata victima.

82. *Una atque altera hyemi.*] Antequam duos annos cum ſponſo tranſegiſſet. Solent enim Poëtæ per hyemes, vel etiam autumnos, aut alias anni tempeſtates, annos ipſos integros ſignificare.

83 *Noctibus in longis.*] Utpote hyemali tempore, quo dies ſunt breviores, noctes verò longiores.

85. *Quod ſcibant Parcæ.*] Quia nempè in fatis erat, ut qui primus Græcorum in terram Trojanorum deſcendiſſet, occideretur; quod Proteſilao contigit. Unde Ovid.

—— Hectoreâ primus fataliter haſtâ
Proteſilaë cadis. ——

87. *Helenæ raptu.*] Raptûs Helenæ hiſtoria notior eſt & tritior quàm quæ pluribus à nobis referri debeat. Mirum ſanè eſt, quòd tam perditæ famæ mulier & infamis adultera, Aſiæ atque Europæ exitii penè cauſa fuerit.
Unde Propert.

Olim mirabar quòd tanti ad Pergama belli
Europæ atque Aſiæ cauſa puella fuit.

89. *Commune ſepulchrum Europæ Aſiæque.*] *Europæ*, propter Græcos;

Troia virûm, & virtutum omnium acerba cinis.
Quæ nempè & noſtro lethum miſerabile fratri
Attulit, hei miſero frater adempte mihi!
Hei miſero fratri jucundum lumen ademptum,
Tecum una tota eſt noſtra ſepulta domus.
Omnia tecum unà perierunt gaudia noſtra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Quem nunc tam longè non inter nota ſepulchra,
Nec prope cognatos compoſitum cineres,
Sed Troià obſcœnà, Troià infelice ſepultum
Detinet extremo terra aliena ſolo.
Ad quam tum properans fertur undeundique pubes
Græca penetraleis deſeruiſſe focos:
Ne Paris abductâ gavisus libera mœchâ
Otia pacato degeret in thalamo.
Quo tibi tum caſu, pulcherrima Laodamia,
Ereptum eſt vitâ dulcius, atque animâ
Conjugium. tanto te abſorbens vortice amoris
Æſtus in abruptum detulerat barathrum:
Quale ferunt Graii Peneum prope Cyllenæum
Siccari emulsâ pingue palude ſolum.

INTERPRETATIO.

Aſia crudele ſepulchrum illuſtrium ho minum & virtutum omnium. Quæ nimirùm etiam intulit luctuoſam fratri meo mortem. O care *frater, mihi fratri tuo heu infelici* duro fato *erepte. Eheu!* O *grata lux* mihi, *fratri* tuo *erepta. Tecum ſimul omnis noſtra domus everſa eſt; omnes tecum ſimul deliciæ noſtræ interierunt, quas ſuavis amor tuus, dum viveres, fovebat* O frater, *quem modò ſepultum ita procul, non inter monumenta nobis cognita, neque juxta conſanguineas* propinquorum *reliquias, ſed in infami Troia, miſera Troia tumulatum tegit extremis in oris regio peregrina. Ad quam feſtinans juventus Græca patrios lares reliquiſſe dicitur, ut Paris exultans, raptâ* Helenâ *adulterâ, vitam ſecuram in tranquillo thoro non ageret. Quâ tunc* belli Troiani *occaſione* eveni., *ò formoſiſſima Laodamia, ut* tuum *tibi vitâ &* animâ *ipsâ jucundius connubium abruptum ſit. Tanto impetu amoris ardor obruens te conjecerat in profundam miſeriarum voraginem; qualis eſt illa pinguis terra, quam Graii dicunt exhauſtis aquis prope Peneum Cyllenæum exſiccari*, quam

ANNOTATIONES.

Aſia, propter Troianos, qui in bello Troiano perierunt.

90 *Acerba cinis.*] *Cinis* Hic fœminino genere ponitur, ut apud Lucret. lib. 4.

In membris cinere ut multâ latet obrutus ignis.

108 *Barathrum.*] Hic ponitur pro voragine: ſed propriè locus erat Athenis, in quem ſcelerati & flagitioſi dejiciebantur, ut apud Lacedæmonios in Ceadan. *Barathrum* autem ex Feſto locus præceps dicitur, unde emergi non poſſit.

109 *Graii Peneum prope Cyllenæum.*] Cum ad Stymphalias aves interficiendas Euryſthei juſſu profectus Hercules in Theſſaliam veniſſet, paludem quan-

Quod quondam cæſis montis fodiſſe medullis
  Audet falſiparens Amphitryoniades :
Tempore quo certâ Stymphalia monſtra ſagittâ
  Perculit imperio deterioris heri :
Pluribus ut cœli tereretur janua Divis,
  Hebe nec longâ virginitate foret.
Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,
  Quod Divum domitum ferre jugum docuit.
Nam neque tam carum confecto ætate parenti
  Una caput ſeri nata nepotis alit:
Qui cum divitiis vix tandem inventus avitis

INTERPRETATIO.

excavare aggreſſus eſt olim abſciſſis viſceribus montis Amphytrioniades falſi parens eâ tempeſtate, quâ juſſu aſperioris domini telis indevitatis confixit Stymphalia portenta, ut porta cœli majori Deorum numero calcaretur, & ne diutius Hebe virginitatem ſervaret. At verò tuus profundus erga Proteſilaum *amor*, ô Laodamia, *fuit iſtâ longè profundior abyſſo, quæ Divum* Herculem *docuit ſubire* Euryſthæi *imperium. Nec enim ulla unica filia educat patré decrepito tam dilectum caput nepotis tardè geniti, qui cum vix demùm ſuccedens*

ANNOTATIONES.

dam, quæ ex aquis Penei fluminis collectis efficiebatur, ſiccavit, ſeparatis priùs ab invicem Oſſâ & Olympo montibus, qui anteà contigui erant: & cum ita dediſſet exitum fluvio in mare, hominibus illius regionis campi ad Peneum feraciſſimi & pinguiſſimi copiam fecit De hoc Diodor. lib 5. *Cyllenæus* porrò dicitur *Peneus* à Cyllene, juxta illud Strabonis lib. 8. *In medio Chelonata & Cyllena ſpatio Peneus effunditur. Peneus* autem etiam fluvius Arcadiæ, ubi & mons *Cyllene*.

112. *Falſiparens Amphitryoniades.*] Hercules qui falsò habebatur Amphitryonis filius, cùm reverà à Jove eſſet ex Alcmena progenitus, Oſſam ab Olympo ſeparavit, & ſic exitum dedit aquis. Unde Lucan.

——— *Poſtquam diſceſſit Olympo*
Herculeâ gravis Oſſa manu, ſubitaque ruinam
Senſit aqua Nereus. ———

113. *Stymphalia monſtra. Stymphalus* urbs eſt Arcadiæ; ubi etiam & palus fuit ejuſdem nominis, circa quam Stymphaliæ aves hominibus, brutis animantibus, fructibuſque terræ infenſiſſimæ, quas dicitur Hercules juſſu Euryſthei aut fugaſſe æramentorum ſonitu, aut juxta Catullum ſagittis interfeciſſe.

114. *imperio deterioris heri.*] Juſſu Euryſthei, qui Herculi labores & monſtra domanda proponebat, agente Junone, licèt fortitudine Herculi longè inferior eſſet.

115. *Pluribus ut cœli.*] Hercules ideo patebat Euryſtheo, ut ipſe quoque per labores Deus fieret.

116. *Hebe nec longâ virginitate.*] *Hebe* juventutis Dea, filia Junonis inter Deos relato Herculi, & Junoni reconciliato nupſit.

117. *Sed tuus altus amor.*] Rurſum ad Laodamiam redit, atque amorem ipſius erga virum ſuum, qui ipſam in profundum & abruptum barathrum detruſerat, fuiſſe profundiorem illo paludis ad Peneum barathro, quod Divum, hoc eſt, Herculem, docuit ferre jugum Euryſthei heri ſeu domini; qui nempè præcipiebat Herculi ut tot labores aggrederetur.

Nomen teſtatas intulit in tabulas,
Impia deriſi gentilis gaudia tollens
Suſcitat à cano vulturium capite.
Nec tantùm niveo gaviſa eſt ulla columbo
Compar, quæ multò dicitur improbiùs
Oſcula mordenti ſemper decerpere roſtro;
Quanquam præcipuè multivola eſt mulier.
Sed tu olim magnos viciſti ſola furores,
Ut ſemel es flavo conciliata viro.
Aut nihil aut paulò cui tum concedere digna
Lux mea ſe noſtrum contulit in gremium.
Quam circumcurſans hinc illinc ſæpè Cupido
Fulgebat crocina candidus in tunica.
Quæ tamen etſi uno non eſt contenta Catullo,
Rara verecundæ furta feremus heræ:
Ne nimiùm ſimus ſtultorum more moleſti.
Sæpè etiam Juno maxima Cœlicolum
Conjugis in culpa flagravit quotidiana

INTERPRETATIO.

opibus avitis ſcriptus eſt hæres in teſtamento teſtibus obſignato, quique removens iniquam lætitiam propinqui deluſi, depellis vulturem ab avo ſuo ſene. Neque ulla columba *conjuncta albo* ſuo *columbo, quæ longè intemperantiùs fertur carpere baſia roſtro mordaci tam delectata eſt*, quam tu, ò Laodamia, *etſi maximè fœmina inconſtans eſt. Equidem tu, ò Laodamia, longè ſuperaſti ingentes omnes, quicumque olim fuerunt, amores, ubi primùm conjuncta es formoſo conjugi tuo* Proteſilao; *cui vel minimè vel pauxillulum cedere digna amica mea ſeſe in meum ſinum conjecit: circa quam frequenter huc illuc concurſans Cupido ſplendebat nitens, in veſte crocea: quæ quanquam interdum ſolo* ſuo *non eſt Catullo contenta, attamen moderatæ puellæ rara adulteria tolerabimus, ne ſimus nimis more ſtultorum incommodi. Frequenter porrò Juno Dearum potentiſſima ſciens frequentia conjugis ſui Jovis omnia volentis adulte-*

ANNOTATIONES.

122. *In tabulas.*] Intelligit teſtamentum in quacumque materia ſcriptum.

123. *Gentilis.*] *Gentilis* autore Feſto dicitur, qui eodem ex genere natus, & is qui ſimili nomine appellatur. Vide Ciceronem in Topic.

124. *Suſcitat à cano vulturium capite.*] De parvo nepote loquitur, qui avo natus in extremo ſenio; poſt ſignatas tabulas, & inſtitutum hæredem aliquem in gentilibus, qui proximus erat, teſtamentum delet, ſicque fruſtratur gaudium gentilis, qui jam ſpe devoraverat hæreditatem, & quaſi vultur imminebat capiti boni ſenis, mortemque ejus avidè expectabat, expetebatque, ut ipſius frueretur bonis. At nepos natus ubi tabulis avi nomen intulit, expuncto gentili ſuſcitat vulturem, & amolitur à capite ſenis. *Vulturios* enim & corvos vocabant hæredipetarum captatores.

127. *Oſcula mordenti.*] Nihil tam improbum in rapiendis oſculis fingi poteſt, quàm dicuntur ipſi columbi.

137. *Stultorum more.*] Stultum enim multis videtur cruciari ad coercendam

Noſcens omnivoli plurima furta Jovis.
Atqui nec Divis homines componier æquum eſt:
Ingratum tremuli tolle parentis onus.
Nec tamen illa mihi dextrâ deducta paternâ
Fragrantem Aſſyrio venit odore domum:
Sed furtivâ dedit mira munuſcula nocte
Ipſius ex ipſo dempta viri gremio.
Quare illud ſatis eſt, ſi nobis id datur unis,
Quo lapide illa diem candidiore notet.
Hoc tibi quod potui confectum carmine munus
Pro multis, Manli, redditur officiis:
Ne veſtrum ſcabrâ tangat rubigine nomen
Hæc atque illa dies, atque alia, atque alia.
Huc addent Divi quamplurima, quæ Themis olim
Antiquis ſolita eſt munera ferre piis.

INTERPRETATIO.

ria, irâ exarſit ſuper ejus peccatis quotidianis. Sed Deis mortales comparare nefas eſt; remove igitur iſtud trepidi patris moleſtum onus. Neque enim ipſa amica *patriâ mihi manu ducta, adiit domum meam Aſſyriis odoribus perfuſam; verùm ab ipſo viro ſui ſurgens amplexu mihi dona* Veneris *clandeſtina obſcurâ nocte largita eſt. Itaque illud ſufficit, ſi nobis tribuatur ſolis illud, propter quod illa ſignet diem lapille meliore.* O *Manli, iſtud tibi munus cultum conflatum ex verſiculis, quos potui* fingere a me *tibi exhibetur pro innumeris* tuis erga me *beneficiis. Ut iſthac dies, & altera, atque alia non deleat veſtri nominis memoriam ſqualenti* oblivionis *obſcuritate.* Sed prætereà *ad hæc Dii adjicient innumera dona, quæ Themis quondam conſuevit priſcis* ho-

ANNOTATIONES.

mulieris libidinem; cùm nemo ejus furta & fraudes poſſit deprehendere, aut cohibere.

Unde Propert.

Tu priùs & fluctus poteris ſiccare marinos,
Altaque mortali deligere aſtra manu,
Quàm facere ut noſtra nolint peccare puellæ.

144. *Fragrantem Aſſyrio odore.*] Amomo, & aliis odoribus, qui plures naſcuntur in Syria, quæ & Aſſyria.

147. *Illud ſatis eſt.*] Dicit Poëta ſibi ſatis eſſe, ſi det ipſi puella illud, quo putet diem felicem, & aliis idem non faciat.

148. *Lapide candidiore.*] Alii Thracibus, alii Cretenſibus in more poſitum fuiſſe dicunt, ut diſtinctos pro experimento cujuſlibet diei calculos in urnam conderent, ac ſupremo vitæ die ſeparatos dinumerare ſolerent, ut ita de fœlicitatis aut miſeriæ ratione pronuntiarent. Cupit autem Poëta, ut amica ſua eodem ritu felices dies, & ſibi fortunatos numeret.

149. *Hoc tibi, quod potui.*] Ad Manlium tandem redit, eumque Carmen concludens optimis, quibus poteſt, votis proſequitur.

153. *Huc addent Divi, quæ Themis.*] Ultra hoc Carminum munus quod tibi pro tuis in me meritis mitto, etiam opto, ut Dii addant ea omnia quæ Juſtitia dabat hominibus piis in ſæculo aureo, quo omni bonorum genere abundabant.

Ad mentem ferè Catulli Virgilius.

Dii tibi ſi qua pios reſpectant: Numina ſi quid

Sitis fœlices & tu ſimul, & tua vita,
Et domus ipſa, in qua luſimus, & domina.
Et qui principio nobis te tradidit à quo
Sunt primo nobis omnia nata bona.
Et longe antè omneis mihi quæ me carior ipſo
Lux mea, quâ vivâ vivere dulce mihi eſt.

Interpretatio.

minibus *juſtè viventibus conferre.* Sitis *vos beati & fortunati. tu ô* Manli, *ac pariter lux tua, atque etiam domus, in qua nos jocati ſumus. atque etiam hera.* Sed maximè ſit felix, *qui nobis te donavit. & à quo primo nobis omnia commoda provenerunt. At valdè præ cæteris aliis ſit felix mea amica. mea vita. quæ mihi memetipſo carior eſt. & quâ ſolâ ſalvâ & incolumi vita mihi ſuavis eſt.*

Annotationes.

Uſquam juſtitia eſt, & mens ſibi conſcia recti,
Præmia digna ferant.

Themis porrò ex Heſiodo in Theogon. filia fuit Cœli & Terræ, & una de uxoribus Jovis, de qua juſtitiam bonas leges, & pacem florentem natas eſſe dicit. De *Themide* ſic Feſtus. *Themin* Deam putabant eſſe, quæ præciperet hominibus id à Diis petere, & ab hominibus, quod fas eſſet.

155. *Sitis felices.*] Formula precationis notatione digna. Nihil enim frequentius apud Poëtas invenitur, quàm illud votum. *Sis felix.*
Virgil. Eclog. 5.
Ipſa ſonant arbuſta, Deus, Deus ille, Menalca,
Sis bonus, ô felixque tuis ——————

Et lib. 1. Æneid. Venerem Æneas ita precatur:
Sis felix noſtrumque leves quæcumque laborem.

Tibullus lib. 3. Eleg. ultim.
Sis felix & ſint candida fata tua.

157. *Et qui principio.*] Hic Poëta ſignificare videtur eum, à quo fuerit primùm Manlio commendatus, & per quem in ejus notitiam venerit, & qui fuerit in cauſa cur ipſi Manlius tot beneficia contulerit, apud quem etiam ſe gratum & memorem, ut apud Manlium præſtare velle videtur. Quid ſit autem tradere nemo neſcit, qui commendatitias literas, maximè lib. 13. Epiſtolarum Ciceronis legerit.

IN RUFUM. Carmen LXIX.

Noli admirari * * *
Rufe, * * * *
Non illam raræ labefactes munere veſtis,
Aut pellucidi deliciis lapidis.
Lædit te quædam mala fabula, quâ tibi fertur
Valle ſub alarum trux habitare caper.
Hunc metuunt omnes: neque mirum. nam mala valdè eſt
Beſtia, nec quicum bella puella cubet.
Quare aut crudelem naſorum interfice peſtem,
Aut admirari deſine cur fugiunt.

INTERPRETATIO.

Ne *demireris, ô Rufe,* * * * * * * * *aut cur nullam* puellam *corrumpas dono pretioſa veſtis, aut illecebris gemmæ pellucentis. Tibi nocet malus quidam vulgi ſermo, quo dicitur* naribus *crudelis hircus tibi ſtabulari ſubter axillarum tuarum receſſu.* Hircum *iſtum timent omnes, nec hoc eſt mirandum. Peſſima enim eſt bellua, neque* ea eſt *cum qua formoſa puella dormire velit. Quamobrem vel occide ſævam illam narium peſtem. vel ceſſa demirari quare te omnes refugiunt.*

ANNOTATIONES.

1. *Noli admirari, ô Rufe.*] Hoc Epigrammate exagitat Catullus quemdam *Rufum* divitem, & malè olentem, qui licèt munera donaret mulieribus, ab illis tamen non amabatur: cujus rei cauſam aſſerit fuiſſe teterrimum alarum odorem, quem Græci τράγον, Latini *caprum* aut hircum vocant: cujus odoris fœditate præter cæteros inſignis erat ille *Rufus*, unde ipſum hortatur Poëta, ut è duobus alterum faciat, vel quòd tetrum illum caprum occidat, malumque hoc pacto ſuffocet odorem, vel admirari deſinat cur non ametur.

4. *Deliciis lapidis.*] Gemmæ namque ad ornatum, oſtentationem, & delicias tantùm expetuntur.

5. *Mala fabula.*] *Fabulam* vocant quidquid eſt in ore & ſermone populi, ſive verum, ſive falſum ſit.

6. *Valle ſub alarum trux habitare caper.*] *Alarum vallem* vocat axillarum receſſum ſub brachiis & humeris. *Caper* verò odor eſt hircinus, qui ita dicitur ab hirco ſeu *capro* propter ejuſdem animalis graveolentiam & fœtorem.
De hoc infrà etiam Carm. LXXI.

Si cui jure bono ſacer alarum obſtitit hircus.

Horat. Epiſt. 12.

——— Namque ſagacius unus odoror,
Polypus, an gravis hirſutis cubet hircus in alis.

8. *Beſtia.*] Sic etiam Plautus Bacchid. *Mala tu es beſtia.* Pœnul. *Malè ego metuo milvios? mala beſtia eſt, ne fortè me auferat pullum tuum.*

9. *Interfice peſtem.*] Quaſi de animali ſermo eſſet, facetè de fœtore illo tetro loquitur. Dicit tamen Nonius *interficere & occidere.* Veteres etiam de inanimatis uſurpaſſe. Virgil.

Fer ſtabulis inimicum ignem, atque interfice meſſes.

DE INCONSTANTIA FOEMINEI AMORIS.
Carmen LXX.

NULLI ſe dicit mulier mea nubere malle,
Quàm mihi; non ſi ſe Jupiter ipſe petat.
Dicit: ſed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento, & rapidâ ſcribere oportet aquâ.

INTERPRETATIO.

UXOR *mea affirmat ſe nemini potius quàm mihi nubere velle; neque etiamſi Jupiter eam expetat.* Hoc *aſſerit; at quod fœmina ardenti amatori ſcribendum eſt in vento & rapidis aquis,*

ANNOTATIONES.

1. *Nulli ſe dicit.*] Mulierum infidelitatem & inconſtantiam ſub amicæ ſuæ perſona hoc Epigrammate taxare voluit Catullus; ſignificatque muliebribus blanditiis nullam eſſe adhibendam fidem.

2. *Non ſi ſe Jupiter ipſe petat.*] Sic infrà ad Leſbiam Catullus:

——— *Nec præ me velle tenere Jovem.*

Ovid. Epiſt. Phædræ ad Hyppolytum.

Si mihi concedat Juno fratremque virumque,
Hyppolytum videor præpoſitura Jovi.

In vento, &c.] Duo lepidè conjungit, quæ eâ ſunt naturâ, ut in iis nihil poſſit imprimi; nam & aqua jugiter fluit, & ventus nihil eſt aliud quàm aër fluens. Eodem ferè modo de fœminei ſexûs ſubleſta fide Propert.

Quidquid jurarunt ventus & unda rapit.

AD VIRRONEM. Carmen LXXI.

SI cui, Virro, homini ſacer alarum obſtitit hircus,
Aut ſi quem merito tarda podagra ſecat:
Æmulus iſte tuus, qui veſtrum exercet amorem,
Mirificè eſt à te nactus utrumque malum.
* * *
* * *

INTERPRETATIO.

O VIRRO, *ſi alicui* unquam *homini execrabilis axillarum caper nocuit, vel ſi aliquem iners dolor pedum jure torquet, Tuus ille rivalis, qui veſtras delicias interturbat, mirum in modum per te eſt utrumque aſſecutus incommodum.* * * * * * * * *

ANNOTATIONES.

1. *Si cui, Virro.*] *Virronem* amicum conſolatur, quòd rivalis ejus, quem Rufum, de quo mox dictum eſt, fuiſſe veriſimile eſt, ſi ad ejus amicam va dat, ſimul cum ipſa meritas det pœnas, cùm hæc ejus tetro hirci fœtore, affligatur; ille verò podagrâ enecetur.

Sacer hic ſumitur, pro *execrabili*, ut apud Virgil.

Auri ſacra fames.

2. *Tarda podagra.*] Quia nimirùm homines reddit tardos, inertes, & ad opus imparatos,

AD LESBIAM. Carmen LXXII.

DICEBAS quondam, ſolum te noſſe Catullum,
 Lesbia, nec, præ me velle tenere Jovem.
Dilexi tum te, non tantùm ut vulgus amicam,
 Sed pater ut gnatos diligit, & generos.
Nunc te cognovi; quare etſi impenſiùs uror,
 Multò mî tamen es vilior, & levior.
Quî potis eſt? inquis; quòd amantem injuria talis
 Cogit amare magis, ſed benè velle minùs.

INTERPRETATIO.

OLIM *aſſeverabas, ò Leſbia, te Catullum* tuum *unum cognoſcere & nolle te Jovem* ipſum *mihi præferre. Amavi te tunc temporis, non modò quantum unuſquiſque diligit amicam; verùm etiam quantum parens amat filios ac generos. Jam verò te*, tuaſque fraudes, *novi: unde quamquam vehementiùs ardeo tui amore; nihilominus longè mihi deſpectior es & indignior. Quomodo* hoc *poteſt fieri? Ais, quia ejuſmodi injuria compellit amatorem plus diligere, at minùs benè velle.*

ANNOTATIONES.

1. *Dicebas quondam.*] Mirum hoc Epigrammate affectum expreſſit Catullus. Zelotypiâ enim ductus, quòd Leſbia fidem datam non ſervarat alium amando, dicit ſe quidem illam magis diligere, ſed tamen illi minùs benè velle. Unde quid interſit inter *amare* & *benè velle*, patefacto, cætera perſpicua erunt. *Amare* igitur latiùs patet quàm *benè velle*. Neque enim ſi quis amet, continuò illud ſequitur, ut etiam benè velit; cùm tamen benè velle non queat, niſi qui amet. Ita ſæpè tum belluas, tum res inanimas, ut cibum & potum, ſigna, ſtatuas, tabulaſque egregii operis amare dicimus; quibus tamen nemo ſanus nos benè velle dixerit. Aſſerit igitur Poëta ſe quondam non tantùm amaviſſe Leſbiam, ut vulgus amicam ſolet voluptatis nimirùm ſuæ causâ; verùm etiam ut patres liberos generoſve amant, qui non delectatione aliquâ, aut utilitate ſuâ eos diligunt, ſed totam ſuam illam benevolentiam in ipſorum commoda & opportunitatem referunt. Tùm nempè, cùm ipſius blanditiis inductus in fraudem, ſe quoque viciſſim ab ea amari crederet; at ex quo eam levem fallacemque cognoverit, dicit ſe quidem nihilominus eam amare, aliquantò etiam magis; ſed tamen depoſuiſſe ex animo veterem illam benevolentiam intimam, quâ eam complecti conſueverat.

2. *Velle tenere Jovem.*] Idem ferè ſuprà Carm. LXX.

——— *Non ſi ſe Jupiter ipſe petat.*

5. *Etſi impenſiùs uror.*] Quamvis majori amore tui accendar, habeo te tamen viliorem & leviorem, quàm priùs, poſtquam cognovi tuas fallacias & perfidiam.

6. *Quod amantem injuria.*] Reſponſio Catulli eſt, quia talis injuria qualem mihi feciſti alium amando, cogit amantem magis amare, ſed minùs benè velle. *Amare* & *benè velle* ideo differre dicunt Philoſophi, quia amor perturbatio eſt; velle autem eſt voluntatis & rectæ rationis: unde Cicero 4. Tuſculanarum quæſtion. *Voluntas eſt, quâ qui deſiderat cum recta ratione deſiderat.* Et ideo amator, qui ſibi alium videt præferri, majore amoris perturbatione afficitur, & acriùs inceneditur; non vult tamen amicæ benè velle; imò ulciſci deſiderat.

IN INGRATUM. Carmen LXXIII.

DESINE de quoquam quicquam benè velle mereri,
  Aut aliquem fieri poſſe putare pium.
Omnia ſunt ingrata: nihil feciſſe benignè eſt:
  Imò etiam tædet. ſtatque magiſque magis.
Ut mihi, quem nemo graviùs, nec acerbiùs urget:
  Quam modò qui me unum, atque unicum amicum habuit.

INTERPRETATIO.

DESINE *cupere cuiquam aliquid benè facere, vel credere quempiam poſſe fieri beneficii accepti memorem. Omnes homines ſunt ingrati. Nihil prodeſt aliis benè feciſſe. Sed contrà potiùs nocet. Idque certo certiùs conſtat. mihique maximè. quem nullus acriùs neque aſperiùs proſequitur & vexat, quàm ille qui nuper me uno & ſolo amico uſus eſt.*

ANNOTATIONES.

1. *Deſine de quoquam.*] Continent hi verſus communem querelam de perfidia ingratoque animo eorum, qui ſe amicos ſimulant, cùm reverà non ſint. Sed res eſt ita nunc uſitata, & de ea tam frequentes ſunt ſapientium hominum querelæ, ut neminem Catullo putem diſſentire.

3. *Omnia ſunt ingrata.*] Poſtquam dehortatus eſt Poëta ſeipſum à beneficiis in alios exhibendis, ex nimiâ iracundiâ non tantùm homines, ſed & omnia ingrata eſſe aſſerit.

IN GELLIUM. Carmen LXXIV.

GELLIUS audierat, patruum objurgare ſolere;
  Si quis delicias diceret, aut faceret.
*   *   *   *   *
*   *   *   *   *
*   *   *   *   *
*   *   *   *   *

INTERPRETATIO.

DEDICERAT *Gellius patruum* ſuum *conſueviſſe increpare quemcumque, ſi loqueretur aut faceret delicias.* *

*   *   *   *   *
*   *   *   *   *
*   *   *   *   *

ANNOTATIONES.

1. *Gellius audierat.*] *Gellium* infandæ libidinis patratorem inſectatur. Eſt autem ille *Gellius* homo impuriſſimus, quem Cicero Oratione pro Sextio tam vehementer exagitat, & quem Oratione in Vatinium *ſeditioſorum hominum nutriculam* vocat.

2. *Si quis delicias diceret.*] *Delicias facere* Lambino idem eſt ac *delicatè jocari*: at Muretus putat, *delicias facere*, interdum eſſe *irridere*, ut apud Plautum in Menæchmis. Interdum idem eſt quod *facere nequam*, id eſt, indulgere libidini, quo ſenſu hic ſumitur à Catullo.

IN LESBIAM. Carmen LXXV.

Nulla poteſt mulier tantùm ſe dicere amatam,
Verè, quantùm à me, Lesbia, amata mea es.
Nulla fides ullo fuit unquam fœdere tanta,
Quanta in amore tuo ex parte reperta mea eſt.
Nunc eſt mens adducta tuâ mea, Lesbia, culpâ,
Atque ſe officio perdidit ipſa pio:
Ut jam nec benè velle queam tibi, ſi optima fias,
Nec deſiſtere amare, omnia ſi facias.

INTERPRETATIO.

O Lesbia *mea, nulla fœmina poteſt aſſerere ſe tam verè dilectam fuiſſe* à quoqu m, *quàm à me dilecta es. Nullo unquam in fœdere tanta fuit fidelitas, quanta à me tibi ſervata eſt in tuo amore. Jam verò animus meus hue perfidiâ tuâ adductus eſt, ô Lesbia* mea. *& adeo ſeſe confixit ſuâ* erga te *fide integrâ; ut neque poſſim nunc tibi benè cupere, quamvis ſias optimus, neque ceſſare te diligere, quidquid agas.*

ANNOTATIO.

1. *Nulla poteſt mulier.*] Fidem ſuam prædicat hoc Epigrammate Catullus in Leſbiam, quam in amore minimè ſibi fuiſſe fidelem arguit: unde ait non poſſe ſe ei benè velle, quamvis non poſſit eam non amare, quidquid faciat. Fuiſſe videtur Catullus ex iis, qui ut ſemel amoris laqueis irretiti captique ſunt, ſi puellæ ſuæ alium quoque aliquem placere ſentiunt, eò acriùs incenduntur: unde cùm perditæ mulieres aliquem in amore volunt retinere, rivalem aliquem opponunt. Hac arte uſam fuiſſe Leſbiam hoc loco apertiſſimè indicatur

AD SEIPSUM. Carmen LXXVI.

Si qua recordanti benè facta priora voluptas
Eſt homini, quum ſe cogitat eſſe pium:
Nec ſanctam violaſſe fidem, nec fœdere in ullo
Divûm ad fallendos numine abuſum homines:

INTERPRETATIO.

Si *aliqua voluptas eſt viro reminiſcenti anteactorum benefactorum, quando ſe reputat eſſe pium, neque meminit ſe ſacram temeraſſe fidem, neque ullâ in pactione ſe malè uſum eſſe Deorum teſtimonio ad decipiendos homines.*

ANNOTATIONES.

1. *Si qua recordanti,*] Perfidum & ingratum Leſbiæ animum videns Poëta, ſeipſum integritatis ſuæ conſcientiâ conſolatur, deinde hortatur ſe ad ejus amorem projiciendum ex animo. Cùm autem vix hoc humanâ ope fieri poſſit, Deos enixè precatur, ut tandem a tetro illo amoris morbo eorum auxilio liberetur

2. *Eſſe pium.*] Pietas pars eſt juſtitiæ, quæ adverſus parentes exhibetur.

Multa

Multa parata manent in longâ ætate, Catulle,
Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.
Nam quæcumque homines benè cuiquam aut dicere poſſunt,
Aut facere: hæc à te dictaque, factaque ſunt.
Omnia quæ ingratæ perierunt credita menti.
Quare jam te cur amplius excrucies?
Quin te animo offirmas, teque iſtinc uſque reducis?
Et, Diis invitis, deſinis eſſe miſer?
Difficile eſt longum ſubitò deponere amorem.
Difficile eſt: verùm hoc, quâ lubet, efficias.
Una ſalus hæc eſt, hoc eſt tibi perficiendum.
Hoc facies, ſive id non pote, ſive pote.
O Dii, ſi veſtrum eſt miſereri aut ſi quibus unquam
Extremâ jam ipsâ in morte tuliſtis opem:
Me miſerum aſpicite: &, ſi vitam puriter egi,
Eripite hanc peſtem, perniciemque mihi,
Quæ mihi ſubrepens imos, ut torpor, in artus

INTERPRETATIO.

plures tibi, ô Catulle, comparata ſuper ſunt in longinquum tempus voluptates ex iſto ingrato Leſbiæ amore. Quidquid enim homines cuiquam aut dicere benè, aut benè facere poſſunt, hoc & dixiſti & feciſti Leſbiæ *tuæ. Quod totum in animum ingratum malè collocatum, perditum eſt. Quamobrem curnam te nunc amplius torqueas? Quidni potius mentem obduras, & te prorſus ab iſto amore* Leſbiæ *retrahis, atque etiam ſuperis nolentibus ceſſas eſſe infelix? Difficile eſt & arduum repentè abjicere diuturnum amorem.* Id equidem *arduum eſt: ſed iſtud quocumque volueris pacto, facias. Unica tibi ſupereſt iſta ſalutis via: iſtud* igitur *eſt tibi complendum:* atque ita *illud efficies, ſive illud poſſit, ſive non poſſit fieri.* O *Superi, ſi veſtrum eſt miſereſcere vel ſi quod ullis unquam hominibus ſupremum auxilium præbuiſtis in ipsâ morte, oculos in me infelicem convertite, ac ſi vitam juſtè & piè duxi, depellite à me iſtam luem & calamitatem: quæ mihi latenter irrepens in intima membra, quaſi torpor, fugavit*

ANNOTATIONES.

11. *Teque iſtinc uſque reducis.*] Quin te revocas ab amore perfidæ mulieris, quæ tamdiu te tam perfidè deluſit.

12 *Diis invitis*] Proverbium eſſe videtur, quo uſus Poëta dixit:

Heu nihil invitis fas quemquam fidere Divis.

16. *Sive id non pote, ſive pote.*] Ἐστι δύνατον, εἴτε ἀδύνατόν ἐστι. *Pote* enim eſt id quod fieri poteſt, *non pote*, quod fieri non poteſt. *Potis* autem & *pote* in quolibet genere dicitur. Lucret. in communi genere poſuit, ut,

Quis potis eſt dignum palanti pectore carmen
Condere. ——

In neutro Catullus jam ſuprà.

Qui potis eſt? inquis.

Lucret.

Nec potis eſt cerni, quod caſſum lumine fertur.

20. *Eripite hanc peſtem.*] *Peſtem* vocabant Antiqui, quidquid rem aliquam ſive animatam ſive inanimam perſundaret, & quaſi proſterneret. Salluſt. *Et ſi peſtis certa adeſſet, manſurum potiùs*, &c. Virgilius vocat peſtem navium, ignem, qui naves combureret.

—— *Servata à peſte carina.*

Expulit ex omni pectore lætitias.
Non jam illud quæro, contrà ut me diligat illa,
Aut, quod non potis eſt, eſſe pudica velit.
Ipſe valere opto, & tetrum hunc deponere morbum.
O Dii, reddite mî hoc pro pietate meâ.

INTERPRETATIO.

ex toto animo meo gaudia. Non peto nunc iſtud, ut Leſbia me nunc ex oppoſito redamet: vel, quod fieri non poteſt, ut velit eſſe caſta. Ego verò cupio ſanus fieri, & triſtem hanc deponere peſtem. O Superi, hoc mihi concedite pro mea adverſus vos religione.

AD RUFUM. Carmen LXXVII.

Rufe, mihi fruſtrà, ac nequicquam cognite amice,
Fruſtrà? imò magis cum precio, atque malo.
Siccine ſubrepſti mî, atque inteſtina perurens
Mî miſero eripuiſti omnia noſtra bona?
Eripuiſti. heu heu noſtræ crudele venenum
Vitæ, heu heu noſtræ peſtis amicitiæ!
Sed nunc id doleo, quòd puræ pura puellæ
Suavia comminxit ſpurca ſaliva tua.
Verùm id non impunè feres. Nam te omnia ſæcla
Noſcent, & qui ſis, fama loquetur anus.

INTERPRETATIO.

O Rufe, *mihi credito incaſſum & temerè amice. Incaſſum? quinimò grandi cum impenſa ac damno. Itane latenter te in meam familiaritatem inſinuaſti, atque mihi viſcera inflammans eripuiſti mihi infelici omnia mea bona? Eheu! ô dirum toxicum vita noſtra. Eheu! ô noſtra amicitia peſtis. Jam verò illud moleſtè fero, quod immundum & ſordidum tuum ſputum conſpurcavit oſcula munda culta puella. Sed hoc non feres impunè; cuncta enim ſæcula te cognoſcent, & fama longæva & ſenex vulgabit, qualis tu ſis.*

ANNOTATIONES.

1. *Rufe mihi fruſtrà.*] In hircoſum illum *Rufum* invehitur Poëta, qui ſe in ipſius familiaritatem latenter inſinuarat, ut ipſi puellam eriperet.

4. *Omnia noſtra bona.*] Amicam nimirùm, quæ eſt omnia amanti. Clamant enim ubique amatores ſe in amica omnem ſpem, omnes cogitationes, omne ſtudium, omnem mentem reponere; exiſtimant namque omnia ab ea pendere, & quòd vivant, ejuſdem muneris eſſe.

8. *Suavia comminxit ſpurca ſaliva*] Impuri homines, ut Rufus, ſalivas oris invicem miſcere ſolebant oſculantes, rogabantque amicam ſalivium ſibi invicem facerent.
Lucret. lib. 4.

——— *Junguntque ſalivas*
Oris, & inſpirant preſſantes dentibus ora.

10. *Fama loquetur anus.*] Ut ſuprà dixit:

Charta loquetur anus.

DE GALLO. Carm. LXXVIII.

GALLUS habet fratres: quorum eſt lepidiſſima conjux
Alterius: lepidus filius alterius.
Gallus homo eſt bellus; nam dulceis jungit amores,
*   *   *   *   *
Gallus homo eſt ſtultus, nec ſe videt eſſe maritum,
Qui patruus patrui monſtret adulterium.

INTERPRETATIO.

SUNT *Gallo germani, quorum unius uxor eſt pulcherrima, & alterius filius eſt venuſtus. Gallus vir formoſus eſt, & benignus, ſuaves enim conciliat amores.* * * * * * * * * * * *Gallus eſt homo fatuus, neque cogitat ſe eſſe conjugem, qui patruus oſtendat adulterium patrui.*

ANNOTATIONES.

1. *Gallus habet fratres.*] Gallum quemdam, ut nefarium inter ſuos libidinis adminiſtrum inſectatur, qui ſe bellum putabat hominem eſſe, dum filium fratris cum uxore alterius fratris amoribus conjungeret; cùm tamen reverà ſtultus eſſet, quia non animadvertebat idem quoque poſſe ſibi evenire.

3. *Homo eſt bellus.*] Belli homines aliquando & ſæpiùs dicuntur, qui aliis libenter obſequuntur, & quos Ariſtoteles 3. lib. de moribus vocat ἀρέσκους, quique ſe ad aliorum quaſi nutus accommodant, quod quidem eſt animi puſilli, & abjecti.
Unde Martialis,

Bellus homo atque idem magnus vis,
Cotta, videri,
Sed qui bellus homo eſt, Cotta, puſillus homo eſt.

DE LESBIA. Carmen LXXIX.

GELLIUS eſt pulcher: quidni? quem Lesbia malit,
Quàm te, cum tota gente, Catulle, tua.
Sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullum,
Si tria notorum ſuavia repererit.

INTERPRETATIO.

GELLIUS *eſt lepidus. Cur non? quem ſcilicet Leſbia potiùs eligat quàm te, ô Catulle, cum omni cognatione tuâ. At verò nihilominus venundet Catullum cum omni familia ſua, ſi tria ad ſummum invenerit amicorum oſcula.*

ANNOTATIONES.

1. *Gellius eſt pulcher.*] Gellium rivalem ab amica ſibi prælatum tanquam obſcurum, impurum, amicorum inopem, & indignum inſectatur.

4. *Si tria notorum ſuavia.*] Si tres poſſit reperire notos, ſeu amicos, qui velint ipſum agnoſcere, & ut amicum oſculari. Significat Gellium etſi pulchrum, ita turpem & impurum haberi, ut omnes eum oſculari refugerent.

AD GELLIUM. Carmen LXXX.

Quid dicam, Gelli, quare roſea iſta labella
 Hibernâ fiant candidiora nive?
Mane domo cùm exis: & cùm te octava quiete
 Et mollis longo ſuſcitat hora die:
Neſcio quid certè eſt: an verè fama ſuſurrat:
* * * * * *
* * * * * *
* * * * * *

Interpretatio.

Vis ut dicam, ô Gelli, cur hæc tua rubicunda labra nive hyemali fiant pallidiora. Quando manè egrederis ex ædibus tuis, & quando hora octava diebus æſtivis te excitat è ſomno placido. Neſcio profectò quid hoc eſt, & utrum verum fama obmurmurans loquatur

* * * * *
* * * * *
* * * * *
* * * * *
* * * * *

AD JUVENTIUM. Carmen LXXXI.

Nemone in tanto potuit populo eſſe, Juventi,
 Bellus homo, quem tu diligere inciperes?
Præterquam iſte tuus moribundâ ſede Piſauri
 Hoſpes, inauratâ pallidior ſtatuâ,
Qui tibi non cordi eſt, quem tu præponere nobis
 Audes? Ah neſcis, quod facinus facias.

Interpretatio.

O Juventi, *an nullus eſſe potuit formoſus vir in tanta populi Romani multitudine, quem tu amare inchoareſ niſi unus iſte tuus hoſpes ex urbe morboſa Piſauro, deaurato pallidior ſimulachro. Qui modò tibi acceptus eſt: quem tu non dubitas nobis præferre. Aſt ignoras quodnam ſcelus admittas.*

Annotationes.

1. *Nemone.*] Invidiâ forſan ductus Poëta *Juventium* adoleſcentem reprehendit, quòd Piſaurenſis cujuſdam hominis pallidiſſimi, ſpretis reliquis omnibus, amore detineretur. Quis autem fuerit ille Juventius dictum eſt Carmine XLVIII.

3. *A ſede Piſauri.*] *Piſaurus* ſeu *Piſaurum* urbs eſt Umbriæ maritima ad flumen ejuſdem nominis ob aëris inſalubritatem apud omnes malè audiens: unde vocat eam Catullus *moribundam.*

4. *Inauratâ pallidior ſtatuâ.*] Aurum ſuapte naturâ pallidum eſt. Cujus rei cauſam rogatum aliquando Diogenem reſpondiſſe ferunt: aurum non immeritò pallere, cùm tam multos undique habeat ſibi inſidiantes. Porrò de pallore auri Catullo familiaris eſt loquendi modus, ut ſuprà.

Quanto ſæpè magis fulgore expalluit auri.

AD QUINCTIUM. Carmen LXXXII.

Quincti, ſi tibi vis oculos debere Catullum,
Aut aliud, ſi quid carius eſt oculis:
Eripere ei noli, multò quod carius illi
Eſt oculis, ſeu quid carius eſt oculis.

Interpretatio

O Quincte, *ſi cupis Catullum oculos ſuos tibi debere, aut quidvis aliud, ſi aliquid eſt oculis carius, noli ipſi rapere id quod longè ipſi carius eo quod eſt oculis carius, ſi aliquid eſt oculis carius.*

Annotationes.

1. *Quincti, ſi tibi vis.*] Lepidè Catullus agit cum Quinctio, qui ſibi amicam præripere cupiebat. Jocosè itaque eum admonet, & lepidè, ut ab incœpto deſiſtat, ſi ipſe quoque vult amari.

3. *Quod carius illi.*]. Noli eripere illud quod eſt carius eo quod eſt oculis ipſis carius, ſi quid eſt etiam oculis carius.

DE LESBIÆ MARITO. Carmen LXXXIII.

Lesbia mî, præſente viro, mala plurima dicit.
Hoc illi fatuo maxima lætitia eſt.
Mule, nihil ſentis; ſi noſtri oblita taceret,
Sana eſſet: quod nunc gannit, & obloquitur,
Non ſolùm meminit: ſed, quæ multò acrior eſt res:
Irata eſt: hoc eſt uritur, & loquitur.

Interpretatio.

Lesbia, *adſtante & ſpectante marito ſuo, innumera maledicta congeris in me. Iſtud ſtulto illi ingens dat gaudium. Nihil ſenſu percipis, ô fatue; ſi Lesbia mei immemor de me ſileret*, ab amore benè valeret: ſed *quia jam blaterat & oblatrat, non modò mei recordatur, verùm etiam, quod longè pejus eſt, irata eſt, id eſt, amore mei ardet, &.* quòd eam deſeruerim, *mihi malè dicit.*

Annotationes.

1. *Lesbia mi, præſente viro*] Lesbiæ maritum deridet, qui cum ipſum multa de Catullo irato animo dicere videret, gaudio exultabat, ratus ex his maledictis ſuam ſibi poſteà Lesbiam totam fore, neque amplius Catullo da turam delicias, quem jam tantopere exoſum haberet. At Catullus longè aliter rem ſe habere dicit. Si Lesbia, inquit, mei amorem ſeriò depoſuiſſet, tum me ne nominaret quidem; nunc autem cùm tam ſæpè mihi maledicat; hoc ipſo indicat ita ſe uri, ut tacere non poſſit. Quod ſanè de Lesbia hîc dicit Poëta, illud abſolutè de toto ejuſmodi mulierum genere poteſt affirmari.

3. *Mule, nihil ſentis.*] *Mulus* hîc ſumitur pro fatuo: unde mulos omninò ipſos non dubitem fuiſſe qui hoc loco *mulum*, ut nomen proprium viri acceperunt.

DE ARIO ASPIRANTE. Carmen LXXXIV.

CHOMMODA dicebat, ſiquando commoda vellet
Dicere, & hinſidias Arius inſidias.
Et tum mirificè ſperabat ſe eſſe locutum,
Cum quantum poterat, dixerat hinſidias.
Credo ſic mater, ſic Liber avunculus ejus,
Sic maternus avus dixerit, atque avia.
Hoc miſſo in Syriam, requierant omnibus aures,
Audibant eadem hæc leniter, & leviter.
Nec ſibi poſtilla metuebant talia verba,
Cum ſubitò affertur nuntius horribilis:
Ionios fluctus, poſtquam illuc Arius iſſet,
Jam non Ionios eſſe, ſed Hionios.

INTERPRETATIO.

ARIUS *pronuntiabat chommoda, ſi cuperet interdum proferre illud vocabulum, commoda, ac inſidias efferebat ut, hinſidias; ac tunc putabat ſe mirabiliter dixiſſe, quando totis viribus aſpirando pronuntiaverat, hinſidias.* Ut *puto, ita parens ejus, ita Liber ejus avunculus, ita avus maternus, & avia ipſius pronuntiaverit. At poſtquam in Syriam miſſus eſt* à Senatu, *omnibus aures conquieverant, iſta eadem audiebant,* non aſperè, *ſed molliter & ſine aſpiratione: neque poſt illud tempus ſibi timebant ab ejuſmodi vocabulis aſpiratis; quando horrendum repentè defertur nuntium, Ionium mare à tempore quo Arius per illud tranſiſſet, non amplius dici Ionium, ſed Hionium.*

ANNOTATIONES.

1. *Chommoda dicebat.*] Arrium quemdam dictionibus quibusdam, quibus opus minimè erat, aſpirationem addentem carpit: is namque *chommoda*, *hinſidias*, *Hionios* fluctus præter uſum Grammatices cum aſpiratione pronuntiabat. De hoc autem Epigrammate vide Angelum Politianum lib. Miſcellan. cap. 19. & Scaligerum lib. 1. de Cauſis Linguæ Lat. cap. 45. Plures inveniuntur olim fuiſſe apud Romanos nomine Arii. Quinti Arii meminit Pædianus argumento Ciceronianæ Declamationis.

5. *Liber avunculus ejus.*] Cognomento *Liberi* dicti ſunt apud Romanos, qui exſecto matris utero editi ſunt in lucem, ſi fides adhibeatur Tertulliano lib. de Anima. Conſtat autem gentem fuiſſe apud Romanos, cujus eſſet cognomen *Liberi*.

7. *Hoc miſſo in Syriam.*] Cum Arius à Senatu vel ab alio eſſet *in Syriam* miſſus requieverant omnibus aures, quæ illâ aſpiratione amplius non offendebantur.

9. *Poſtilla.*] Poſteà. Terent. Phorm.

Neque poſtilla unquam attigit.

Plaut. Curcul.

—— *Sed eum, qui mihi vendidit illum,*
Nunquam poſtilla vidi. ——

Veteres autem tribus modis præpoſitionem *poſt* compoſuerunt, *poſtea*, *poſtilla*, *poſtinde*.

11. *Ionios fluctus.*] Mare *Ionium* illud eſt quod Græci in Siculum & Creticum dividunt, ut Plin. lib. 4. cap. 2. docet. Servius autem lib. 3. Æneid. dicit *Ionium* mare dividi in Adriaticum, Achaïcum, Epiroticum & Siculum. Hujus Epigrammatis meminit Quintilianus lib. 1. Inſtitut. Orator.

DE AMORE SUO. Carmen LXXXV.

ODI, & amo, quare id faciam fortaſſe requiris.
Neſcio: ſed fieri ſentio, & excrucior.

INTERPRETATIO.

ODIO *habeo, ſimulque* quandam puellam *diligo. Cur ego hoc agam, forſan à me quaris. Ignoro, verùm hoc eſſe ſentio, & torqueor.*

ANNOTATIO.

1. *Odi & amo*] Ingenium & mores Lesbiæ dicit ſe odiſſe; amare autem formam illius & venuſtatem. Hoc ferè imitatur Martialis.

Non amo te, Sabidi, nec poſſum dicere quare.
Hoc tantùm poſſum dicere, non amo te.

DE QUINCTIA, & LESBIA.
Carmen LXXXVI.

QUINCTIA formoſa eſt multis: mihi candida, longa,
Recta eſt. Hoc ego, ſic ſingula confiteor.
Totum illud, formoſa, nego; nam nulla venuſtas,
Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.
Lesbia formoſa eſt: quæ cum pulcherrima tota eſt,
Tum omnibus una omneis ſurripuit Veneres.

INTERPRETATIO.

QUINCTIA *pluribus videtur pulchra, mihi verò nitida, procera, recta videtur. Id ego non inficior. Ita fateor ſingula. At iſtud totum, pulchra, inficior. Nullus enim lepor, nulla pulchritudo, nulla eſt mica ſalis in tam procero corpore. Leſbia pulchra eſt; quæ quoniam eſt tota formoſiſſima, cunctas cunctis mulieribus ſola abſtulit Veneres.*

ANNOTATIONES.

1. *Quinctia formoſa eſt.*] *Quinctiam* quandam, etſi ſatis benè conformato corpore, formoſam eſſe negat; quòd inſipida ſit & inſulſa. Lesbiam verò ſic Quintiæ comparat, ut non eam tantùm ipſi, ſed omnibus etiam aliis anteponat.

4. *Non eſt mica ſalis.*] Dicitur in infacetos, fatuos & ſtupidos: ut enim *ſal* primum, maximéque commune condimentum eſt, metaphoricè etiam de omni vitæ lepore & hilaritate dicitur. Atque etiam hinc *inſulſa* dicitur oratio, quæ nihil habeat leporis, & *inſulſus* homo, qui moribus eſt inelegantibus. Contra verò *ſalſum* dicitur dicterium, quòd acrimoniâ quâdam mordeat, & *ſales* vocari feſtiviter & argutè dicta, non ſine quadam illecebra mordacitatis. Seneca verò non vult *ſales* noſtros eſſe dentatos.

6. *Omnes ſurripuit Veneres.*] Omnem leporem; cùm omnis gratia in unica appareat Lesbia, omnibus cæteris omninò mulieribus omnes ſurripuit venuſtates. Sic Fab. Quintilian. lib. 11. Iſocratem omnes dicendi *veneres* conſectatum fuiſſe dicit.

IN GELLIUM. Carmen LXXXVII.

* * * * * *
* * * * * *

Quid facit is, patruum, qui non ſinit eſſe maritum?
Ecquid ſcis, quantum ſuſcipiat ſceleris?
Suſcipiat, ô Gelli, quantum non ultima Tethys,
Non genitor Nympharum abluit Oceanus.
Nam nihil eſt quicquam ſceleris, quod prodeat ultra;
* * *

INTERPRETATIO.

* * * * * * * * * * *O Gelli quidnam agit ille, qui nonpermittit patruum ſuum conjugem eſſe? Numquid ſcis, quàm magnum crimen committat? Tantum crimen committit, ô Gelli, quantum nec tota Tethyos aqua nec Oceanus Nympharum pater poſſit eluere. Non enim aliud crimen eſt, quod iſtud ſuperet.* * * *

ANNOTATIONES.

1. *Quid facit is, Gelli.*] *Gellium* inſectatur prodigioſâ admodum libidine infamem, utpote qui matrem, ſororem, patrui uxorem, patruumque ipſum, aliaſque cognatas puellas unus contaminaret.

5. *Non ultima Tethys.*] Tam infandum & execrabile ſcelus eſt, ut omnibus omninò aquis Oceani non poſſit ablui. Putabant enim Veteres crimina marinis aquis expiari: quod etiam indicat Cicero Orat. pro Sextio Roſcio. Euripides:

Θάλασσα κλύζει πάντα τῶν ἀνθρώπων κακά.

Mortalium mala omnia abluit mare.

DE GELLIO. Carmen LXXXVIII.

Gellius eſt tenuis; quidni? Cui tam bona mater,
Tamque valens vivat, tamque venuſta ſoror,
Tamque bonus patruus, tamque omnia plena puellis
Cognatis. quare is deſinat eſſe macer?
Qui ut nihil attingit, niſi quod fas tangere non eſt,
Quantum vis quare ſit macer, invenies.

INTERPRETATIO.

Gellius *eſt macer; cur non? cur ille ceſſaret eſſe macilentus & tenuis? cui ſcilicet adeo benigna parens eſt, & adeo robuſta, & lepida ſoror, atque adeo humanus & liberalis patruus, cui cum ita denique adeo ſunt repleta fœminis propinquis. Qui quia nihil tangit, niſi id quod ipſi contingere non licet; inde tibi ſatis ſuperque compertum erit, cur ſit macilentus.*

ANNOTATIO.

1. *Gellius eſt tenuis.*] Hujus Epigrammatis argumentum ex ſuperiori manifeſtum eſt. Dicit enim Poëta mirandum non eſſe, ſi Gellius exili, & attenuato ſit corpore, qui ex immodico Veneris uſu maciem non contrahere non poſſit.

IN EUMDEM. Carmen LXXXIX.

NASCATUR Magus ex Gellî, matriſque nefando
  Conjugio, & diſcat Perſicum aruſpicium.
Nam Magus ex matre & gnato gignatur oportet,
  Si vera eſt Perſarum impia relligio.
Gnatus ut accepto veneretur carmine Divos
  Omentum in flamma pingue liquefaciens.

INTERPRETATIO.

MAGUS *oriatur ex Gellii, ejuſque matris inceſtuoſo connubio, & Perſicam aruſpicinam ediſcat. Nam oportet ut magus è matre & filio naſcatur, ſi vera eſt nefanda religio Perſarum. Ut in lucem editus grato carmine Deos veneretur omentum obeſum igne liqueſaciens.*

ANNOTATIONES.

1. *Naſcatur magus*] Hoc quoque Epigrammate, quod quibuſdam in libris cum ſuperiore connexum legitur, deteſtatur nefariam Gellii cum matre & ſorore libidinem; dicitque ex eorum concubitu magum aliquem naſci oportere; ſi Perſarum religio vera ſit; qui ejuſmodi corporum commixtiones licitas eſſe putant; adeoque bonum magum non poſſe exiſtere; niſi quem à filio compreſſa ediderit mater. *Magi* Perſarum Lingua hi ſunt, quos Græci Philoſophos, Galli Druidas, Ægyptii Prophetas, nos Sapientes appellamus.

2. *Perſicum aruſpicium.*] *Aruſpicium* dicitur extorum inſpectio: unde aruſpex ex hara & ſpecio. Declarat quomodo naſcatur magus apud Perſas, & quodnam ſit ejus officium, ſcilicet omento & carmine Numina placare.

6. *Omentum in flamma.*] Ritus erat & conſuetudo Veterum in ſacrificiis, ut quas hoſtiæ partes adolerent, eas *omento* & adipe operirent, ut faciliùs arderent, pinguedine ignem alente.

IN GELLIUM. Carmen. XC.

NON ideò, Gelli, ſperabam te mihi fidum
  In miſero hoc noſtro perdito amore fore:
Quòd te cognôſſem bene, conſtantemque putarem,
  Aut poſſe a turpi mentem inhibere probro:

INTERPRETATIO.

O GELLI, *non proptereà confidebam te mihi futurum eſſe fidelem in iſto noſtro infelici & calamitoſo Leſbiæ amore; quòd te probè noviſſem, & te crederem eſſe conſtantem, vel te poſſe animum cohibere ab infami* patrando *fa-*

ANNOTATIO

1. *Non ideo Gelli.*] Præclari hujus Epigrammatis, & mirabili quâdam ad odium conciliandum arte facti ſenſus hic eſt. Non ideò, inquit, ſperabam, ô Gelli, te mihi in miſero hoc meo in Leſbiam amore fidum futurum, quia

Sed neque quòd matrem, nec germanam eſſe videbam
Hanc tibi, cujus me magnus edebat amor.
Et quamvis tecum multo conjungerer uſu,
Non ſatis id cauſæ credideram eſſe tibi.
Tu ſatis id duxſti: tantum tibi gaudium in omni
Culpa eſt, in quacumque eſt aliquid ſceleris.

INTERPRETATIO.

cinore: verùm quia ſciebam tibi nec eſſe matrem, neque ſororem iſtam puellam, *cujus ingens urebat me amor, & quanquam longâ tecum eram verſatus conſuetudine, non tamen putaveram hoc tibi ſufficere, ut ſcelus etiam in me admitteres. Sed tu hoc ſufficere exiſtimaſti, tanta tibi voluptas eſt in quocumque delicto eſt aliquid flagitii.*

ANNOTATIO.

te conſtantem eſſe putarem; ſed potiùs quia illam puellam, cujus amor me conſumebat, neque matrem tibi eſſe, neque ſororem videbam, quia cum in matrem & ſororem libidine tuâ abuteretis; in alias verò temperantem te fortaſſe crediderim, nihil à te mihi metuendum eſſe arbitrabar, & licèt me magno tecum amicitiæ uſu conjunctum cogitarem; non tamen id ſufficere putavi: ut inde tibi ſatis magnam faciendæ mihi injuriæ cauſam eſſe duceres, qui nullum in te, niſi palmarium ſcelus ſuſciperes. At tu, ne ullam aliquando ſceleratè agendi occaſionem prætermiſiſſe videreris, noſtram ipſam amicitiam idoneam ſatis ad ſcelus tibi cauſam putaſti; utpote cui ſummum ſit ſemper gaudium in quacumque culpa plena ſceleris.

6. *Edebat amor*] Virgilius qui paſſim Catullum imitatur, ait:

Hic quos durus amor crudeli tabe peredit.

Et alibi,

——— *Eſt mollis flamma medullas.*

DE LESBIA. Carmen XCI

LESBIA mî dicit ſemper malè, nec tacet unquam
De me: diſpeream, me niſi Lesbia amat.

INTERPRETATIO.

LESBIA *jugiter mihi obtrectat, neque uſquam ſilet de me. At peream, ſi*

ANNOTATIONES.

1. *Leſbia mi dicit.*] Eſt ejuſdem penè argumenti hoc Epigramma cum illo ſuperiore num. 83 *Leſbia mi præſente viro.* Hîc porrò Catullus iram & convicia in muliere ſignum amoris eſſe docet, quod per ſeipſum verum eſſe confirmat. Quanquam enim ipſe de *Leſbia* aſſidue male dicit, & ipſam perpetuò videtur execrari; vehementer tamen illam deperit. Sic etiam licèt Catullo maledicat Leſbia, plurimùm tamen illum diligit. Idem, quod Catullus, aſſerit Propert.

Nimirum veri dantur mihi ſigna caloris.
Nam ſine amore gravi fœmina nulla dolet.

Quo ſigno? quaſi non totidem mox deprecor illam
Aſſiduè: verùm diſperam, niſi amo.

INTERPRETATIO.

Leſbia me non diligit. Quonam illud tu noſti indicio? Inquis. quaſi verò non ſemper eadem maledicta in ipſam regero: nihilominus tamen peream, ſi ipſam non amo.

ANNOTATIO.

3. *Deprecor illam.*] Aulus Gellius lib. 6. cap. 12. verbum illud, *deprecor*, interpretatur, *deteſtari*, *deſpuere* & *exſecrari*: quod quidem non probatur. Dicit enim Catullus ſe quoque viciſſim Lesbiæ malè dicere, & tamen illius amore flagrare.

IN CÆSAREM. Carmen XCII.

Nil nimium ſtudeo, Cæſar, tibi velle placere:
Nec ſcire utrum ſis albus an ater homo.
* * * *

INTERPRETATIO.

O Cæsar, *non curo tibi nimis placere velle, neque noſſe an tu vir ſis candidus an niger.* * * * * * * * * * * * * * *

ANNOTATIONES.

1. *Nil nimiùm ſtudeo.*] Cæſarem in mares ita pronum, ut ſolâ allocutione exarderet, carpit, cui ſe nolle placere affirmat.

2. *Albus an ater homo.*] Mirum ſibi Cæſaris contemptum his verbis eſſe ſignificat Poëta. Hunc porrò locum Quintilianus lib. 2. laudat his verbis: *Negat*, inquit, *ſe magni facere aliquis Poetarum, utrum Cæſar ſit albus an ater homo.* Proverbialiter autem hoc dictum eſt etiam à Cicerone Philip. 2. *Et quidem*, inquit, *Vide quàm te amarit is, qui albus aterne fuerit ignorans fratris filium præterit.* Sic etiam Plaut. Pſeud.

Quem ego hominem nullius coloris novi.

Phædrus in Fabulis.

Unde illa ſcivit nigra an alba naſcerer?

D. Hieronymus lib. contra Helvid. *Quare balbutis & erubeſcis? Albus, ut aiunt, aterne ſis, neſcio.*

DE SMYRNA CINNÆ POETÆ.

Carmen XCIII.

Smyrna mei Cinnæ nonam poſt denique meſſem,
Quam cœpta eſt, nonamque edita poſt hiemem,
Millia cum interea quingenta Hortenſius uno
* * *
Smyrna cavas Atracis penitus mittetur ad undas,
Smyrnam incana diu ſæcula pervoluent.
At Voluſii annales *
Et laxas ſcombris ſæpe dabunt tunicas.
Parva mei mihi ſunt cordi monimenta laboris.
At populus tumido gaudeat Antimacho.

INTERPRETATIO.

Smyrna *tandem* ſodalis *mei Cinna omiſſa eſt in lucem poſt novem æſtates, & poſt novem hyemes, quàm inchoata eſt dum interim Hortenſius uno* conſiſtens in pede ructat *quingenta millia* carminum. *At Smyrna penetrabit uſque ad aquas profundas Atracis fluvii. Tempora perpetua Smyrnam* Cynnæ *volutabunt. Sed Voluſii Annales* intra urbem ipſam Paduam peribunt, *& frequenter præbebunt latas veſtes ſcombris. Pauca ſcripta mei Cinnæ mihi placent. Turba* verò *delectetur*, quantum voluerit, *inflato Antimacho.*

ANNOTATIONES.

1. *Smyrna mei Cinnæ.*] *Cinnæ* Poëma, quod per totos novem annos elaboraverat, & *Smyrnam* inſcripſerat, Catullus commendat, Annalibuſque Hortenſii & Voluſii longè anteponit. Hunc verò *Cinnam* in tumultu illo, quem contra Cæſaris interfectores concitaverat Antonius occiſum fuiſſe plures exiſtimant

2. *Nonamque poſt hyemem.*] Id eſt, novem poſt annos. Sicut eſt Horatii præceptum,

—— *Nonumque prematur in annum.*

Quintilianus etiam *Cinnæ Smyrnam* novem annis compoſitam fuiſſe teſtatur. Poëtæ enim vulgò anni tempeſtates, ut ver, hyemem, meſſem ponunt pro annis integris · ut videre eſt hoc loco

5. *Atraca mittatur ad undas.*] *Atrax* oppidum eſt & fluvius Theſſaliæ; de quo Plin. lib. 4. capp. 2. & 8.

6. *Incana ſecula.*] *Annoſa & valdè cana.*

8. *Scombris dabunt tunicas.*] Involucra & tegomenta; ſic & Martialis:

Scombris tunicas dabis moleſtas. ——

Hoc autem exitium carminibus ſuis minantur omnes ferè Poëtæ. Perſius.

Nec ſcombros metuentia carmina, nec thus.

10. *Gaudeat Antimacho.*] *Antimachus* Grammaticus fuit & Poeta Colophonius, ut teſtatur Suidas, cujus etiam meminit Quintilianus lib. 10. Inſtitut. Orator. Hunc etiam Horatius in Arte Poëtica notavit; qui cùm bellum Thebanum exorſus eſſet viginti & quatuor volumina confecit, antequam Duces Thebas duceret. *Tumidus* porrò vel ob ſtilum, vel ob operis magnitudinem dicitur Catullo, qui videtur Voluſium *Antimachi* nomine appellare ob garrulitatis ſimilitudinem: ut ob Poëmatis ſimilitudinem ſe Romanum vocavit Callimachum.

AD CALVUM DE QUINCTILIA.

Carmen XCIV.

Si quicquam mutis gratum acceptumve ſepulchris
  Accidere à noſtro, Calve, dolore poteſt,
Cùm deſiderio veteres renovamus amores,
  Atque olim miſſas flemus amicitias:
Certe non tanto mors immatura dolori eſt
  Quinctiliæ, quantùm gaudet amore tuo.

Interpretatio.

O Calve, *ſi aliquid ex mærore noſtro poteſt evenire jucundum vel ſuave ſilentibus mortuorum manibus, dum veteres priſtinas integramus amicitias, amoreſque quondam depoſitos lugemus: profecto Quinctilia, non tàm doles prematurum obitum* ſuum *quàm lætatur tuo in ſe ardore.*

Annotationes.

1. *Si quidquam.*] *Calvi* Poëtæ officium pietatemque in deploranda *Quinctilia* puellæ, quam vivam amaverat, præmatura morte commendat, atque, quòd ſi ex dolore noſtro, ſeu ex iis, quæ bie geruntur mortuis gratum aliquid poteſt accidere, non tantùm Quinctilia doluit de præmatura morte, & acerbo interitu ſuo; quantum læta-ta eſt, quòd tam impensè a *Calvo* amaretur, qui dolorem etiam ſuum Elegiis teſtatus eſt.
Hac ipſa de re Propertius lib. 2, Eleg. ul:ima.

Hoc etiam docti confeſſa eſt pagina Calvi,
Cùm caneret miſera funera Quinctilia.

Muta porrò *ſepulchra* ſumit hic Catullus κατ᾽ ἀντίθεσιν pro mortuis ſilentibus, ſeu pro ſilentio mortuorum, ſicut infrà Carmine XCIX.

Et mutum nequicquam alloquerer cinerem.

5. *Mors immatura.*] *Immatura mors* & acerba dicitur, quæ ante diem fati, vel naturæ advenerit. Tribus enim ex Servio vita continetur humana: naturâ ſcilicet, fato, fortunâ. Naturæ ultra centum & viginti ſolſtitiales annos conceſſum nihil eſt. Fato verò nonaginta anni, hoc eſt, tres Saturni curſus dantur; niſi fortè ſtellarum aliarum benignitas Saturni ſuperet curſum.
Unde illud Horatii:

Me Iovis impio tutela Saturno
Eripuit, volucriſque fati tardavit alas.

Ad fortunam ſeu caſum omnia pertinent, quæ extrinſecus ſunt ad ruinam, Incendia . naufragia, venena, &c.

DE ÆMILIO. Carmen XCV.

NON, ita me Dii ament, quicquam referre putavi,
  Utrumne os, an culum olfacerem Æmilio.
Nil immundius hoc, nihiloque immundius illud.
  Verùm etiam culus mundior & melior.
Nam ſine dentibus eſt; hoc denteis ſeſquipedaleis,
  Gingivas verò ploxemi habet veteris.
* * * *
  * * *
* * * *
  * * *
* * * *
  * * *

INTERPRETATIO.

NON exiſtimavi aliquid intereſſe, ſic me Superi juvent, an os, an nates odorarer Æmilie: nihil enim eſt ſordidius aut ſpurcius, utriſque Æmilii partibus. Imo verò anus ejus eſt purior, & terſior: caret enim dentibus. Os autem ejus habet dentes unius pedis cum dimidio, & anneſa capſa gingibus. *

* * * *
* * * *
* * * *
* * * *
* * * *
* * * *
* * * *
* * * *

ANNOTATIONES.

1. *Non, ita me Dii ament.*] Æmilium rivalem, quem in amore ſuo ſatis felicem videbat, zelotypiâ ductus Poeta exagitat, ejuſque oris fœditatem & graveolentiam inſectatur.

6. *Ploxemi veteris.*] Quintilian. lib 1. Inſtit. Orat. vocabulum hoc à Catullo circa Padum dicit inventum; quia ſcilicet Catullus ipſe de regione eſſet Tranſpadana Veronenſi: ſed tamen quid ſignificet, non aperit. Feſtus autem ait *ploxemum* veterem eſſe capſulam; & ita Æmilii gingivas comparabit Catullus capſæ veteri a tineis corroſæ & exeſæ.

AD VECTIUM. Carmen XCVI.

IN te ſi quicquam, dici pote, putide Vecti,
  Id quod verboſis dicitur, & fatuis:

INTERPRETATIO.

O VECTI fœtide, ſi quid contra te proferri poteſt; illud maximè quod

ANNOTATIO.

1. *In te ſi quidquam.*] Vectium hominem putidum & maledicum graviter inſectatur, ejus linguam mordacem dignam eſſe dicit, quæ crepidas, & alia fœda & putida lambat, eumque admonet, ſi familiares ſuos omnes

Iſta cum lingua, ſi uſus veniat tibi, poſſis
  Culos & crepidas lingere carbatinas.
Si nos omnino vis omnes perdere Vecti,
  Dicas; omninò quod cupis efficies.

INTERPRETATIO.

dicitur loquacibus & ſtultis. Tu poſſis lambere illâ tuâ linguâ podices, & calceos ruſticorum ſtercore fœdatos, ſi tibi inde aliqua *contingat utilitas. Si verò nos omnes cupis profligare, loquere, ô Vecti, & prorſus conſequeris id, quod vis.*

ANNOTATIONES.

interficere velit, ut garrulitatem continuet. Simile aliquid eſt apud Terentium in Heautontimor

In me quidvis harum rerum convenit
Quæ dicta ſunt in ſtultum.

4. *Crepidas carbatinas.*] Alii legunt, *carpatinas*. Suidas ſcribit *carbaſinas*. Porrò *carbatina* ſunt ruſticum calceamentum à Caribus populis inventum, ut Pollux & Suidas affirmant. Ariſtoteles verò lib. 2. de Animalibus, ait *carbatinis* camelos calceari. *Carbatina* autem & *crepida* ſunt duo nomina ſubſtantiva quæ ſine copula per appoſitionem ideo ponuntur à Catullo, quia ruſtici immunda & fœda ſemper habent calceamenta, cùm in ſtabulis verſentur.

6. *Dicas; quod cupis efficies.*] Hic jocus eſt Epigrammatis & venuſtas. Si nos, inquit, omnes vis perdere, nullo negotio potes efficere. Loquere tantùm, & ſi ſemel ſermonem tuum audiamus, aſſequeris & efficies quod cupis. Tanta eſt enim oris tui fœdiſſimi ſpurcitia & turpitudo, ut ſimul atque loqui cœperis, nos omnes audientes contagione perdas & inficias.

AD JUVENTIUM. Carmen XCVII.

SUBRIPUI tibi, dum ludis, mellite Juventi:
  Suaviolum dulci dulcius ambroſiâ.
Verùm id non impunè tuli: namque ampliùs horam
  Suffixum in ſumma me memini eſſe cruce.

INTERPRETATIO.

O SUAVISSIME *Juventi, dum oblectareris ſuffuratus ſum tibi oſculum ſuavius ambroſio nectare: ſed hoc non ſine pœna feci. Recordor enim me fuiſſe*

ANNOTATIONES.

1. *Subripui tibi.*] Venuſtiſſimo hoc Epigrammate & lepidiſſimo Juventium, de quo jam ſæpiùs ſuprà, lenire conatur Catullus, qui eum ipſi ſuaviolum ſeu oſculum ſubripuiſſet, vehementer fuerat iratus; unde Poeta apud ipſum ſe excuſans promittit in poſterum ſe nunquam ejuſmodi peccati genus peccaturum.

2. *Dulcius ambroſiâ.*] Nectare & *ambroſiâ* veſci Deos autor eſt Homerus, quem reliqui ſecuti ſunt Poetæ. Utrum verò ſit cibus, an potus, incertum eſt. Alcman Lyricus & Sappho *ambroſiam* potum, nectar cibum affirmant. Notandum autem his etiam nominibus quidquid eſt gratum, jucundumque ſignificari.

Dum tibi me purgo, nec poſſum fletibus ullis
Tantillùm veſtræ demere ſævitiæ.
Nam ſimul id factum eſt, multis diluta labella
Guttis abſterſiſti omnibus articulis:
Ne quicquam noſtro contractum ex ore maneret,
Tanquam commictæ ſpurca ſaliva lupæ.
Præterea infeſto miſerum me tradere amori
Non ceſſaſti, omnique excruciare modo:
Ut mî ex ambroſia mutatum jam foret illud
Suaviolum triſti triſtius helleboro.
Quam quoniam pœnam miſero proponis amori,
Non unquam poſthac baſia ſubripiam.

INTERPRETATIO.

affixum altiſſimo patibulo pluſquam perhieram. Cum apud te me excuſo, nec valeo quibuſcumque lachrymis veſtra duritia tantulùm eximere. Ubi primùm enim id evenit, digitis omnibus deterſiſti labra tua multà aquâ abluta; ne aliquid ſupereſſet inductum ex ore meo, quaſi ſordidum eſſet ſputum alicujus meretricis putida. Inſuper non deſtitiſti infelicem me dedere infenſo amori, & quacumque ratione me torquere; ita ut baſiolum iſtud converſum ex nectare mihi eſſet amarius veratro triſti. Quandoquidem autem conſtituis ejuſmodi infelici meo ardori ſupplicium, nuſquam in poſterum oſcula tibi ſuffurabor.

ANNOTATIONES.

10. *Spurcæ ſaliva lupæ.*] *Lupa* ſumitur hîc ut & ſæpiùs pro muliere perdita ſeu meretrice, ob ſimilitudinem odoris, ut ait Servius in lib. 3. Æneid.

12. *Omnique excruciare modo.*] Nullum modum prætermiſiſti ad me excruciandum, in vindictam oſculi per vim rapti, ut illud mihi prius ambroſiâ dulcius, fieret helleboro amarius.

DE COELIO, ET QUINCTIO.

Carmen XCVIII.

COELIUS Aufilenum, & Quinctius Aufilenam
Flos Veronenſium depereunt juvenum.
Hic fratrem, ille ſororem: hoc eſt, quod dicitur, illud
Fraternum verè dulce ſodalitium.

INTERPRETATIO.

COELIUS *Aufilenum, ac Quinctius Aufilenam perditè amant*, ambo *decus Veronenſis juventutis. Iſte* quidem *deperit fratrem, ille* verò *germanam, ita eſt ſecio-*

ANNOTATIONES.

1. *Cœlius Aufilenam.*] *Cœlium & Quinctium* Veronenſes, quorum alter Aufilenum, alter Aufileni ſororem deperibat, celebrat Catullus, eorumque recenſet amores: maximè verò Cœlio optat in amore felicitatem.

4. *Fraternum ſodalitium*] Proverbialiter dici ſolet ad indicandam inti-

Cui

Cui faveam potiùs? Cœli, tibi: nam tua nobis
Perſpecta exigitur unica amicitia,
Cùm veſana meos torreret flamma medullas.
Sis fœlix, Cœli, ſis in amore potens.

INTERPRETATIO.

tas qua verò jucunda dicitur. Cuinam amborum faveam? Tibi, ô Cœli, tuus enim ſolus amor in me mihi compertus planè fuit, cum ignis inſanus medullas meas exureret. O Cœli, ſis bene fortunatus, & fias in amore voti compos.

ANNOTATIONES.

mam amicorum familiaritatem, eſt inter eos ſodalitium fraternum: hoc eſt, ſunt quaſi duo fratres. Ideo Poeta jocatur, quia cùm frater amet fratrem, alter verò ſororem, videntur fraternæ voluntatis habere revera ſimilitudinem, & meritò de ipſis Proverbium poteſt uſurpari.

6. *Exigitur unica amicitia.*] Nam tua conſtans & firma amicitia mihi cognita cum inſano amore arderem, a me nunc exigit ſeu a me nunc in hoc exigitur, ut tibi, ô Cœli, faveam, potiùs quam Quinctio.

INFERIÆ AD FRATRIS TUMULUM.
Carmen XCIX.

MULTAS per gentes, & multa per æquora vectus
Advenio has miſeras, frater, ad inferias:

INTERPRETATIO.

O GERMANE cariſſime, ego *delatus per varias nationes & longa per maria acceſſi ad iſtas tuas infortunatas Inferias, quò tibi ſupremos funeris ho-*

ANNOTATIONES.

1. *Multas per gentes.*] Amiſſum fratrem, ac in Troiano littore extinctum, ut ſuprà vidimus, cùm ad ejus ſepulchrum longâ navigatione perveniſſet, Epigrammate præſenti deflet Catullus, ejuſque Manibus ſolvit Inferias, ac ultimum valere dicit.

2. *Advenio.*] *Adveni*, reor eſſe legendum: concinnior enim ſenſus eſt; *Adveni, ut donarem*, quam *advenio, ut donarem.*

Inferias.] *Inferiæ* Sacra ſunt mortuorum, quæ Umbris & Inferis ſolvuntur, quæque in exequiis ad honorem vitâ functorum celebrantur. Hæc autem ſacrificia conſtabant liquoribus præcipuè ac victimis. Liquores erant, *aqua, lac, vinum, ſanguis, & unguentum.* Quæ Inferis libabatur *Aqua*, *Arferia*, ſeu *Arferial* dicebatur, teſte Feſto, qui etiam *vinum* his in Sacris uſurpari ſolitum *merum* fuiſſe refert. *Lactis & ſanguinis* meminit Virgilius Æneid. lib. 3.

Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte,
Sanguinis & ſacri pateras, &c.

Unguentorum meminit Propertius lib. 3. Eleg. 14.

Afferet huc unguenta mihi, ſertiſque ſepulchrum
Ornabit cuſtos ad mea buſta ſedens.

Vide etiam Auſonium Epitaph. Carm. XXXVI.

Ut te poſtremo donarem munere mortis,
 Et mutum nequicquam alloquerer cinerem.
Quandoquidem fortuna mihi te te abſtulit ipſum,
 Heu miſer indignè frater adempte mihi.
Nunc tamen interea priſco quæ more parentum
 Tradita ſunt triſtes munera ad inferias,
Accipe fraterno multùm manantia fletu:
 Atque in perpetuum, frater, ave, atque vale.

INTERPRETATIO.

nores darem, ac fruſtrà verbis compellarem reliquias tuas *mutas; quoniam mihi temetipſum fatum eripuit.* O *infelix germane mihi immeritò erepte. Veruntamen nunc ſuſcipe dona ubertim fraternis lachrymis ſtillantia, quæ antèque Majorum* noſtrorum *ritu inſtituta ſunt ad lugubres Inferias* celebrandas; *& in æternum ſalve, frater, & vale.*

ANNOTATIONES.

3. *Ut te poſtremo donarem munere.*] Dicit *poſtremum munus* Poëta noſter *exequias*, quas Virgil. Æneid 11. lib. vocat, *ſuprema munera.*

—— Egregias animas, quæ ſanguine vobis
Hanc patriam peperère ſuo, decorate ſupremis
Muneribus. ——

Quod ſanè poteſt rectè quoque dici de monumentis & ſepulchris. In Hiſpania enim Citeriore ejuſmodi extſtat monumentum:

C. JUL. FABIAN
ANN. XIX.
FABIA. PAULA
AMITA
MUNUS
SUPREMUM.

4 *Et mutum alloquerer cinerem.*] Allocutiones hujuſmodi vocantur ab Euripide προσφθέγματα in Troad. Magnum enim apud Veteres ſolatium videbatur appellare ſæpiùs nomina non reſponſura.

Tibull. lib. 2. Eleg. 8.

Illius ad tumulum fugiam, ſupplexque ſedebo,
Et mea cum muto fata querar cinere.

10. *Ave atque vale.*] Mortuis in tumulo compoſitis, Veteres ſolebant inclamare, *Salve, & vale*; vel etiam illud *vale* ter repetere.

Virgil. lib. 11. Æneid.

—— Salve æternum mihi maxime Palla,
Æternumque vale. ——

In quem locum Servius ait: *Varro in libris Logiſtoricis dicit, ideò mortuis ſalve & vale dici, non quòd aut valere, aut ſalvi eſſe poſſint, ſed quòd ab his recedimus eos nunquam viſuri. Hinc ortum eſt, ut etiam maledicti ſignificationem interdum vale obtineat, ut Terentius; valeant qui inter nos diſſidium volunt, hoc eſt, ita à nobis recedant, ut nunquam ad noſtrum revertantur aſpectum. Ergo cùm mortuo vale dicitur, non etymologia conſideranda eſt, ſed conſuetudo, quòd nullis vale dicimus, niſi à quibus recedimus.*

Solebant autem ad poſtremum *vale*, plerumque ſubjungere hæc verba: NOS TE ORDINE, QUO NATURA PERMISERIT, SEQUEMUR.

Ita vetus Inſcriptio.

VALE. ET. SALVE. ANIMA. O. OPPIÆ.
FELICISS. NOS. EO. ORDINE. QUO.
NATURA. PERMISERIT. TE SEQUEMUR.
VALE. MATER. DULCISSIMA.

AD CORNELIUM. Carmen C.

Si quicquam tacitò commiſſum eſt fido ab amico,
Cujus ſit penitùs nota fides animi.
Meque eſſe invenies illorum jure ſacratum,
Corneli, & factum me eſſe puta Harpocratem.

INTERPRETATIO.

S*i quid* unquam *ab amico fideli creditum eſt* alteri amico *tacenti* arcana ſibi commiſſa, *cujus fidelitas animi ſit planè cognita: O Corneli, me etiam reperies iſtorum religione eſſe conſecratum, atque exiſtima me eſſe factum Harpocratem.*

ANNOTATIONES.

1. *Si quicquam tacito.*] Cornelio fidem ſuam ſpondet, invictamque adeò taciturnitatem, ut nunquam arcana ſibi commiſſa ſit revelaturus.

3. *Jure ſacratum.*] Id eſt, quaſi Sacramento Religionis adactum. Verbo myſtico Catullus utitur, quia agitur de ſilentio, quod myſteriorum eſt proprium. Sic primis Eccleſiæ ſæculis inter Chriſtianos ii dicebantur *Sacrati*, ſeu *Initiati* & *Signati*, quibus Crucis ſignaculum Chriſmate fuerat in fronte prænotatum.

4. *Harpocratem.*] Apud Ægyptios *Harpocrates* Deus ſilentii habebatur; cujus ſimulachrum in Templis Iſidis & Serapidis erat, quod digito labiis impreſſo videbatur admonere ſilentium eſſe ſervandum. Huic Deo menſe Meſori, hoc eſt, Auguſto, legumina offerebant. De hoc porrò ſilentii ſymbolo jam ſuprà Catullus:

Et patruum reddidit Harpocratem.

AD SILONEM. Carmen CI.

Aut ſodes mihi redde decem ſeſtertia, Silo,
Deinde eſto quamvis ſævus & indomitus.
Aut, ſi te nummi delectant, deſine quæſo
Leno eſſe, atque idem ſævus & indomitus.

INTERPRETATIO.

O Silo, *vel reſtitue mihi, quaſo, decem ſeſtertia, & poſteà ſis ferus & implacabilis quantum volueris: vel ſi te nummi oblectant, ceſſa, oro, eſſe leno, atque etiam minax & ferox.*

ANNOTATIO.

1. *Aut ſodes, Silo.*] Monet Catullus *Silonem*, cui decem ſeſtertia mutuo dederat, ut ſibi mutuatam pecuniam reddat, ac poſtea quantum voluerit ferociùs nummos repoſcenti intermineturi aut ſi reddere nolit, deſinat ſaltem lenocinium facere, ferocire & interminari. *Silones* porrò, Nonio Marcello teſte, à ſuperciliis prominentibus ita dicti fuere. Plures autem leguntur familiæ hujuſce cognominis apud Romanos fuiſſe, maximè verò in gente Sergia, Antonia, Propedia, &c. *ſodes*, pro *ſi audes*, alii volunt eſſe verbum, ut Priſcianus; adverbium alii exhortationem, rogationemve denotans arbitrantur.

AD QUEMDAM DE LESBIA.
Carmen CII.

CREDIS, me potuiſſe meæ maledicere vitæ,
Ambobus mihi quæ carior eſt oculis?
Non potui; nec ſi poſſem, tam perdite amarem:
Sed tu cum Tappone omnia monſtra facis.

INTERPRETATIO.

PUTASNE *me valuiſſe maledicere amica mea, qua mihi longè carior eſt geminis ocellis? non* equidem *valui hoc facere; neque, ſi* quid ejuſmodi *valerem*, eam *tantopere deperirem. At tu cum Tappone omnia facis monſtra.*

ANNOTATIONES.

1. *Credis me potuiſſe maledicere.*] Æmulus Catulli quidam cum Tappone famam vulgaverat in populum, Leſbiam inter & ipſum diſcordias agitari, eumque Lesbiæ *maledixiſſe*, ſeu, ut alii legunt, *vale dixiſſe*, aliòque amorem tranſtuliſſe; quod verum eſſe negat noſter Catullus.

4. *Cum Tappone omnia monſtra facis.*] *Tappones* ſeu *Tappi* familiæ fuerunt cognomines Romæ in gente Valeria, & in gente Villia. T. Livius lib. 25. & 29. & 35. Alii Codices habent, cum Caupone; alii verò legunt;

Sed dum cuncta probas omnia monſtra facis

Monſtra autem *facere* hic nihil eſt aliud, quam incredibilia quæque & turpia confingere, & nimia loquacitate prodigioſa & portentoſa commenta narrare, quod Græci τερατοδ᾽έιν, ſeu τερατολογεῖν dicunt.

IN MENTULAM. Carmen CIII.

MENTULA conatur Pimplæum ſcandere montem,
Muſæ furcillis præcipitem ejiciunt.

INTERPRETATIO.

MENTULA *nititur aſcendere Pimplæum montem*, ſed *Muſa deorſum furcis eum agunt præcipitem.*

ANNOTATIONES.

1. *Mentula Pimplæum*] Ineptum hominem & indoctum, quem alii Formianum illum, de quo jam ſæpiùs, alii alium hoc nomine in contemptum ita appellatum intelligunt, verſus facere tentantem, & Poëticæ facultatis laudes affectantem irridet Catullus, ut pote quem rejiciant Muſæ, tanquam ſit genio ſiniſtro, & pingui Minerva, hoc eſt, ingenio craſſo & ad verſus componendos minimè idoneo. Mons autem Pimplæus locus eſt Heliconi vicinus, *Pimpla* dictus, & Muſis à Thracibus, qui Bœotiam incoluerunt, conſecratus. Sunt qui hoc Epigrammate volunt confiteri Poëtam obſcœna ſe ſcribere voluiſſe, ſed a Muſis, quominus id faceret, fuiſſe ſe prohibitum.

2. *Furcillis.*] A *furca* ducitur *furcilla*. Alii verò à vocabulo, *far*, & verbo *cillere*, quod eſt movere, *furcillas* quaſi *farcillas* dici volunt. Sunt enim *furcillæ* inſtrumenta, quibus frumenta ad ventum à Ruſticis jaciuntur, ſic dicta, quòd his frumenta cillent.

DE PUERO, ET PRÆCONE.
Carmen CIV.

Cum puero bello præconem qui videt eſſe,
Quid credat, niſi ſe vendere diſcupere?

INTERPRETATIO.

Quicumque *cernit præconem jugiter verſari cum pulchro adoleſcente, quid putet, niſi ipſum vehementer exoptare ſe vendere?*

ANNOTATIONES.

1. *Cum puero bello præconem*, &c.] Cum præcones vendendis in auctione rebus adhiberi maximè ſolerent apud Romanos, Poëta formoſum quemdam puerum à præconis conſuetudine revocare cupiens, ait, homines, qui tam frequenter eum cum præcone videant, nihil aliud poſſe cogitare, quàm ipſum velle pudicitiam ſuam ei, qui pluris eam liceatur, addicere.

2. *Vendere diſcupere.*] Mangones Romæ quondam pueros exſectos & in Venerem fractos vendere erant ſoliti. Martial. lib. 1. Epigramm. LIX.

Millia pro puero centum me mango popoſcit.

Diſcupere, valdè cupere, ſicut *diſpudet* pro valdè pudet.

AD LESBIAM. Carmen CV.

Si quicquam cupidoque, optantique obtigit unquam
Inſperanti, hoc eſt gratum animo propriè.
Quare hoc eſt gratum, nobis quoque carius auro:
Quod te reſtituis Leſbia mî cupido.
Reſtituis cupido, atque inſperanti ipſa refers te

INTERPRETATIO.

Si *quid aliquando cupiam non expectanti, cupienti tamen & deſideranti contigit, illud eſt animo verè jucundum; quamobrem iſtud eſt mihi jucundum, atque* ipſo *etiam auro carius, ô Leſbia, quod te mi valdè exoptanti reconcilias. Ipſa te reconcilias & redis mihi diſcupienti; nec* id *expectanti*, O diem

ANNOTATIONES.

1. *Si quicquam.*] Jactatis ultrò citroque jurgiis diſcordiæ Leſbiam inter & Catullum interceſſerant; hoc autem Epigrammate gratulatur ſibi Catullus de reconciliato ſibi Leſbiæ animo; ideoque eò ſibi jucundius eſſe ait, quò minus ſperaverat fore, quo tandem facto negat eſſe quemquam inter homines, qui ſit ſeipſo felicior.

3. *Carius auro*] Hoc quaſi Proverbio dicebant quod ſibi gratiſſimum cariſſimumque eſſe ſignificabant. Tibull. lib. 1. Eleg 9.

Carior eſt auro juvenis, cui lævia fulgent
Ora, nec amplexus aſpera barba terit.

5. *Inſperanti refers te nobis.* Ut præſente nobis, & abſente nobis apud Comicos

Tibullus lib. 3. Eleg. 6.

Perfida, nec meritò nobis inimica merenti;
Perfida, ſed quamvis perfida, cara tamen.

Nobis: ô lucem candidiore notâ!
Quis me uno vivit felicior, aut magis eſt me
Optandus vita, dicere quis poterit?

INTERPRETATIO.

meliore calculo notandam! *quis me uno beatior vitam ducit? Quis eſt qui valebit dicere, quis vivit felicior quàm ego ſolus, vel quis eſt me fortunatior in vita?*

ANNOTATIONES.

6. O *lucem candidiore nota.*] Sicut dicitur *vir magno ingenio*; vel ſic, O *lucem candidiore nota dignam*, vel *ſignandam*. Quod præ nimio affectu Poëta perficere non potuit, alludit ad Cretenſium mores, qui dies felices & lætos albis lapillis ſeu calculis, nigris verò triſtes & infelices notabant. Cujus ritus meminit Plinius libro ſeptimo cap. 40.
Horat. lib. 1. Od. 36.
Creſſâ ne careat pulchra dies notâ.
Perſius Sat 2.
Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Quod etiam eſt imitatus Martialis.
—— *Hanc lucem lactea gemma notet.*

8. *Optandus vitâ.*] Alii legunt, *Aut magis eſt mi optandum in vita.* Noſtra porrò lectio Helleniſmus eſt, quomodo dicitur, *beatus vita, potens divitiis*, μακάριος τῷ βίῳ. Sic in Culice.
Quis magis optato queat eſſe beatior ævo.

IN COMINIUM. Carmen CVI.

Si, Comini, populi arbitrio tua cana ſenectus
Spurcata impuris moribus intereat:
Non equidem dubito, quin primum inimica bonorum
Lingua exacta avido ſit data vulturio:

INTERPRETATIO.

O *Comini, ſi tua alba ſenecta turpibus flagitiis contaminata judicio plebis,* cui tantopere inviſa eſt, *pereat; non ſanè ambigo, quin lingua* tua *omnibus bonis infenſa abſciſſa tradatur vulturi famelico*, quin *corvus tibi erutos oculos*

ANNOTATIONES.

1. *Si, Comini, &c.*] In *Cominium* hominem maledicum & flagitioſum invehitur, qui ſi judicio populi, cui propter maledicentiam inviſus eſt, intereat, ait fore ut a feris & volucribus dilanietur & abſumatur. Fuit autem *Cominius* tabula quidam de foro, & bonis omnibus inviſus accuſator, cujus & Tullius Cicero & Aſconius Orat. pro Cornelio, & pro Cluentio meminerunt.

4. *Sit data vulturio.*] Avis eſt rapaciſſima, quæ cadaveribus paſcitur. De qua Plin. lib. 10. cap. 6.

Effoſſos oculos voret atro gutture corvus,
Inteſtina canes, cætera membra lupi.

INTERPRETATIO.

nigris faucibus devoret, viſcera tua *canes* diripiant, *reliquos artus tuos lupi* diſcerpant.

ANNOTATIO.

5. *Voret atro gutture corvus*, &c.] Simile eſt apud Horat. lib. Epod. Od. 5. v. 99.

Poſt inſepulta membra different lupi,
Et Exquilina alites.

Simile etiam Ovid. in Ibin.

Sive peregrina carpent mea membra volucres,
Sive mea tingent ſanguine veſtra lupi,
Unguibus & roſtro tardus trahet ilia vultur,
Et ſcindent avidi perfida corda canes.

AD LESBIAM. Carmen CVII.

JUCUNDUM, mea vita, mihi proponis amorem
Hunc noſtrum inter nos, perpetuumque fore.
Dii magni, facite, ut verè promittere poſſit:
Atque id ſincerè dicat, & ex animo,
Ut liceat nobis totâ producere vitâ
Alternum hoc ſanctæ fœdus amicitiæ.

INTERPRETATIO.

O *mea lux, mihi promittis amorem iſtum noſtrum ſuavem* ſemper *inter nos & perennem futurum.* O *Divi magni, efficite, ut ſincerè valeat polliceri, & ut illud veraciter dicat, & ſincerâ mente; ut nos poſſimus mutuam ſacri iſtius amoris concordiam per omne vitæ* noſtræ *ſpatium protendere.*

ANNOTATIONES.

1. *Jucundum, mea vita.*] Leſbia cùm in gratiam rediiſſet cùm Catullo, pollicebatur amorem inter ipſos jucundum jam & perpetuum futurum: Unde Poëta Deos orat, faciant, ut Leſbia ſincerè & ſine fictione promittat, & hanc amoris conjunctionem firmam & illæſam ambo per totam vitam ſuam poſſint prorogare.

6. *Alternum hoc ſancta.*] Alii legunt, *æternum*, nos *alternum*, id eſt, *mutuum*, proponimus. Ut Poëta noſter jam ſuprà dixit,

Mutuis animis amant, amantur.

Horat. lib. 2. Od. 12.

——— *Me voluit dicere lucidam*
Fulgentes oculos & benè mutuis
Fidum pectus amoribus.

Idem lib. Epod. Od. 15.

Intonſoſque agitaret Apollinis aura capillos
Fore hunc amorem mutuum.

AD AUFILENAM. Carmen CVIII.

AUFILENA, bonæ ſemper laudantur amicæ,
Accipiunt precium, quæ facere inſtituunt.
Tu quod promiſti mihi, quod mentita inimica es;
Quod nec das, & fers ſæpè, facis facinus.
Aut facere ingenuæ eſt, aut non promiſſe pudicæ,
Aufilena, fuit. Sed data corripere
Fraudando, efficitur pluſquam meretricis avaræ,
Quæ ſeſe toto corpore proſtituit.

INTERPRETATIO.

O *Aufilena*, *amicæ fidæ jugiter prædicantur; quæ* nempè *volunt verè præſtare id, cujus pretium recipiunt. Tu verò invisa mihi es, quia non fecisti* id *quod mihi promiſiſti; frequenter autem ſcelus* idem *admittis, quia non præbes* id, *cujus ſæpè pretium accipis. At verò, ô Aufilena, vel decet ingenuam mulierem adimplere* quod promiſit, *vel probam & caſtam decuit non fuiſſe pollicitam. Verùm in te, quæ dantur corradendo & promiſſa fallendo, plus mali admittitur, quàm ſcorti rapacis* interſit, *quod ſeſe toto proſtituit corpore.*

ANNOTATIONES.

1. *Aufilena.*] Fraudis & perfidiæ arguit Aufilenam proſtratæ penituſque perditæ pudicitiæ mulierem, quæ id, quod ipſi pretio accepto fuerat pollicita, non præſtiterat, ſed promiſſa fefellerat.

3. *Quod promiſti.*] Pro *promiſiſti*, ut *promiſſe*, pro *promiſiſſe*.

AD AUFILENAM. Carmen CIX.

AUFILENA, viro contentam vivere ſolo,
Nuptarum eſt laus è laudibus eximiis.
Sed cuivis quamvis potiùs ſuccumbere fas eſt,
Quam matrem fratres efficere ex patruo.

INTERPRETATIO.

O *Aufilena, inter præcipuas laudes nuptarum* mulierum *ſumma gloria eſt eas vitam degere contentas uno* ſuo *marito. At cuilibet* homini non propinquo *potiùs convenit ſe proſtituere, quantum voluerit, quàm matrem generare fratres ex patruo*, ut tu facis.

ANNOTATIONES.

1. *Aufilena.*] Eandem inſectatur *Aufilenam* ejuſque carpit inceſtos concubitus, quia ſe patruo proſtituerat, ex eoque filios genuerat.

4. *Fratres.*] Patrueles enim *fratres* vocantur patruorum filii: unde iidem Aufilenæ & filii & *fratres* patrueles erant. Ajax Achillem ex patruo natum vocat *fratrem*, apud Ovid. lib. 13. Metamorphoſ.

Frater erat, fraterna peto. ——

IN NASONEM, Carmen CX.

Multus homo eſt, Naſo, (nam tecum multus homo es) qui
Deſcendit? Naſo, multus es & pathicus?

Interpretatio.

O Naſo, an multus homo eſt ille, *qui deſcendit? multus enim homo eſſe tibi videris, O Naſo, multus homo es, & cinædus.*

Annotationes.

1. *Multus homo es.*] Mirum eſt quantum hoc obſcuriſſimum Epigramma Catulli torſerit Interpretes, qui varias, ut huic lumen afferrent, commenti ſunt expoſitiones. Duas nobis referre ſufficiet; quam voluerit Lector eliget, ſi quid melius non habuerit. Vocabulum itaque *multus*, vel hic ab ſolutè dicitur de eo, qui in unaqua que re multus eſt; ita ut pro ſevero tetricoque & moroſo, odioſo & importuno, quem Græci Φορτικὸν dicunt, ſumatur; ut apud Nonium Afranius ait: *Multa es ac moleſta multum.* Sicque hoc Epigramma hunc reddet ſenſum: *Multus es, Naſo, & moleſtus & moroſus & arrogans. An verò tibi videtur multus homo eſſe, qui deſcendit & pathicus eſt.* Mirum enim eſt, ut homo cinædus, & qui omnia omnibus obſequitur, idem quoque arrogans ſit, ſuperbus, aſper, ac difficilis. Alii volunt, ut *multus homo*, hic idem ſit qui & vir eſt & muliebria patitur. Ita enim & vir & fœmina quaſi ſimul eſt, atque adeò certè *multus homo.* Aliis *multus homo* eſt quaſi procerus & magnæ ſtaturæ, qui tamen deſcendat & inclinetur ad libidinem, unde & pathicus dicitur, juxta illud Juvenalis Sat. 10. v. 224.
—— *Quot diſcipulos inclinet Amillus.*

IN CINNAM. Carmen CXI.

Consuli Pompeio primùm duo, Cinna, ſolebant
Mœchi; illi, facto conſule nunc iterùm,

Interpretatio.

O *Cinna, Pompeio primùm* creato *Conſule, duo* tantum *adulteri conſueverant* eſſe Romæ *: at* ipſo *jam rurſùs facto Conſule, remanſerunt* adhuc

Annotationes.

1. *Conſule Pompeio,*] Ad *Cinnam* Catullus inſcribit hoc Epigramma de mirando Romæ mœchorum incremento mœchiturque in illa corrupta tempora, quibus innumera patrabantur adulteria, quorum raritatem ad ſecundum Pompeii Conſulatum fuiſſe ſignificat cùm duo tantùm eſſent alieni lecti Romæ tunc temporis inſeſſores, qui poſtea in immenſam iſtius infamiæ ſegetem, quâ Catulli ætate Roma flagrabat, ſuccreverunt.

tua. 2 : 7 | 3 : 17 | 17 : 5 | 18 : 2 | 30 : 9 | 44 : 6 | 62 : 64 | 63 : 9, 81 | 64 : 218 | 65 : 12, 17 | 66 : 71 | 67 : 14 | 68 : 155 | 75 : 5 | 77 : 8 | 79 : 2 | 98 : 5 | 106 : 2 | 114 : 1,
tuae. 7 : 2 | 55 : 2 |
tuam. 66 : 91 |
tuamque. 9 : 4 |
tuasque. 6 : 1 |
tubam. 63 : 9 |
tuens. 66 : 89 |
tuere. 19 : 18 |
tuetur. 64 : 53 |
tuguria. 19 : 6 |
tui. 13 : 7 | 14 : 11 | 30 : 2, 12 | 61 : 57 |
tuis. 25 : 9 | 61 : 71, 104, 114 |
tulisse. 4 : 19 |
tulistis. 14 : 22 | 28 : 5 | 63 : 16 | 76 : 18 |
tulit. 64 : 99 | 283 : 288 |
Tulli. 49 : 2 |
tum. 1 : 5 | 10 : 3 | 15 : 17 | 16 : 7, 9 | 62 : 37, 45 | 64 : 19, 20, 21, 55, 56, 68, 126, 128, 143, 205, 231, 254, 276, 312, 313, 320 | 66 : 29, 68, 87, 101, 105, 131 | 72 : 3 | 76 : 6 | 84 : 3 | 102 : 3 |
tumido. 93 : 10 |
tumulabor. 64 : 153 |
tunc. 44 : 21 | 66 : 24 |
tundetur. 11 : 4 |
tunica. 68 : 134 |
tunicas. 93 : 8 |
tuo. 4 : 16, 17 | 15 : 3 | 17 : 8, 23 | 23 : 5 | 38 : 1 | 50 : 7 | 56 : 2 | 61 : 116 | 62 : 33 | 66 : 39 | 75 : 4 | 94 : 6 |
tuoque. 64 : 253 |
tuor. 20 : 5 |
tuos. 6 . 16 | 9 : 3 | 48 : 1 |
tuque. 28 . 3 |
turbida. 25 : 4 |
turbine. 64 : 149, 314 | 68 : 63 |
turbo. 64 : 107 |
turgiduli. 3 : 18 |
turpe. 42 : 8 | 68 : 27, 30 |
turpi. 90 : 4 |
turpia. 61 : 103 |
turpiculo. 41 : 3 |
turpis. 42 : 3 |
turpiter. 25 : 11 |
tussim. 44 : 7, 19 |
tussit 44 : 13 |
tuta. 30 : 8 | 64 : 246 |
tute. 20 : 3 | 30 : 7 |
tuti. 64 : 115 |
tuto. 31 : 6 |
tuum. 14 : 13 | 44 : 14 | 61 : 108, 138 | 64 : 163 |
tuumque. 66 : 40 |
tuus. 9 : 8 | 61 : 101, 151, 182 | 62 : 28 | 68 : 34, 96, 117 | 71 : 3 | 81 : 3 |
tympana 63 : 21 | 64 : 261 |
tympanu. 63 : 32 |
tympanum. 63 : 8, 9, 39 |
Tyrio. 61 : 172 |

V.

VAccula. 20 : 14 |
vacua. 64 : 168 |
vacuus. 64 : 288 |
vada. 63 : 47 | 64 : 6, 58 |
vadis. 63 : 31, 86 |
vae. 64 : 196 |
vaga. 61 : 117 | 63 : 13, 25 |
vagari. 46 : 7 |
vagi. 64 : 271 |
vagit. 65 : 17 |
vagu. 63 : 86 | 64 : 225, 277, 336 |
vagus. 63 : 4 | 64 : 186 |
valde. 68 : 77 | 69 : 7 |
vale. 8 : 12 | 90 . 10 |
valeatque. 11 : 17 |
valens. 88 : 2 |
valete. 76 : 25 |
valente. 20 : 20 |
valentem 61 : 234 |
valete. 14 . 21 | 46 : 9 |
valetis. 23 : 7 |
valuisse. 114 : 6 |
valle 68 . 59 |
vanescere. 64 : 199 |
vanit. 46 : 111 |
vappa. 28 : 5 |
varrabunt. 64 : 347 |
varians. 64 : 50 |
varii. 10 : 6 |
vario 46 : 11 | 61 : 93 | 66 : 59 |
Varie. 22 : 1 |
Varrus. 10 : 1 |
vasta. 63 : 48 | 64 : 156 |
vastabit. 64 : 342 |
vastatum. 66 : 12 |
vasto. 31 : 3 |
vastos. 64 : 127 |
Vatiniana. 53 : 2 |
Vatiniano. 14 : 3 |
Vatinius. 52 : 3 |
uber. 46 : 5 |
ubera. 20 : 11 |
ubertim. 66 : 17 |
ubi. 4 : 10 | 11 : 3 | 55 : 2, 15 | 63 : 4, 21, 22, 23, 34, 25, 39, 67, 72, 87 |
ubicunque. 39 : 6 |
ubinam. 63 : 55 |
ubique. 63 : 46 |
udo. 64 : 131 |
vecordem. 40 : 4 |
vecors. 15 : 14 |
vecta. 64 : 121 |
vecti. 96 : 1, 5 |
vectus. 63 : 1 | 99 : 1 |
vegetia. 63 : 41 |
vehement. 50 : 21 |
vel. 12 : 7 | 17 : 6 | 23 : 4 | 25 : 2, 3 | 55 : 9, 21 |
vela. 94 : 235 |
velabat. 64 : 266 | 65 : 17 |
velatum. 64 : 64, 293 |
velim. 20 : 19 | 35 : 2
velit. 12 : 8 | 79 : 24 |
velle. 72 : 2, 8 | 73 : 1 | 75 : 7 | 92 : 1 |
vellem. 54 : 4 |
vellera 64 : 319, 320 |
velles. 6 : 3 |
vellet. 64 : 138 | 84 : 1 |
velut. 11. 22 | 17 : 18 | 25 : 12 | 61 : 21, 106, 194 | 63 : 34 | 64 : 105, 349, 365 | 68 : 63 |

velati. 63:33 |
venas. 66:49 |
vendat. 79:3 |
vendere 104:2 |
venena. 14:19 |
veneni. 23:10 | 44:12 |
venenum. 77:5 |
veneranda. 14:11 |
venererut. 89:5 |
Venerem. 45:16 |
Veneres. 3:2 | 13:12 | 76:6 |
Veneri. 36:3 |
Veneris. 61:44 | 63:17 | 66:56 | 68:10 |
veni. 6:9 |
veniam. 15:2 | 32:3 | 45:7 |
venias. 61:191 |
veniat. 35:3 | 96:3 |
veniens. 68:82 |
venientem. 61:90 |
veniet. 62:4 |
venimus. 10:5 | 31:9 |
venire. 61:122 |
veniret. 4:23 |
venis. 61:102 |
veniſſent. 64:384 |
veniſti. 9:5 |
veniſtine. 9:3 |
venit. 20:20 | 61:18 | 64:85 | 68:64, 144 |
venita. 36:18 |
veniunt. 61:116 |
venter. 44:8 |
venti 64:142 |
ventis, 64:111:213 | 65:17 |
ventitabas. 8:4 |
vento. 25:13 | 64:274 | 70:4 |
ventorum. 64:239 |
ventorumque. 55:28 |
ventos. 30:10 |
ventoſæ. 64:59 |
ventoſum. 64:12 |
ventre. 7:48 |
ventum. 26:5 | 39:2 |
Venus. 55:20 | 61:18, 61, 198, 202 | 66:25 | 68:5 |
venuſta. 31:12 | 88:2 |
venuſtas. 76:8 |
venuſte. 13:6 | 35:17 |
venuſtiorum. 3:2 |
venuſtus. 22:5 |
ver. 46:1 | 68:16 |
vera. 35:11 | 66:18, 72 | 89:4 |
verani. 9:1 | 28:3 |
veraniolo. 47:3 |
veraniolum. 12:17 |
veranius. 12:6 |
verba. 61:98 | 66:29 | 84:9 |
verbera. 63:81 |
verbo. 67:15 |
verboſa. 55:20 |
verboſis. 96:2 |
vere. 8:8, 15 | 11:19 | 19:10 | 20:6 | 64:47, 198 | 75:2 | 80:5 | 98:4 | 107:3 | 113:8 |
vereberis. 20:16 |
verecundæ. 68:136 |
veremur. 15:6 |
veretia. 17:2 |
veri. 66:74 |
veridicos. 64:306 |
veridicum. 64:326 |
verita. 64:400 |
verius. 44:5 |
vero. 66:89 | 95:6 |
Veronæ. 67:34 | 68:27 |
Veronam. 35:3 |
Veronenſium. 98:2 |
verpus 47:4 |
verrentes. 64:7 |
verſantem. 64:149 |
verſarer. 50:12 |
verſatur. 64:167 |
verſiculis. 22:3 |
verſu. 6:17 |
verſus. 22:5 |
vertice. 64:1, 63, 244, 278, 309, 346, 386 | 66:8, 39, 76 | 68:57 |
vertices. 66:62 |
verticibus. 64:297 |
verior. 66:67 |
verum. 6:4 | 10:31 | 12:13 | 15:9 | 23:3 | 26:4 | 67:12 | 76:14 | 77:9 | 9:4 | 95:4 |
veſana. 98:7 |
veſaniente. 25:13 |
veſano. 7:10 |
veſper. 62:1 |
veſte. 64:163 | 65:21 | 66:81 |
veſtem. 64:234 |
veſter. 39:20 | 66:83 |
veſtibuli. 64:276 |
veſtibulum 64:293 |
veſtigia. 64:113, 162, 295, 337 | 66:13, 69 |
veſtis. 64:50, 265, 307 | 68:15 | 69:3 |
veſtra. 42:4 |
veſtræ. 97:6 |
veſtras. 64:160 | 66:87 |
veſtri. 55:22 | 61:209 |
veſtros. 62:16 |
veſtrum. 68:151 | 71:3 | 76:17 |
veterem. 67:8 |
veteres. 94:3 |
veteris 7:6 | 10:22 | 64:295 | 95:6 |
veternum. 17:24 |
veterum. 68:7 |
vetuit. 27:1 |
vetus. 61:213 |
vexarentur. 64:80 |
viæ. 46:11 |
viam. 35:7 |
viator. 20:2, 16 |
viatori. 68:61 |
vibenni. 33:2 |
vibrabat. 64:34 |
vibrare. 36:5 |
vicem. 64:69 |
vicinus. 19:20 |
viciſti. 68:129 |
victa. 64:215 |
victima. 64:336 |
victor. 64:336 |
victoria. 62:15 |
videat. 61:16 |
videbam. 90:6 |
videbatur. 22:13 |
videberis. 8:16 |
videbis. 29:5, 10 |
videmus. 22:11 |
viden. 61:77, 98 | 62:8 |
vident. 7:8 |
video. 28:11 | 114:5 |
videor. 61:122 |
videre. 22:19 | 29:2 | 31:6 | 50:12 |
vides. 8:2 | 20:3 |
videt. 17:21 | 78:5 | 104:1 |
viderit. 61:90 |
viderunt. 64:16 |
videtis. 4:1 | 42:7 |
videtur. 22:11 | 51:1 | 61:97 |
vidi. 55:8 |
vidiſtis. 59:3 |
vidit. 36:9 | 45:26 | 63:46, 88 | 66:7 |
vidua. 62:49 |
viduas. 6:6 |
vigeant. 64:232 |
vigeſcunt. 46:8 |
vigilat. 62:33 |
vilior. 72:6 |
villa. 44:7 |
villice. 61:136 |
villicus. 20:19 |
villula. 26:1 |
villulam. 20:4 |
villulamque. 19:1 |
vimine. 19:2 |
vincemur. 62:15 |
vincere. 62:9 |
vincla. 64:363 |
vincta. 64:65 |
vindice. 64:192 |
vinea. 64:39 |
vineamque. 19:18 |
vini. 27:6 |
vino. 12:2 | 13:5 |
vinum. 50:6 |
violæ. 19:12 |
violaſſe. 66:23 | 76:3 |
vir. 61:102, 152, 172 | 63:

69 | 67 : 20 |
virens. 19 : 11 |
vireret. 64 : 293 |
virente. 20 : 8 |
virentium. 34 : 10 |
virgati. 64 : 319 |
Virgine. 66 : 26 |
Virgineam. 67 : 28 |
Virginea. 66 : 14 |
Virginem. 61 : 4 |
Virgines. 61 : 37, 52, 231 |
Virginibus. 65 : 2 |
Virginis. 64 : 360 | 65 : 20 | 66 : 65 |
Virginitas. 62 : 62 |
Virginitate. 65 : 116 |
Virgo. 1 : 8 | 61 : 20, 77 | 62 : 4, 45, 56, 59 | 64 : 86, 391 | 66 : 71, 77 | 67 : 19 | 68. 77 |
virgulta. 63 : 86 |
viri. 61 : 157, 183 | 62 : 27 | 64 : 144 | 68 : 146 |
viridantia. 64 : 285 |
viridem. 63 : 30 |
viridis. 63 : 70 |
viridissime. 17 : 14 |
viris. 61 : 186 |
viro. 62 : 58 | 63 : 6 | 64 : 143 | 66 : 20 | 67 : 1 | 68 : 80, 130 | 83 : 1 | 109 : 1 |
virro. 71 : 1 |
viros. 68 : 88 |
virtus. 64 : 218 |
virtutes. 64 : 51, 344 |
virtutibus. 64 : 323 |
virtutum. 68 : 90 |
virum. 61 : 3 | 64 : 192 | 66 : 29 | 68 : 90 |
vis. 40 : 6 | 55 : 21 | 82 : 1 | 88 : 6 | 96 : 5 |
visam. 9 : 6 |
visens. 11 : 10, 63, 48 |
visere. 64 : 211, 403 |
visum. 10 : 2, 3 |
vita. 8 : 15 | 45 : 13 | 64 : 157 | 65 : 10 | 68 : 24, 96, 106, 155 | 105 : 8 | 107 : 5 |
vitæ. 63 : 90 | 77 : 6 | 102 : 1 |
vitam. 63 : 71 | 76 : 19
vitant. 63 : 33 |
vitia. 61 : 107 | 62 : 49 |
vittæ. 64 : 309 |
viva. 68 : 160 |
vivamus. 5 : 1 |
vivat. 11 : 17 | 88 : 2 |
vive. 8 : 10 |
vivere. 68 : 84, 160 | 109 : 1 |
vividulo. 66 : 63 |
vivimus. 68 : 34 |
vivis. 10 : 33 |
vivis. 105 : 7 |
vivite. 61 : 233 |
vix. 31 : 5 | 62 : 2 | 66 : 68 | 68 : 121 |
ulla. 4 : 22 | 64 : 232 | 68 : 125 |
ullis. 97 : 5 |
ullius. 4 : 3 |
ullo. 66 : 72 | 75 : 3 | 76 : 3 |
ullos. 45 : 25 |
ulmæ. 62 : 54 |
ulna. 17 : 13 |
ulla. 44 : 17 |
ultima. 4 : 15 | 19 : 4, 13 | 63 : 87 | 87 : 3 |
ultimi. 11 : 23 |
ultimosque. 11 : 12 |
ultor. 113 : 7 |
ultore. 59 : 5 |
ultra. 87 : 5 |
ultro. 68 : 40 |
ululat. 63 : 28 |
ululatibus. 63 : 24 |
Umber. 39, 11 |
umbilici. 22 : 7 |
umbram. 64 : 41 |
umbras. 63 : 41 | 66 : 55 |
umbris. 65 : 13 |
unanimis. 30 : 1 | 66 : 80 |
unanimos. 9 : 4 |
uncta. 29 : 23 |
unctius. 10 : 11 |
unctum. 29 : 4 |
unda. 11 : 4 | 64 : 13, 353 | 65 : 6 |
undæ. 52 : 33
undas. 64 : 2, 128, 270, 381 | 93 : 5 |
unde. 14 : 22 | 64 : 127 |
undecunque. 68 : 101 |
undique. 42 : 2 | 64 : 234, 307 |
undis. 64 : 62, 155, 167, 185 | 68 : 3 |
unguentate. 51 : 142 |
unguentis. 66 : 78 |
unguentum. 13 : 11 |
ungui. 62 : 43 |
unica. 61. 228 | 98 : 6 |
unice. 29 : 12, 24 | 54 : 7 | 64 : 215 |
una. 5 : 6 | 21 : 5 | 66 : 78 | 68, 22, 23, 36. 82, 94, 95, 120 | 76 : 6, 15 |
unam. 45 : 21 | 58 : 2 | 62 : 31 |
une. 37 : 17 |
uni. 17 : 10 | 45 : 14 |
unigena. 66 : 53 |
unigenamque. 64 : 300 |
unis. 68 : 47 |
unius. 5 : 3 |
uno. 45 : 23 | 57 : 6 | 67 : 15 | 68 : 135 | 93 : 3 | 105 : 7 | 113 : 4 |
unquam. 22 : 15 | 75 : 3 | 76 : 17 | 91 : 1 | 97 : 16 | 105 : 1 |
unum. 10 : 17 | 15 : 1, 3 | 31 : 11 | 111 : 3 |
unus. 1 : 5 | 22 : 10 |
vobis. 3 : 13 | 28 : 14 | 37 : 9 | 64 : 334 | 67 : 18 | 68 : 45 |
voca. 61 : 31 |
vocare. 6 : 17 |
vocaret. 4 : 20 |
vocat. 44 : 21 |
vocationes. 47 : 7 |
voce. 42 : 18 | 61 : 13 | 64 : 140, 320 | 67 : 41 |
vocem. 60 : 4 |
voces. 64 : 125, 166, 202 |
volare. 4 : 5 |
volatilesque. 55 : 27 |
volebat. 8 : 7 |
volemus. 46 : 6 |
volente. 61 : 64 : 69 |
volet. 61 : 104 |
volgi. 40 : 5 |
volitabat. 64 : 251 |
volitantem. 64 : 9 |
volitare. 63 : 25 |
volo. 6 : 16 | 10 : 26 | 17 : 8, 23 | 35 : 5 | 44 : 10 | 61 : 216 |
voluebat. 64 : 250 |
volunt. 64 : 302 |
voluisti. 40 : 8 |
volumus. 67 : 18 |
volunt. 66 : 32 |
voluntas. 11 : 13 |
voluptas. 76 : 2 |
volusi. 36 : 1, 20 |
volusii. 95 : 7 |
volutus. 68 : 59 |
vomere. 64 : 40 |
vorabit. 35 : 17 |
voragine. 17 : 26 |
vorago. 17 : 11 |
vorax. 29 : 2, 6, 11 | 57 : 7 | 64 : 156 |
voret. 106 : 5 |
vortice. 68. 107 |
vos. 14 : 26 | 16 : 12 | 19 : 21 | 27 : 5 | 36 : 18 | 47 : 3, 5 | 61 : 36 : 186 | 64 : 24, 199, 326 | 66 : 79 | 68 : 45 |
vosque. 31 : 13 | 37 : 1 |
vostra. 29 : 14 |
vota. 4 : 22 | 64 : 104 | 66 : 38 |
votis. 66 : 91 |
voco. 67 : 5 |
votum. 36 : 2, 16 |
vovere. 36 : 10 |
vox. 63 : 21 |
Uraniæ 61 : 2 |
urbana. 57 : 4 |
urbanum. 39 : 8 |

urbanus. 22: 2, 9 | 30: 10 |
urbe. 62: 23 | 64: 388 |
urbeis. 46: 6 |
urbem. 20: 11 |
urbes. 51: 16 |
urbibus. 18: 3 | 64: 8 |
urbica. 44: 15 |
urbis. 64: 363 |
urina. 37: 20 |
uriosque. 36: 12 |
uritur. 83: 6 | 61: 177 |
uror. 72: 16 |
usquam. 17: 20 |
usque. 3: 30 | 4: 24 | 5: 9 | 45: 14 | 48: 2, 3 | 61: 161 | 76: 11 | 113: 6 |
usquedum. 44: 14 |
usquequaque. 39: 2, 15 |
ustulanda. 36: 8 |
usu. 90: 7 |
usus. 96: 3 |
ut. 2: 7 | 9: 8 | 10: 3, 5, 16, 19, 24 | 11: 21 | 13: 14 | 14: 8, 14 | 15: 3, 13, 16 | 17: 10, 15, 17, 26 | 19: 4, 7 | 22: 5 | 27: 3 | 28: 7 | 29: 9, 14 | 30: 12 | 34: 9, 23 | 39: 8, 13, 20 | 40: 5 | 45: 8, 15, 17 | 50: 3, 9, 13 | 60: 4 | 61: 34, 41, 77, 97, 156, 171, 211 | 62: 8, 22, 39, 49 | 63: 6, 35, 51, 53, 54, 74, 78, 79 | 64: 61, 117, 118, 121, 122, 138, 226, 230, 231, 233, 236, 241, 293, 398 | 65: 19 | 66: 3, 4, 5, 24, 30, 48 | 67: 16 | 68: 3, 73, 84: 115, 130 | 72: 3, 4 | 73: 5 | 75: 7 | 76: 21, 23 | 88: 5 | 89: 5 | 97: 13 | 99: 3 | 107: 3, 5 | 114: 2 |
uteris. 12: 2 |
uterque. 31: 3 | 50: 4 |
utinam. 64: 171 | 66: 93 |
utor. 10: 32 |
utpote. 64: 56 | 67: 43 |
utrisque. 57: 3 |
utriusque. 68: 39 |
utrum. 10: 31 | 17: 22 | 92: 3 |
utrumne. 95: 2 |
utrumque. 40: 20 | 71: 4 |
uva. 19: 14 | 20: 8 |
uvam. 62: 50 |
uvis. 17: 16 |
vulgus. 72: 5 |
vult. 8: 9 | 61: 209 |
vultu. 55: 8 | 64: 34 |
vulturio. 106: 4 |
vulturium. 68: 124 |
vultum. 64: 117 |
vultus. 64: 14 |
uxor. 61: 192 |
uxorne. 59: 2 |

Z.

Zephyri. 46: 3 |
Zephyritis. 66: 57 |
Zephyrus. 64: 270 |
Zonam. 2: 13 | 67: 28 |
zonulâ. 61: 53 |

FINIS.

ALBII
TIBULLI
EQUITIS ROMANI
ELEGIARUM
LIBRI QUATUOR.

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT
PHILIPPUS SILVIUS T. E. C. P.

JUSSU CHRISTIANISSIMI
REGIS,
IN USUM SERENISSIMI
DELPHINI.



PARISIIS,
Ex Typographia FREDERICI LEONARD Regis, Sereniſſimi Delphini, & Cleri Gallicani Typographi, viâ Jacobæâ.

M. DC. LXXXV.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

AD

SERENISSIMUM

DELPHINUM,

PHILIPPUS SILVIUS T. E. C. P.

HOS *etiam Vates tenerorum*
ſuſcipe Amorum,
DELPHINE; *hos Comites*
namque Catullus amat.
Suſcipe: nec pigeat Vates tractaſſe ve-
nuſtos,

Materno fovit quos ſua Roma ſinu,
Aurea dum Latii ſermonis ſecla vigerent,
Certaretque armis æmula lingua ſuis.
Hic pulcram cecinit Nemeſin, cecinitque Neæram;
Illum oculis cepit Cynthia prima ſuis.
Delia ſola ſuo domus eſt, & turba Tibullo,
Cura recens Nemeſis, Delia primus amor.
Quæ teneri pectus ſuccendit amore Properti,
Cynthia prima fuit, Cynthia finis *erat.*
Ambo pares genus, ambo animis, ſtudiiſque gemelli;
Carmine Acidalias concinuere faces,

Carmine, quo voti incluſa eſt ſententia compos,
Quo claudebatur ſola querela prius.
Tam cultis commiſſi Elegis vixere calores,
Et vivent donec ſpicula figet Amor.
Donec erunt ignes, arcuſque Cupidinis arma,
Vivent, Naſoni ſi modo habenda fides.
Certius auſpicium facies, DELPHINE, *Poëtis*
Si ſeſe poſſint annumerare tuis.
BORBONIDUM *in tectis ſub tanti nominis umbra*
Clara illis parta eſt gloria, fama, decus.
Par ævum ipſa ſuo immortalia Lilia ſpondent,
Si qua ſcripta velint Numine tuta ſuo.

Ite, boni Vates; nec vos operoſa moretur
Pompa Loci, aut quatiens horrida pila cohors.
Tympana, nec lituus crepitans, raucuſque tubarum
Clangor, nec ſtrepitu terreat Aula frequens.
Non etiam his major cunctis præſentia MAGNI:
Incutiat ſolis hoſtibus illa metum.
Temperat auguſtos mitis clementia vultus,
Et præbet faciles obſequiis aditus.
Et vos MAGNUS *amat*, MAGNI *patet Aula Camœnis*,
Nec teneræ Mavors obſtrepit ipſe lyræ.

Veſtræ illic artes media inter bella vigebant;
Quanta hæ tranquillæ pars modo pacis erunt?
Non ſemper ſulcant auguſtas ſeria frontes;
Interdum gaudent luſibus atque jocis.
Eſt ibi fidus amor, ſunt fidi pignora amoris,
Pignora Liligeri ſpes geminata Throni.
Eſt mater Latii cultrix VICTORIA *Pindi;*
Eſt ea Pieridum, credite, tota domus.
Ite: paterna olim fors per veſtigia natis
Sternetis faciles ad ſacra veſtra vias.
Ite modo; & noſtros DELPHINO *offerte labores,*

Veſtra meo ſi quid munere ſcripta ni-
tent.
Si veſtros pennâ bene ſolvi interprete no-
dos;
Ne ſtudium huic pigeat commemoraſſe
meum.
Dicite quàm paucâ hæc non ficto pectore
donem;
Quàm dare plura velim, ſi dare plura
queam.

LUTETIÆ PARISIORUM,
KAL. MART. AN. CHR. M. DC. LXXXV.

ALBII
TIBULLI
EQUITIS ROMANI
VITA.
EX PETRO CRINITO,
LIB. III.
DE POETIS LATINIS.

ALbius *Tibullus* Romæ, ut creditur, natus, Hircio & Panſa Conſulibus, qui annus etiam Naſonis Poetæ natalibus inſignis fuit. Nam uterque Conſul cum ad liberandum Brutum apud Mutinam mitteretur, fugato Antonio, occiſus eſt. Parentes habuit ex Equeſtri Ordine, bello & pace ſatis illuſtres. Is autem *Tibullus*, quod ingenio facili, & egregiâ formâ foret, nobiliores civitatis ſibi conciliavit, in quorum numero Meſſalla Corvinus, qui mira diligentia, & aſſiduis officiis Poëtam *Tibullum* fovit Quocirca ſui ſtudioſum vocat eum *Tibullus*, & inſigni carmine laudes ejuſdem, ac virtutes celebravit. Neque illud ignoratur, cum in ejuſdem Meſſallæ comitatu in Provinciam Phæacum pergeret, in adverſam eum valetudinem incidiſſe. Ex quo tali carmine fidem ſuam, atque fortunam voluit poſteris commendare.

Hic jacet immiti conſumptus morte Tibullus,
Meſſallam terrâ dum ſequiturque mari.

Horatium quoque Flaccum., & Macrum Poetam; qui de Herbis libros conſcripſit, familiariter dilexit; eumque hortatur, ut relictis caſtris, & militiâ, ad amores & Veneres redeat. Albius enim *Tibullus* in amoribus, & deliciis, ut apparet, paulò proclivior fuit, ut qui Marathum & Cherinthum pueros maximo affectu dilexit; ſicuti Deliam, Sulpiciam, Neæram & Nemeſin: de cujus forma & moribus frequens in veterum libris mentio eſt. Unde illud notum:

Uſſit amatorem Nemeſis laſciva Tibullum,
In tota juvit quem nihil eſſe domo.

Sed & L. Apuleïus, quo loco de amoribus differit apud Claudium Maximum Proconſulem, fictum Deliæ nomen à Poëta *Tibullo* refert, Cum Plania vocaretur. Flaccus Horatius libere illum hortatur amicitiæ nomine, ut forti animo & conſtanti immitis Glyceræ faſtum atque inſolentiam perferat: tum aliorum exemplis diſcat, quanta ſit in ſequendis amoribus varietas. In ſcribendo autem Carmine Caſſio Parmenſi eumdem præponit, quo loco ſuorum ſermonum judicem facit, bonaque animi & corporis ipſi adſcribit.

Albi, noſtrorum ſermonum candide judex,
Non tu corpus eras ſine pectore, Dii tibi formam,
Dii tibi divitias dederant, artemque fruendi.
Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
Quàm ſapere & fari poſſit, quæ ſentiat: & cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde,
Et mundus victus, non deficiente crumenâ?

Is vero *Tibullus* in Carmine ad Meſſallam copioſe oſtendit, parum ſibi licere in otio verſari, & Muſis pro animi arbitrio incumbere, quod adverſantis fortunæ iniquitas nimium illi obfuiſſet; & cum ſatis illi opes florerent, conditione temporum factum, ut ad paupertatem redigeretur.

Cui fuerant flavi ditantes ordine ſulci,
Horrea fœcundis indeficientia menſis:
Cuique pecus denſo paſcebant agmine colles,
Et domino ſatis, & nimium furique lupoque;
Nunc deſiderium ſupereſt, &c.

Idem *Tibullus* libros quatuor Elegiarum, ſive Amorum compoſuit: in quibus facile probatur, quam elegans, & candidum ſit ejus Carmen: ut ejuſmodi caloribus deſcribendis La-

tinos omnes videatur ſuperaſſe, cum affectibus exprimendis, tum elegantia & ſuavitate ingenii; quod ipſum etiam Fabius Quinctilianus ad Marcellum Victorium refert, cum Poëtam *Tibullum* & elegantem in primis, ac terſum exiſtimarit. Obiit autem cum adhuc junior eſſet, neque ſine maximo mœrore Ovidii Poetæ, quod ille teſtatus eſt longo carmine: in quo probatur quantâ litterarum jacturâ *Tibullus* occiderit. Eoque moleſtior fuit ejus interitus, quo immaturior viſus eſt. In funere illius & parens, & ſoror præſtiterunt pietatis officium, quod & Nemeſis & Delia pari animo fecerunt, ſicuti ab Ovidio refertur. Vulgatum eſt illud de elegantia & carmine *Tibulli*.

Donec erunt ignes, arcuſque Cupidinis arma,
Diſcentur numeri, culte Tibulle, tui.



ALBII
TIBULLI
EQUITIS ROMANI
VITA.
EX LILIO GREGORIO GIRALDO.
De Poëtarum Hiſtoria.
DIALOGO IV.

FUit Albius *Tibullus*, ut ſcitis, Eques Romanus, Elegiarum Poëta nobiliſſimus, qui, ut ſummatim ejus vobis vitam recenſeam, Romæ natus eſt A. Hircio & L. Panſa Conſulibus, qui annus & Ovidio natalis fuit, ut eodem verſiculo uterque teſtatus eſt.

Cum cecidit fato Conſul uterque pari.

Quin & eodem etiam die, ut quidam opinati ſunt, ambo nati, hoc eſt, Quinquatriis Minervæ, intra Calendas Apriles. Juvenis admodum *Tibullus* cum Meſſalla Corvino navigavit ad uſque Phæacas, populos Corcyræos, quâ navigatione adverſa valetudine affectus pene periit, quod ſuâ ipſe Elegiâ teſtatus eſt. Deliam *Tibullus* in primis puellam amavit, quę, ut Apuleius ait, proprio nomine Plania dicebatur. Non unius tamen amore contentus, & Nemeſin, quam Glyceren, ſunt qui velint ab Horatio appellatam, amavit; item Neæram & Sulpitiam, & puſiones Marathum & Tityum, & Sulpiciæ Cerinthum.

Sed enim *Tibullo* in Elegis unanimi fere ſcriptorum conſenſu palma defertur. Elegiarum hic libros quatuor compoſuit, in quibus Fabio videtur terſus atque elegans, cui & plu-

res adſtipulantur. Scripſit & Heroïcum Carmen ad Meſſallam, in quo diverſum ab Elego genium habere putatur; omnino non eumdem præſtat utrobique. Extant duo Horatii Poëmata ad Albium *Tibullum*, quorum altero illum de parum fidelis puellæ amore triſtem ſolatur, altero vero judicem eum & Cenſorem ſuorum Carminum facit, multaque laude proſequitur, quodque plane divitiis uti ſciat; cum ipſe tamen ſe ad paupertatem & inopiam redactum conqueratur. Vobis haud opus eſt, ut in præſentia verſus recitem, quibus id ipſe comprobat, cum ipſius ambo ſtudioſi ſitis. Exceſſit vero *Tibullus* vita adhuc pene juvenis, cujus mortem immaturam, ut ſcitis, deflevit Ovidius. Fuit & alter *Tibullus*, qui inter comicos numeratus eſt, cujus fabulam Helenam recitat Fulgentius, ex qua hæc ſunt verba: *Tune amare audes, edentule & capularis ſenex.*

GERARDUS JOANNES VOSSIUS

DE POETIS LATINIS.

EOdem anno 2. Olympiadis nimirum 184. Hirtio & Panſa Conſulibus nati duo ſunt Poetæ inclyti, Ovidius & *Tibullus*: ſane uterque ſe natum ait,

Cum cecidit fato Conſul uterque pari.

VETERUM
TESTIMONIA
DE
ALBIO TIBULLO.

Horatius Lib. 1. Carm. Od. 23.

Albi, ne doleas plus nimio, memor
Immitis Glyceræ, neu miſerabiles
Decantes Elegos, cur tibi junior
Læſa pœniteat fide, &c.

Idem Lib. 1. Epiſtol. 4.

Albi, noſtrorum ſermonum candide judex,
Quid nunc te dicam facere in regione Pedana?
Scribere quod Caſſi Parmenſis opuſcula vincat?
Aut tacitum ſilvas interreptare ſalubres,
Curantem quidquid dignum ſapiente, bonoque eſt?
Non tu corpus eras ſine pectore. Dii tibi formam,
Dii tibi divitias dederant, artemque fruendi.
Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
Quam ſapere & fari ut poſſit, quæ ſentiat, & cui
Gratia, fama, valetudo contingat abunde,
Et mundus victus non deficiente crumenâ?
Inter ſpem curamque, timores inter & iras
Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum.

Ovidius Lib. 1. Amor. Eleg. 15.

Donec erunt ignes, arcuſque Cupidinis arma,
Diſcentur numeri, culte *Tibulle*, tui.

Idem Lib. 3. Amor. Eleg. 9.

Memnona ſi mater, mater ploravit Achillem,
Et tangunt magnas triſtia fata Deas.
Flebilis indignos Elegeïa ſolve capillos;
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen ineſt.

Ille tui vates operis, tua fama *Tibullus*
  Ardet in extructo corpus inane rogo, &c.
Tota Elegia, quæ habetur integra ad calcem Lib. 4. Eleg. Tibulli pag. 384.

Idem Lib. 3. de Arte amandi.

Et teneri poſſis carmen legiſſe Properti,
  Sive aliquid Galli, ſive, *Tibulle*, tuum.

Idem Lib. 2. Triſt.

Credere juranti durum putat eſſe *Tibullus*,
  Hoc etiam de ſe quod neget illa viro.
Fallere cuſtodem demum docuiſſe fatetur,
  Seque ſuâ miſerum nunc ait arte premi.
Sæpe velut gemmam dominæ ſignumque probaret,
  Per cauſam meminit ſe tetigiſſe manum.
Utque refert, digitis ſæpè eſt nutuque locutus,
  Et tacitam menſæ duxit in orbe notam.
Et quibus è ſuccis abeat de corpore livor,
  Impreſſo fieri qui ſolet ore docet.
Denique ab incauto nimium petit illa marito,
  Se quoque uti ſervet, peccet ut illa minus.
Scis cui latretur, cum ſolus obambulet ipſe,
  Cui toties clauſas excreet ante fores.
Multaque dat furti talis præcepta, docetque
  Quâ nuptæ poſſent fallere ab arte viros.
Nec fuit hoc illi fraudi, legiturque *Tibullus*,
  Et placet &, jam te Principe notus erat.

Idem Lib. 4. Triſt. Eleg. 9.

Virgilium vidi tantum: nec avara *Tibullo*
  Tempus amicitiæ fata dedere meæ.

Velleius Paterculus Lib. 2. cap. 36.

Pæne ſtulta eſt inhærentium oculis ingeniorum enumeratio: inter quæ maximè noſtri ævi eminent: Princeps Carminum Virgilius Rabiriuſque, & conſecutus Salluſtium Livius, *Tibullus*que & Naſo, perfectiſſimi in forma operis ſui. Nam vivorum, ut magna eſt admiratio, ita cenſura difficilis.

Papin. Statius Silvar. Lib. 1. Carm. 2. Epithal. Stellæ & Violantillæ.

  Hunc ipſe Coo plaudente Philetas,
Callimachuſque ſenex, Umbroque Propertius antro
Ambiſſent laudare diem, nec triſtis in ipſis
Naſo Tomis, diveſque foco lucente *Tibullus*.

Quintilianus Lib. 10. Inſtitut. Orator. cap. 1.

Elegia Græcos quoque provocamus, cujus mihi terſus atque elegans maximè videtur auctor *Tibulius.* Sunt qui Propertium malint. Ovidius utroque laſcivior, ſicut durior Gallus.

Martialis Lib. 4. Epigram. 6.

Credi virgine caſtior pudicâ,
Et frontis teneræ cupis videri:
Cum ſis improbior, Maſſiliane,
Quam qui compoſitos metro *Tibulli*
In Stellæ recitat domo libellos.

Idem Lib. 8. Epigram. 70.

Sed tamen hunc noſtri ſcit temporis eſſe *Tibullum,*
Carmina qui docti nota Neronis habet.

Idem Lib. 8. Epigramm. 73.

Fama eſt arguti Nemeſis formoſa *Tibulli,*
Leſbia dictavit, doctè Catulle, tibi.

Idem Lib. 14. Epigram. 193.

Uſſit amatorem Nemeſis laſciva *Tibullum*
In tota juvit quem nihil eſſe domo.

Apuleius Madaur. Apol. ferè ab initio.

Hic etiam illud reprehendi animadvertiſti, quod cum aliis nominibus pueri vocentur, eos Charinum & Critiam appellitarim. Eadem igitur opera accuſent C. Catullum, quod Leſbiam pro Clòdia nominarit, & Ticidam ſimiliter, quod, quæ Metella erat, Perillam ſcripſerit, & Propertium, qui Cynthiam dicat, Hoſtiam diſſimulet; & *Tibullum*, quod ei ſit Plania in animo, Delia in verſu.

ALBII

*ALBII TIBULLI EQUITIS ROMANI LIBER PRIMUS.

ELEGIA I.

DIVITIAS alius fulvo ſibi congerat auro,
Et teneat culti jugera multa ſoli.
Quem labor aſſiduus vicino terreat hoſte:
Martia cui ſomnos claſſica pulſa fugent.

INTERPRETATIO.

ALIUS *ſibi opes accumulet auro fulvo, multaque prædia terra arata poſſideat: quem jugis anxietas propinquo hoſte perterreſaciat: cui tuba bellica pul-*

ANNOTATIONES.

* ALBIÆ gentis apud Ciceronem fit mentio Orat. pro Quinctio. L. Albius Sexti filius. Ad ejus gentilem nominis originem alludens ad Tibullum noſtrum ſcripſit Horat. lib. 1. Epiſt.

Albi, noſtrorum ſermonum candide Judex.

Huic etiam idem Horat. lib. 1. Od. 33. inſcribit:

Albi, ne doleas plus nimio memor immitis Glyceræ.

1. *Divitias alius.* Hæc prima Elegia quæ tempore poſtrema fuit, præ fixa cæteris videtur, ut conſtaret quodnam vitæ genus Tibullus expeteret. Lapſus enim opibus, exhauſtoque opimo matrimonio, quod amoribus videtur profudiſſe, ſeceſſit in agellum, Unde Horatius:

Non tu corpus eras ſine pectore, Dii tibi formam,
Dii tibi divitias dederant, artemque fruendi.

Hæc igitur noſter ſcripſit Tibullus in prædiolo ſuo Pedano ad Meſſalam Corvinum in Ciliciam proficiſcentem, profiteturque malle ſe pauperem in otio degere vitam, quàm divitias bellicis laboribus comparare.

2. *Jugera multa.*] Alii legunt, *jugera magna*; ſed longè meliùs, *multa*, ut infrà lib. 3.

Aut ut multa mei renovarem jugera tauri.

Juger autem, vel *jugerum*, eſt ſpatium terræ, quod par boum uno die arare poteſt. Porrò de *jugeri* menſura varii varia ſcripſerunt, ut Cato; Columella lib. 6. Plin. lib. 18. & alii.

4. *Claſſica Martia.*] Tubæ ſunt, & ſonitus tubarum pugnam indicantium; Unde & Virgil. 7. Æneid.

Claſſica namque ſonant.

Me mea paupertas vitæ traducat inerti,
Dum meus aſſiduo luceat igne focus.
Nec ſpes deſtituat; ſed frugum ſemper acervos
Præbeat, & pleno pinguia muſta lacu.
Ipſe feram teneras maturo tempore vites
Ruſticus, & facili grandia poma manu.
Nec tamen interdum pudeat tenuiſſe bidentem,
Aut ſtimulo tardos increpuiſſe boves.
Non agnamve ſinu pigeat fœtumve capellæ
Deſertum oblitâ matre referre domum.
Hîc ego paſtoremque meum luſtrare quotannis,
Et placidam ſoleo ſpargere lacte Palem.

INTERPRETATIO.

ſa ſoporem excutiant. Egeſtas mea me vita ignava tranſmittat, modò caminus meus perenni flammâ fulgeat. Nec me fallat expectatio, at perpetuò frumentorum cumulos ſuppeditet, & vina ſuavia è lacu referto. Idem novellas vites agricola plantabo tempore opportuno, & proceras arbores mala ferentes induſtriâ manu: neque tamen aliquando me pigeat paſtinum tractaſſe, aut boves lentos aculeo inſtigaſſe. Nec me pudeat gremio in ædes reportare aut agnam, aut capræ partum à matre immemori derelictum. Tum ſingulis annis conſuevi, & paſtorem meum

ANNOTATIONES.

Martia, à *Marte* Deo belli Præſide, qui & *Mavors* dictus eſt.

6. *Dum meus aſſiduo.*] Martialis quoque inter ea quæ vitam faciunt beatiorem, id ſibi ipſi vovet, ut *ſit non ingratus ager, focus perennis.*

7. *Nec ſpes deſtituat.*] *Spes* pro reditu frugum ſumitur apud Veteres; unde Varro ſpicam à *ſpe* dictam dicit. Tibullus lib 2.

Spes alit agricolas, ſpes ſulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.

8. *Pinguia muſta.*] *Muſta* pinguedinem habent in ſe propriam, ſi ex uvis expreſſa fuerint, quæ ad maturitatem pervenerint, tunc mellita ſunt & ſuavia.

Pleno lacu.] *Lacus* hic vas eſt ad excipienda vina de torculari defluentia. Vide Catonem, Columell. & Pallad.

9. *Ipſe feram.* Ut in vitibus ſationis duo ſunt genera, malleoli, & viviradicicis: ſic in arboribus item duo, inſitionis, & plantationis. Virgil. Georgic. 4.

——— ——— *humoque feraces*
Immittunt plantas. &c.

10. *Grandia poma.*] Fructum poſuit pro arbore, quod Poëtis familiare eſt; *grandia* autem refert ad arboris pomiferæ magnitudinem.

15. *Hic ego paſtoremque meum.*] Poëta apertè tangit morem illum antiquum quem fusè deſcribit Ovid. Faſt. 4. quo more pecus ſaturum ſub crepuſculum unà cum paſtore rite luſtrabatur, antequàm res annua Pali Deæ paſtorum fieret. Ad hoc autem ſuffimen erat conficiendum ex vituli favilla, ſanguine equi, & fabæ culmine, deinde primo diluculo paſtor inſpergebat oves aquâ & ſulphure, herbâque Sabinâ, & lauro igne ſuccenſis, circumcirca ovilia ſuffiebat. Quo pecora piari, morbos & tabem depelli putabant

16. *Spargere lacte Palem.*] *Pales* Dea fuit paſtorum, cujus feſta *Palilia* dicebantur, vel, ut alii volunt, *Parilia*, quoniam pro partu pecoris eidem Sa-

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in trivio florea ſerta lapis.
Et quodcumque mihi pomum novus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante Deo.
Flava Ceres, tibi ſit noſtro de rure corona
Spicea, quæ Templi pendeat ante fores.
Pomoſiſque ruber Cuſtos ponatur in hortis,
Terreat ut ſævâ falce Priapus aves.
Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri
Cuſtodes, fertis munera veſtra, Lares.

INTERPRETATIO.

expiare, & mitem Palem lacte perfundere. Colo etenim, ſive truncus in agris relictus, ſive ſaxum antiquum in trivio gerit corollas floridas. Et quoſvis fructus gignit mihi novus annus, primò decerpti Deo Ruricolæ efferuntur, ô Ceres flava, corona ſpicea tibi ſit ex agris meis, quæ ad ædis januam appendatur: & tutor rubicundus Priapus ſtatuatur in hortis pomiferis, ut volucres minaci falce terriset. Vos etiam, ô Lares tutores prædii mei quondam proſperi, jam

ANNOTATIONES.

cra fiebant libo ex milio, lacte, & ſapâ confecto, tum preces ad eam fiebant, peractis Sacris paſtores aquâ ſpargebantur, cœnæ apparabantur, & veſperi ſub noctem ignes à ruſticis excitabantur, quos ter tranſiliebant. Porrò Feſta *Palilia*, dies erat natalis urbis Romæ:
Unde Propert. lib. 4.
Urbi Feſtus erat, &c.

17. *Nam veneror.*] Inter antiquiſſimos Romæ Deos *Terminus* habitus eſt, cujus in tutela eſſent agrorum fines: is autem erat vel lapis, vel ſtipes, ut notat Ovid. 2. Faſt.
Termine, ſive lapis, ſive es deſertus in agro
Stipes, ab Antiquis tu quoque Numen habes.

18. *In trivio.*] *Trivia* & *quadrivia* erant Ruſticorum Sacris dicata; illic enim oves mactabantur, & ſerta appendebantur.

19. *Novus educat annus.*] *Novus annus* non uno modo dici videtur: eſt enim ſæpè initium anni, ut novum ver, nova æſtas. *Novus* etiam *annus* interdum pars illa anni eſt, quæ novas fruges, novoſque fructus parit; ut hoc loco Tibullus. Erat & *annus novus* Primus annus Imperii alicujus Imperatoris. *Novus* etiam *annus* dictus eſt principium Magiſtratûs initi.

20. *Agricola Deo.*] Deus ille eſt aut Liber pater, aut Priapus; aut certè Deus, cujus in tutelâ ſit arbor, ex quâ primitias offerat.

21. *Flava Ceres.*] *Ceres* frugum Dea quæ nempè frumenta invenit, fruges ſerere, terram colere, boves domare, vetuſtæ glandis remoto ferino pabulo, homines docuit; unde ipſi frugum primitiæ & ſpicea ſerta dicabantur. *Flava* dicitur *Ceres* à maturæ ſegetis colore.

23. *Cuſtos ruber.*] Priapus habitus eſt pro Deo hortorum Cuſtode. Unde ab Ovidio Faſt. ultimo:
Et ruber hortorum Cuſtos, & tutela Priapus.
Priapus in dextra falcem habuiſſe fingitur, cujus motu, & aves & furunculos perterrefaceret.
Unde Horat.
Nam fures dextrâ coërcet.

26. *Fertis munera veſtra, Lares.*] *Lares*, qui & *Penates* & *Præſtites* dicti, gemini fuerunt Mercurii & Laræ, quæ & Muta dicta eſt, filii: Dii non familiarum tantùm, ſed & viarum Præſides: unde & Compitales ſunt appellati.

Tunc vitula innumeros luſtrabat cæſa juvencos.
Nunc agna exigui eſt hoſtia magna ſoli.
Agna cadet vobis : quam circum ruſtica pubes
Clamet : io meſſes, & bona vina date.
Adſitis, Divi : nec vos è paupere menſa
Dona, nec è parvis ſpernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum ſibi fecit agreſtis
Pocula, de facili compoſuitque luto.
At vos exiguo pecori, fureſque lupique
Parcite. De magno eſt præda petenda grege.
Non ego divitias patrum fructuſque requiro,
Quos tulit antiquo condita meſſis avo.
Parva ſeges ſatis eſt : ſatis eſt, requieſcere lecto ;
Si licet, & ſolo membra levare thoro.
Quam juvat immites ventos audire cubantem,
Et dominam tenero continuiſſe ſinu!

INTERPRETATIO.

tenuis dona veſtra accipitis. Tum bucula immolata plurimos boves expiabas ; jam verè agna ampla eſt victima agri modici. Agna vobis mactabitur, circa quam agreſtis juventus vociferetur : io tribuite ſegetes, & vina dulcia. O Dii, præſte ſitis, neque vos deſpicite munera è tenui menſa, neque è levibus ſamiis ſeu fictilibus. *Priſcus ruſticus primò ſibi finxit vaſa ſamia*, ſeu fictilia, *& è levi argillâ conflavit. Vos autem, ô fures, & lupi abſtinete ab exiguo pecore. præda vobis eſt rapienda ex magno grege. Non ego majorum opes, & reditus deſidero, quos ſeges repoſita attulit priſcis avis. Meſſis exigua ſufficit, ſufficit quieſcere cubili, & unico lectulo artus relaxare. Quàm me delectat requieſcentem ſæva flamina auſcultare, blandiſque amantem premere complexibus. Vel,*

ANNOTATIONES.

Ovid. lib. 2. Faſtorum,

—— *Geminoſque pares, qui compita ſervant,*
Et vigilant noſtrâ ſemper in æde Lares.

Fuerunt etiam Lares agrorum Cuſtodes, ut hìc indicat Poeta noſter.

29. *Ruſtica pubes.*] Innuit Poëta Ambarvale Sacrificium ſic dictum, quòd arva ambiat victima : ter enim circum arva ducebatur, omneſque pòſt clamantes ſequebantur, ex quibus unus quernâ coronâ ornatus cum ſolemni ſaltatione compoſito Carmine Cereri dècantabat laudes. Hujus ſacrificii mentionem facit Virgil. lib. 1. Georgic.

Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret,
Terque novas circum felix eat hoſtia fruges,
Omnis quam Chorus & ſocii comitentur ovantes.

Tibullus autem Laribus tribuit, quod Maro Cereri.

31. *Divi.*] Dii nempè Lares ad quos ſermo continuandus eſt, ut oſtendant quæ ſequuntur.

33. *Fictilia.*] Pocula initio fuere fictilia, fagina, cornea, oleagina, hederacea.

Ovid lib. 5. Faſt.

Terra rubens crater, pocula fagus erat.

35. *Fureſque.*] Abactores ſeu abigeos intelligit, qui propriè ſunt ovium, boum, pecorumque & armentorum raptores. Iſidor. lib 10 *Abactor eſt fur jumentorum & pecorum, quem vulgò abigeum vocant ab abigendo.*

40. *Et ſolo membra levare thoro.*] Ex

Aut, gelidas hibernus aquas cùm fuderit Auſter,
Securum ſomnos imbre juvante ſequi!
Hoc mihi contingat: ſit dives jure furorem
Qui maris, & triſtes ferre poteſt pluvias.
Quippe ego jam poſſum contentus vivere parvo,
Nec ſemper longæ deditus eſſe viæ:
Sed Canis æſtivos ortus vitare ſub umbra
Arboris, ad rivos prætereuntis aquæ.
O quantum eſt auri pereat, potiuſque ſmaragdi,
Quam fleat ob noſtras ulla puella vias.
Te bellare decet terrâ, Meſſalla, marique,
Ut domus hoſtiles præferat exuvias.
Me retinent vinctum formoſæ vincla puellæ.
Et ſedeo duras janitor ante fores.
Non ego laudari cupio, mea Delia, tecum
Dummodo ſim, quæſo ſegnis inerſque vocer.
Ipſe boves, mea ſim tecum modò, Delia, poſſim
Jungere, & in ſolo paſcere monte pecus.
Et, te dum teneris liceat retinere lacertis,
Mollis & incultâ ſit mihi ſomnus humo.

INTERPRETATIO.

quando Notus hyemalis undas immiſerit, tranquillum conſectari quietem pluviâ conciliante. Id mihi accidat. Is opulentius meritò ſit, qui pati poteſt iras pelagi & graves imbres: ego namque nunc modico contentus vitam degere queo, ne que perpetuo obnoxius eſſe longo itineri; at ortum æſtivum Canicula devitare ſub umbrâ arboris, ad rivos aquæ præterfluentis. O potius quicquid eſt auri & ſmaragdi intereat, quàm ut puella aliqua ploret propter itinera noſtra. O Meſſalla par eſt, te certare terrâ, & mari, ut ædes tua prætendant hoſtica ſpolia. Me catena pulchra puellæ ligatum coërcent & ad januam ſævam quaſi oſtiarius reſideo. Non equidem commendari expeto, ô Delia mea, modò tecum verſer, appeller, oro, ignavus & otioſus. Dum tecum ſim, ô Delia mea, ipſe Tauros jugare queam, & gregem paſcere in deſertis collibus. Et mihi dulcis quies ſit in humo aſpera, modò fas mihi *ſit te ſuaviter amplecti,*

ANNOTATIONES.

multis opibus, quas olim amplas habuerat, ſolum torum ſeu lectulum ſibi ſupereſſe innuit Tibullus.

43. *Auſter.*] Ventus, qui flat à meridie, & ſæpiùs pluviam inducit: unde dicitur ab Ovidio *madidus Auſter.*

49. *Canis*] Sydus cœleſte, quod menſe Julio oriri dicunt, & poſt dies quadraginta occidere. Quod dierum ſpatium vocamus *dies caniculares.* Quo tempore hoc Sydus cum Sole conjungitur, æſtum & calorem conduplicare dicitur; unde & nomen habet, quòd nimio veluti calore mordere videatur.

53. *Te bellare decet Meſſalla.*] Ille eſt *Valerius Meſſalla Corvinus*, qui cum Auguſto Conſul fuerat, ac poſtea de Gallis triumphavit.

56. *Et ſedeo duras.*] Janitores olim catenis, & compedibus vincti in ipſo veſtibulo quaſi in præſidio collocabantur.

57. *Mea Delia.*] Sub nomine *Delia*

Quid Tyrio recubare thoro ſine amore ſecundo
  Prodeſt, cùm fletu nox vigilanda venit?
Nam neque tum plumæ, nec ſtragula picta ſoporem,
  Nec ſonitus placidæ ducere poſſit aquæ.
Ferreus ille fuat, qui, te quum poſſit habere,
  Maluerit prædas ſtultus, & arma ſequi.
Ille licèt Cilicum victas agat ante catervas,
  Ponat & in capto Martia caſtra ſolo:
Totus & argento contextus, totus & auro
  Inſideat celeri conſpiciendus equo.
Te ſpectem, ſuprema mihi cùm venerit hora.
  Te teneam moriens deficiente manu.
Flebis, & arſuro poſitum me, Delia, lecto,
  Triſtibus & lachrymis oſcula miſta dabis.
Flebis, non tua ſunt duro præcordia ferro
  Vincta, nec in tenero ſtat tibi corde ſilex.

INTERPRETATIO.

Quid juvat quieſcere in lecto Tyrio abſque amore proſpere, quando nox lachrymis vigilanda eſt? Tunc enim nec pluma, nec periſtromata variegata, nec ſonus lenis aquæ ſomnum queat conciliare. Ille ferreus ſit, qui, ſi te tenere queat, præoptarit ſtolidus exuvias ac militiam ſectari. Eſto ille copias Cilicum fuſas coram propellat, & bellica tentoria ſtatuat in terrâ occupatâ: ac totus argento, & totus auro concinnatus ſpectandus ſedeat veloci equo. Ego intuear *te, ubi mihi ultima hora advenerit, te languente dexterâ mortem obiens teneam.* O Delia, *me etiam lugebis collocatum in toro flagraturo, & baſia prabebis mœſtis fletibus confuſa; plorabis. viſcera tua non ſunt ferro aſpero conſtricta. nec lapis ſtat tibi in molli pectore: nullus juvenis, nec puella domum*

ANNOTATIONES.

amicam Planiam celebravit Tibullus: ſic etiam Catullus Lesbiam pro Clodia, & Propertius Cynthiam pro Hoſtia, diſſimularunt. Sanè Tibullus vitam agreſtem omnibus præfert, modò charæ *Delia*, hoc eſt, Planiæ mutuis amoribus ſibi potiri liceat.

63. *Tyrio thoro.*] Hoc eſt, purpureo, *Tyrus* autem urbs fuit Phœniciæ in Syria, olim inſula, quæ & *Sarra* fuit nuncupata: unde oſtrum *Sarranum*. pro purpura *Tyria*; in hac enim urbe laudatiſſima purpura tingebatur: unde Ovid. lib. 2. de Arte amandi.

Sive erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus.

69. *Ille licet Cilicum.*] Cùm hæc ſcriberet Poëta, in *Ciliciam* profectus erat Meſſala, à quo invitatus fuerat ad contubernium ſuum. Idem autem eſt, ac ſi diceret, de Cilicibus triumphet Meſſala, per me licet. *Cilices* autem populi ſunt Aſiæ minoris ad Amanum montem, & ad mare Mediterraneum poſiti, quorum regio *Cilicia* dicitur.

75. *Arſuro lecto.*] Antiquiſſimus mos apud Romanos fuit, ut mortuorum corpora terrâ humarentur; ſed poſt Cornelium Syllam Romæ invaluit conſuetudo, ut hominum cadavera cremarentur; ut lib. de Legibus ſcribit Cicero. In rogo autem funerale cadaver cum lecto collocabatur, quem ſimul cum corpore comburi ſolitum teſtatur Tibullus.

76. *Oſcula.*] *Oſcula* Veteres non ſolùm moribundis fixerunt, ſed etiam

Illo non juvenis poterit de funere quiſquam
Lumina, non virgo ſicca referre domum.
Tu Manes ne læde meos: ſed parce ſolutis
Crinibus, & teneris, Delia, parce genis.
Intereà dum fata ſinunt, jungamus amores.
Jam veniet tenebris mors adoperta caput.
Jam ſubrepet iners ætas, nec amare decebit,
Dicere nec cano blanditias capite.
Nunc levis eſt tractanda Venus: dum frangere poſtes
Non pudet, & rixas inſeruiſſe juvat.
Hic ego dux, mileſque bonus, vos ſigna, tubæque
Ite procul. cupidis vulnera ferte viris.
Ferte & opes: ego compoſito ſecurus acervo
Dites deſpiciam, deſpiciamque famem.

INTERPRETATIO.

referre poterit aridos oculos ex illis exequiis. Tu ne viola umbram meam: verùm paſſis comis abſtine, ô Delia, & ori delicato tempera. Interim donec fors patitur, conciliemus amores, mox letum adveniet caput caligine obtectum, mox illabetur ignava ætas, nec amare conveniet, nec delicias dicere cano vertice: Jam expeditus amor exercendus eſt, quamdiu minimè piget fores rumpere, & delectat jurgia immiſcuiſſe. Hac in re ego ductor, & miles fortis; vos vexilla & buccina longè faceſſite. Avidis hominibus plagas immittite. Divitias etiam adducite. Ego congeſto cumulo tranquillus locupletes aſpernabor, & contemnam eſuriem.

ANNOTATIONES.

jamjam in rogum imponendis.

81. *Tu Manes ne læde meos.*] Veterum ſuperſtitio erat mortuorum *Manes* offendi. ſi vel genas raderent, vel veſtem diſcinderent, vel immoderato luctu ſe conficerent eorum amici.

84. *Mors adoperta caput.*] Id eſt, nulli viſa aut intellecta, quaſi tecto capite.

ELEGIA II.

ADDE merum, vinoque novos compeſce dolores,
Occupet ut feſſi lumina victa ſopor.
Neu quiſquam multo perfuſum tempora Baccho
Excitet, infelix dum requieſcit amor.
Nam poſita eſt noſtræ cuſtodia ſæva puellæ,
Clauditur & dura janua firma ſera.
Janua difficilis domini, te verberet imber,
Te Jovis imperio fulmina miſſa petant.
Janua jam pateas uni mihi victa querelis,
Neu furtim verſo cardine aperta ſones.
Et mala ſi qua tibi dixit dementia noſtra,
Ignoſcas; capiti ſint precor illa meo.
Te meminiſſe decet quæ plurima voce peregi
Supplice, cùm poſti florida ſerta darem.
Tu quoque ne timidè cuſtodes, Delia, falle,
Audendum eſt. Fortes adjuvat ipſa Venus.

INTERPRETATIO.

AFFER vinum, ac mero ſeda recentes moleſtias, ut ſomnus defatigatis oculos domitos teneat: neve ullus expergefaciat me imbutum caput largo Baccho, donec amor infortunatus ceſſat. Adhibita ſunt enim crudeles excubiæ puellæ meæ: & fores ſtabiles valido peſſulo obſerantur. O moleſta janua heri, te pluvia feriat, te fulmina Jovis juſſu jacta percutiant. O janua, mihi ſoli aperiaris exorata querimoniis meis, & ne ſtrideas converſo cardine clam reſerata: & condones, ſi qua maledicta locuta eſt tibi inſania mea, opto, ut illa capiti meo eveniant. Æquum eſt te recordari innumera quæ verbis precantibus profudi, dum floreas coronas tuis poſtibus adhiberem. Tu etiam, ô Delia, ne cunctanter excipe excubitores tuos. Venus ipſa audentes ſublevat. Hac.

ANNOTATIONES.

TIbullus hâc Elegia queritur appoſitum eſſe cuſtodem amicæ ſuæ Deliæ, docetque quâ ratione cuſtodes fallat, ut ipſi inter ſe poſſint amores ſuos conferre, etiam præſente viro.

3. *Baccho.*] Hoc eſt vino, vinum enim liberaliori modo ſumptum ſomnos conciliat. Antiqui nonnulli Codices legunt, *percuſſum*, ſed meliùs, *perfuſum*. Unde infra Eleg. 7.

Et multo tempora funde mero.

7. *Janua difficilis.*] Exempla paſſim apud Poëtas occurrunt amantium, qui ſæpiùs januis convitiantur: ut ſuprà ſæpiùs vidimus apud Catullum, & infrà videbimus apud Tibullum & Propertium.

14. *Cùm poſti florida.*] Mos erat amatorum, ut ſerta & coronas amicarum januis appenderent. Ovid. lib. 2. de Arte amandi.

Poſtibus & duræ ſupplex blandire puellæ,
Et capiti demptas in fore pone roſas.

16 *Fortes adjuvat.*] Ita ferè Ovid. in Faſtis.

—— *Audentes forſque Venuſque juvat.*

Et Virgil.

Audentes fortuna juvat.

Illa

Illa favet, ſeu quis juvenis nova limina tentat;
Seu reſerat fixo dente puella fores.
Illa docet furtim molli decedere lecto,
Illa pedem nullo ponere poſſe ſono.
Illa viro coram nutus conferre loquaces,
Blandaque compoſitis abdere verba notis.
Nec docet hoc omnes: ſed quos nec inertia tardat,
Nec vetat obſcurâ ſurgere nocte timor.
Nec ſinit occurrat quiſquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut raptâ præmia veſte petat.
Quiſquis amore tenetur, eat tutuſque ſacerque
Quâ libet; inſidias non timuiſſe decet.
Non mihi pigra nocent hibernæ frigora noctis;
Non mihi, quum multa decidit imber aqua.
Non labor hic lædit, reſeret modò Delia poſtes,
Et vocet ad digiti me taciturna ſonum.
Parcite luminibus, ſeu vir, ſeu fœmina fias
Obvia; celari vult ſua furta Venus.
Neu ſtrepitu terrete pedum; neu quærite nomen;
Neu prope fulgenti lumina ferte face.
Si quis & imprudens adſpexerit, occulat ille,
Perque Deos omnes ſe meminiſſe neget.

INTERPRETATIO.

auxiliatur, ſive juvenis aliquis novas ædes experitur, ſive puella clavi inſertâ aperit oſtium, hæc ipſa erudit clam egredi è tenero cubili, & nullo ſtrepitu poſſe paſſum figere, & communicare nutus loquaces marito præſente, & tegere mollia verba pacti ſignis. Neque cunctos eâ de re erudit: at quos nec ſegnities remoratur, nec metus prohibet expergiſci nocte tenebroſâ. nec patitur ut ullus obſiſtat, qui corpora gladio lædat, vel detracto indumento pretium poſcat. Quicumque amore occupatur, ille ſecurus abeat & inviolabilis quâcumque voluerit; par eſt non metuiſſe pericula. Mihi non officit tardum gelu noctis hiemalis, nec quando pluvia crebrâ aquâ delabitur: hæc moleſtia non angit me, dummodò Delia mihi januam aperiat, & ipſa tacens accerſat me ad digitorum ſtrepitum. Abſtinete lucernis, ſive homo, ſive mulier mihi occurras. Venus cupit abſcondi furta ſua. Nec me pedum ſonitu perterrefacite, nec rogato nomen, nec admovete mihi propiùs lucernas claro lumine. Si aliquis incogitans me viderit, is rem celet, & per cunctos Cœlites inficietur ſe recordari.

ANNOTATIONES.

18 *Fixo dente.*] Hoc eſt, clave; partem enim pro toto poſuit Poëta, qui dentem vocat clavem, quia clavis dentata eſt.

26. *Raptâ præmia veſte.*] Nonius ait prædones nocturnos à Veteribus præmiatores dictos. Fortè quòd veſte captâ, quo præmio eam redderent, paciſcerentur.

34. *Celari ſua furta.*] Furtivos coïtus vult celari Venus.

Unde & Ovid, in eam ſententiam

Nam fuerit quicumque loquax, is ſanguine natam;
Is Venerem è rapido ſentiet eſſe mari.
Nec tamen huic credet conjux tuus, ut mihi verax
Pollicita eſt magico ſaga miniſterio.
Hanc ego de Cœlo ducentem Sydera vidi:
Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter.
Hæc cantu finditque ſolum, Maneſque ſepulchris
Elicit, & tepido devocat oſſa rogo.
Jam ciet infernas magico ſtridore catervas:
Jam jubet aſperſas lacte referre pedem.
Cùm lubet, hæc triſti depellit nubila Cœlo:
Cùm lubet, æſtivo convocat orbe nives.

INTERPRETATIO.

Quiſquis enim garrulus extiterit, ille experietur Venerem è cruore procreatam eſſe, & è truculento pelago. Neque tamen maritus tuus iſti adhibebit fidem, ut promiſit mihi maga veridica officio ſuo ſortilego. Ego ipſam ſpectavi ab athere Aſtra devocantem; ipſa cantibus retorquet curſum velocis amnis. Ipſa carminibus terram diſrumpit, umbraſque è tumulis excitat, & oſſa deripit è buſtis calidis. Modò concitat magico ſonitu turbas Tartareas; eaſque modò lacte perfuſas gradum reportare imperat. Quando vult, ipſa ex aere obſcuro nubes fugat, quando vult æſtivo curſu nives congregat. Ipſa una fertur cognoſcere male-

ANNOTATIONES.

lib. 2. de Arte amandi.

Præcipuè Cytherea jubet ſua ſacra taceri,
Admoneo, veniat ne quis ad illa loquax.
Condita ſi non ſunt Veneris myſteria Ciſtis,
Nec cava veſanis ictibus æra ſonant.
Attamen inter nos medio verſantur in uſu,
Sed ſic inter nos, ut latuiſſe velint.

39. *Is ſanguine natam.*] Poetæ, ait Gellius, præſtantiſſimos virtute & prudentiâ viros, Jovis filios appellaverunt: ferociſſimos autem, & alienos ab omni humanitate tanquam è mari genitos Neptuni filios dixerunt. Aiunt autem illi Venerem ex teſticulorum Cœli Patris in mare projectorum ſpumâ procreatam eſſe.

42. *Saga verax.*] *Saga* dicta eſt incantatrix, quòd ſatis agat, atque ea eſt, quæ carminibus, aut herbis mala ab hominibus dicebatur vel arcere, vel impellere, quæ & venefica dicebatur. Unde Horat.

Quæ Saga? quis te ſolvere
Theſſalus Magus venenis? &c.

43. *Ducentem Sydera.*] Putabant Antiqui Magos artibus ſuis Aſtra de Cœlo deducere. Unde & Virgilius.

Carmina de Cœlo poſſunt deducere Lunam.

45. *Manes elicit.*] Hoc eſt, facit ut reviviſcant cadavera è tumulis, *Manibus*, id eſt, animis defunctorum ex Inferis in corpora revocatis. Unde Horat.

Manes elicerent animas reſponſa daturas.

Solebant enim Veteres, ut putabant, quibuſdam Cæremoniis ab Inferis animas defunctorum evocare, & futura ab iis exquirere. Cujus rei inſigne habetur exemplum apud Lucanum lib. 6. de Bricthone Theſſalâ celebri veneficâ, quæ Pompeii rogatu militem recens occiſum revocavit ad vitam, ut ex eo belli Pharſalici eventum cognoſceret.

48. *Aſperſas lacte.*] Veteres putaverunt animas defunctorum lactis ali-

Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas,
Sola feros Hecates perdomuiſſe canes.
Hæc mihi compoſuit cantus, queis fallere poſſes:
Ter cane, ter dictis conſpue carminibus.
Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam;
Non ſibi, ſi in molli viderit ipſe toro.
Tu tamen abſtineas aliis; nam cætera cernet
Omnia: de me uno ſentiet eſſe nihil.
Quid credam? nempè hæc eadem ſe dixit amores
Cantibus aut herbis ſolvere poſſe meos.
Et me luſtravit tædis, & nocte ſerenâ
Concidit ad magicos hoſtia pulla Deos.
Non ego, totus abeſſet amor, ſed mutuus eſſet,
Orabam; nec te poſſe carere velim.

Interpretatio.

* *ſica Medea gramina, una perviciſſe truculentos Hecates canes. Ipſa confecit mihi carmina, quibus maritum decipere poſſes. Ter canta; prolatis cantibus, ter inſpue. Ille nemini quidquam credere poterit de nobis, nec ſibi ipſi, etſi nos idem in tenero lecto conſpexerit. At tu ab aliis temperes; reliqua enim omnia videbit. de me ſolo nihil eſſe intelliget. Quid ego exiſtimem? Scilicet ea ipſa affirmavit ſe carminibus, aut graminibus diſſolvere poſſe amores meos. Me etiam facibus purgavit; & furva procubuit victima ad magica Numina clarâ nocte. Non ego precabar ut integer amor abſiſteret, at reciprocus eſſet, nec cupiam poſſe reipsâ deſtitui.*

Annotationes.

mento gaudere, cujus aſperſione eas etiam conciliari crediderunt.

52. *Sola feros Hecates.* Hecaten veneficiorum Præſidem Veneficæ magico ſuſurro eliciunt clamitantibus occurrentem.

Virgil.

—— *Viſoque canes ululare per urbem.*
Adveniante Deâ. ——

Has canes non inſcitè Furias quidam interpretantur Sed per *feros Hecates canes* minùs rectè intelligas Cerberum tricipitem. ſed tres Furias quas Lucanus appellat Stygias canes Proſerpinæ famulas.

54. *Ter dictis deſpue carminibus.*] Plinius refert in omni medicinâ morem eſſe atque effectus adjuvare, ternâ deſpuere deprecatione; ternarium enim numerum in Sacris adhibebant, eumque Diis acceptiſſimum eſſe exiſtimabant, ſed ex diſciplinâ veneficu eſt ter ſibi in ſinum ſpuere.

Juvenal Satyr. 7.

Conſpuiturque ſinus.

Et Virgil. in Ciri.

—— *Ter in gremium mecum, inquit, deſpue ter virgo.*

62. *Concidit ad Magicos.*] Dii *Magici* ſunt Dii Inferi, Pluto, Proſerpina, Hecate, quibus immolabantur hoſtiæ furvæ. & Nigræ. unde *pullam hoſtiam* dixit Poëta, id eſt, nigram.

AD MESSALAM.

ELEGIA III.

IBITIS Ægæas ſine me, Meſſala, per undas,
O utinam memores ipſe, cohorſque mei.
Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris:
Abſtineas avidas mors modò nigra manus.
Abſtineas, mors atra, precor: non hîc mihi mater,
Quæ legat in mœſtos oſſa peruſta ſinus.
Non ſoror, Aſſyrios cineri quæ dedat odores,
Et fleat effuſis ante ſepulchra comis:
Delia non uſquam, quæ me cùm mitteret urbe,
Dicitur ante omnes conſuluiſſe Deos.
Illa ſacras pueri ſortes ter ſuſtulit: illi
Rettulit è triviis omina certa puer.

INTERPRETATIO

O MESSALA, *proficiſcemini abſque me per Ægæas aquas, ò utinam tu ipſe & comites tui reminiſcamini mei. Phæacia me detinet ægrotum terris incognitis: tu, ò mors atra, rapaces manus coerceas. O mors atra, parcas, quæſo, nec mihi hic præſto eſt genitrix, quæ reliquias crematas in mœſtum gremium colligat, nec germana, quæ adhibeat rogo meo Aſſyria aromata, & ſparſis crinibus ploret ad tumulum meum: nec Delia uſquam eſt, quæ cum me à ſe dimitteret Româ refertur priùs conſultaſſe cunctos Divos. Ipſa ter eduxit ſanctas ſortes pueri, puer è compitis indubia præſagia renunciavit.*

ANNOTATIONES.

1. *IBitis Ægæas, Meſſala.*] Eo tempore M. Valerius Corvinus *Meſſala* ex Conſulatu quem cum Auguſto geſſerat, in Macedoniam proficiſcebatur, ad quam Ægæo mari perveniendum erat. Quò cùm ſequeretur Meſſalam Tibullus adversâ valetudine Corcyræ correptus eſt. *Meſſala* dictus eſt à Meſſana urbe Siciliæ, ut ait Macrobius lib. 1. Saturnal.

3. *Phæacia.*] Hoc eſt, Corcyra Inſula maris Ionii, ſic dicta à Phæace filio Neptuni & Corcyræ Nymphæ filiæ Aſopi. Quòd ibidem ægrotarit Tibullus teſtatur Ovidius Elegia de Obitu Tibulli:

Sed tamen hoc melius, quàm ſi Phæacia tellus
Ignotum vili ſuppoſuiſſet humo.

6. *Quæ legat oſſa*] Morem antiquum attingit Poeta, quo qui proximior aderat genere defuncti cineres colligebat, quos vaſculis incluſos tumulo componebat.
Unde Tibullus infrà lib 3. Elegia 2.

Sic ego componi verſus in oſſa velim.

7. *Aſſyrios odores.*] Odores, & aromata, amomum, & balſamum, thus, coſtum. &c. rogo ſuperinfundere vetuſtas conſuevit, Cicero 2. de Legibus hoc vocat, *ſumptuoſam reſperſionem.* Vide Apuleii Apolog. *Aſſyria* portò eſt Aſiæ Majoris regio, quæ, ſi Straboni credatur, Babyloniam, & maximam circumjacentium regionum partem comprehendit, quam & Syriam Græci vocant: etſi forſan multò latiores fuerint fines Syriæ, quàm *Aſſyria.*

11. *Illa ſacras pueri ſortes.*] Tollere ſortes ex mente Scaligeri, nihil eſt aliud quàm futura ex iis quærere: tolli autem ſortes ſolitas fortunæ monitu & operam interponi conſueviſſe indicat Cicero lib. 2. de Divinatione, his

Cuncta dabant reditus, tamen eſt deterrita nunquam,
Quin fleret, noſtras reſpiceretque vias.
Ipſe ego ſolator, cùm jam mandata dediſſem,
Quærebam tardas anxius uſque moras.
Aut ego ſum cauſſatus aves, aut omina dira,
Saturni aut ſacram me tenuiſſe diem.
O quoties ingreſſus iter mihi triſtia dixi
Offenſum in porta ſigna dediſſe pedem!
Audeat invito ne quis diſcedere amore,
Aut ſciat egreſſum ſe prohibente Deo.
Quid tua nunc Iſis tibi, Delia? quid mihi proſunt
Illa tuâ toties æra repulſa manu?

INTERPRETATIO.

Omnia ſpondebant ingreſſum, ipſa mihi lominus nunquam avocata eſt quin ploraret, & iter meum reſpectaret. Ego ipſe conſolator, ubi jam commiſiſſem mandata, expetebam ſemper ſollicitus ſeras cunctationes, vel prætexui alites, vel horrenda oſtenta, vel lucem Saturno dicatam inhibuiſſe me, quam ſæpè viam carpens cauſatus ſum paſſum in foribus lapſum mihi omina infauſta portendiſſe. Nemo auſit abire amore repugnante, vel noverit ſe Deo vetante profectum eſſe. O Delia, quid jam tibi prodeſt Iſis tua? quid jam proſunt mihi æra illa

ANNOTATIONES.

verbis: *Ex illâ oleâ arcam eſſe factam, eâque conditas ſortes quæ hodie fortunæ monitu tolluntur. Quid igitur in iis poteſt eſſe certi, quæ fortunæ monitu, pueri manu miſcentur atque ducuntur.* Puer verò è triviis vocatus temerè, & ignotus, ne videretur ſuſpectus, ſortes ducebat. Cùm verò rei tollerentur ſortes, certiſſimum omen putabatur.

17. *Cauſſatus aves.*] *Cauſſatus* eſt Poeta *aves* haud addicentes, ſed contra profectioni ſuæ obſcævantes; quippe qui inebris, non præpetibus alitibus uſus fuerat; quia nempè nec garritu, nec volatu ſaltem ſuo Poëtæ conſilium ratum fecerant aves. *Cauſſari* autem eſt excuſare cauſas annectendo: unde *Cauſſarius* apud Celſum dicitur is, qui ſæpiùs valetudinem cauſſatur, ſeu in excuſationem affert.

18. *Saturni ſacram me tenuiſſe diem.*] Tradunt Aſtrologi Saturni ſtellam maleficam eſſe, hinc dies ipſi dicatos rebus gerendis minimè aptos eſſe arbitrabantur. Significat verò Tibullus ſe ſacro Saturni die fuiſſe prohibitum, quominus iter exequi properaret.

19. *Saturno Rege.*] Poëtæ mundi ætates fecère quatuor: auream, argenteam, æream, & ferream. Ætas aurea, Saturno regnante, omnia hominibus ex ſententia & copiosè ſubminiſtrabat, reliquæ ætates aliæ in alias pejores degeneraverunt. Ætatis autem Saturni laudes eleganter deſcribit noſter Poëta.

20. *Offenſum in porta.*] Offenſionem pedis in limine, omnemque retentionem ominoſam cenſebant Antiqui. De hac re pluribus Valer. Maxim. lib. 1. cap. 4. Plutarchus de Antigono in vita Demetrii: & Ovid. paſſim, maximè verò lib. 10. Metamorphoſ. de Myrrha.

Ter pedis offenſi ſigno eſt revocata, &c.

23. *Quid tua nunc Iſis.*] *Iſis* fuit Inachi filia, Io priùs dicta, quæ cum à Jove adamaretur, metu intervenientis Junonis, in vaccam fuit tranſmutata, poſtea verò implorato Jovis auxilio, priſtinam formam recepit, & ab Ægyptiis mutato nomine Iſis dicta eſt, & Numinis loco habita; Huic vovebant amatores. Damnat Iſin Poëta, quæ cultrici Deliæ neget auxilium.

24. *Æra repulſa manu.*] Siſtrum intelligit Poëta, quod eſt inſtrument-

Quidve, piè dum ſacra colis, puréque lavari
Te memini, & puro ſecubuiſſe toro?
Nunc, Dea, nunc ſuccurre mihi; nam poſſe mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.
Ut mea votivas perſolvens Delia noctes
Ante ſacras lino tecta fores ſedeat:
Biſque die reſolutâ comas tibi dicere laudes
Inſignis turba debeat in Pharia.

Interpretatio.

tam ſæpè tuâ manu percuſſa? Aut quid me juvat, quod tu o, ut Sacra ſanctè celebras, & te purè ablui, & ſolam caſto cubili requieviſſe recordatus ſum? Jam, ô Diva, jam mihi auxiliare. Nam frequentes illæ tabulæ pictæ in Fanis tuis arguunt te ſanare poſſe. Ut Delia pendens noctes promiſſas lino adoperta pervigilet ad ſanctam januam; & teneatur bis in die capillos diffuſa tibi laudes canere ſpectanda in Phario cœtu. Mihi verò eveniat paternos Lares

Annotationes.

tum tinnitum edens, apud Ægyptios in Sacris Iſidis receptiſſimum. Inde Sacerdotes Iſidis à Juvenale, Martiale & aliis Siſtrati dicti ſunt.

25. *Pureque lavari.*] Morem tangit Tibullus, quo in Sacris, aut antequam ſacra facerent vivo flumine ſe lavabant Antiqui. Vide Servium lib. 4. Æneidos.

28. *Puro ſecubuiſſe toro.*] Huic Deæ Sacra faciebant præſertim amicæ, vel pro ſe, vel pro amantibus vota ſolventes, & in ejus myſteriis novem noctibus integris ſecubabant.

27 *Nunc Dea.*] Plures voce unicâ legunt, *Nuncdea*, ita vocari Iſidem teſtatur Propert lib. 2. Eleg. 28.

Io verſa caput, primos mugiverat annos
Nuncdea, quæ Nili flumina vacca bibit.

28. *Picta tabella.*] Deæ Iſidi ægrotantes liberati malâ valetudine, ſicut ii, qui è naufragio evaſerant, Neptuno tabellas ex pariete ſuſpendere conſueverant ad voti ſolutionem; hiſque in tabulis votivis depictos naufragiorum caſus & pericula, variaſque morborum curationes cernere erat. Ut habent Cicero lib 3 de Natura Deorum. Horat. lib. 2. Sermon. Sat. 1. Briſſon. lib. 1. de Formul.

30. *Ante ſacras lino.*] *Lino* induebantur Iſidis Sacerdotes, quod Oſyris invenit, nec ſolùm Sacerdotes, ſed & ſupplices Iſidi, quod ſignificat Tibullus. E religione eâdem fuit, ſedere ante fores, & ante pedes, atque etiam Deorum beneficia narrare.
Unde Propert. lib. 2.

Ante tuos pedes illa ipſa adoperta ſedebit,
Narrabitque ſedens longa pericla ſua.

31. *Biſque die.*] Bis in die Sacerdotes Iſidis laudes ipſi dicere ſolebant; ſcilicet primo mane cùm templum aperirent, & hoc *Apertio* vocabatur, deinde Deam ſalutabant, quod *Salutationem* & *Excitationem*: toto verò deinde die ſtipem emendicabant: inde demum redeuntes ad horam octavam Deam componebant, templumque claudebant. Bis igitur in die laudes Deæ dicere eſt, mane nempè cùm ſalutatur Dea, & horâ octavâ cùm templum clauditur. De hac re Apuleius lib. 2. Fab Miles. *Illicò Dea matutinis perfectis ſalutationibus ſummo ſtudio percunctabar ſingulos.* Item. *Ritè ſolemni apertionis celebrato myſterio, ac matutino peracto ſacrificio*

32. *Pharia turba.*] Hoc eſt, Ægyptia. Pharos enim fuit inſula Ægypti

At mihi contingat patrios celebrare Penates;
Reddereque antiquo menſtrua thura Lari.
Quàm benè Saturno vivebant Rege, priuſquàm
Tellus in longas eſt patefacta vias.
Nondum cæruleas pinus contempſerat undas,
Effuſum ventis præbueratque ſinum:
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Preſſerat externâ navita merce ratem.
Illo non validus ſubiit juga tempore taurus;
Non domito frænos ore momordit equus:
Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris
Qui regeret certis finibus arva lapis.
Ipſæ mella dabant quercus, ultróque ferebant
Obvia ſecuris ubera lactis oves.
Non acies, non ira fuit, non bella, nec enſes
Immiti ſævus duxerat arte faber.

INTERPRETATIO.

colere, & ſolvere veteribus Penatibus thura menſtrua. Quàm bellè degebant Saturno Principe, antequam terra aperta eſt in longa itinera. Neque dum pinus ſpreverat æquoreos fluctus, & expanſos ſinus flaminibus commiſerant: neque nauta errans oneraverat navem peregrinâ merce quærens lucra in regionibus incognitis. Nec eo tempore robuſti boves jugum paſſi ſunt; nec equi ore devicto lupos momorderunt: nec ædes ulla habuerunt januam, nec ſaxum collocatum in agris, quod dirigeret prædia conſtitutis limitibus. Ipſæ quercus mel præbebant, & oves tranquillæ ſponte ingerebant mammas lactis refertas. Neque exercitus fuit, nec furor, nec prælia, nec crudelis opifex inhumanâ arte

ANNOTATIONES.

parva, Canopico Nili oſtio objecta, olim, ſi fides adhibeatur Homero, a continente unius diei navigatione dirempta, nunc verò Alexandriæ ponte conjuncta.

33. *Penates.*] Dii ſunt domeſtici, qui & Lares dicti ſunt, quos domi reique domeſticæ Præſides & Cuſtodes ſunt habiti apud Antiquos. Erant autem Lares ſeu Penates publici, erant & privati, urbium ſcilicet & domorum. Vide Plin. lib. 21.

34. *Menſtrua thura.*] Nonnulli legunt, *maſcula*, ſed meliùs longè *menſtrua*. Laribus enim ſeu Penatibus Diis apud Veteres Sacra fiebant ſingulis menſibus, ſcilicet Kalendis, & naſcente Lunâ cujuſque menſis. Quod docet Horat. lib. 3. Od. 23.

Cœlo ſupinas ſi tuleris manus,
Naſcente Lunâ, ruſtica Phidile,
Si thure placaris, & hornâ
Fruge Lares, &c.

43. *Non fixus in agris.*] Lapides in agris apud Veteres figebantur; qui tanquam termini agros dividerent: iique ſacri habebantur, magnîſque cæremoniis, ſeu ſacrificiis collocabantur. In foſſis enim quibus impoſituri erant Terminos Antiqui, ſacrificio facto, hoſtiâque immaculatâ cæsâ, ſanguinem inſtillabant, eoque thura & fruges jactabant, favos quoque & vinum in foſſas adjiciebant conſumptiſque omnibus dapibus igne, ſuper calentes reliquias lapides collocabant. Et tale ſacrificium domini, inter quos fines dirimebantur, faciebant. Erat & interdum ſtipes.

Nunc Jove ſub domino cædes, & vulnera ſemper:
Nunc mare, nunc lethi mille repentè viæ.
Parce Pater: timidum non me perjuria terrent,
Non dicta in ſanctos impia verba Deos.
Quòd ſi fatales jam nunc explevimus annos,
Fac lapis inſcriptis ſtet ſuper oſſa notis.
Hîc jacet immiti conſumptus morte Tibullus;
Meſſalam terrâ dum ſequiturque mari.
Sed me, quôd facilis tenero ſum ſemper amori,
Ipſa Venus Campos ducet in Elyſios.
Hîc choreæ, cantuſque vigent, paſſimque vagantes
Dulce ſonant tenui gutture carmen aves.
Fert caſiam non culta ſeges, totoſque per agros
Floret odoratis terra benigna roſis.
Ac juvenum ſeries teneris immiſta puellis
Ludit, & aſſiduè prœlia miſcet Amor.
Illic eſt cuicunque rapax mors venit amanti,
Et gerit inſigni myrtea ſerta comâ.

INTERPRETATIO.

gladios extenderat. Jam ſub Jove Principe occiſiones & plagæ perpetuò ſunt: Jam pelagus, jam infinitæ mortis viæ ſubitò extiterunt. Ignoſce, ô Pater, nulla perjuria, nec nefariæ voces in Cœlites ſacros prolatæ me pavidum territant. Quod ſi jam abſolvimus fatalem ætatem; effice, ut ſaxum erigatur ſuper cineres his litteris inciſis. Hic ſitus eſt Tibullus acerbâ morte confectus, quando Meſſalam terrâ & mari proſequitur. Quoniam verò propenſus ſum blando amori, Venus ipſa deducet me in Elyſias plagas. Ibi & carmina & chori invaleſcunt, & alites huc illuc errantes reſonant exili fauce ſuaves cantus. Terra non arata producit caſiam, & per omnes campos liberalis tellus roſis odoriferis vernat. Atque ordo juvenum blandis virginibus inſertus luſitat, & amor jugiter ſerit certamina, ibi verſatur ille cuivis amatori lethum avidum accidit, & fert coronas myrteas pulchro capillo. Sed habitatio ſceleſta ſita

ANNOTATIONES.

Unde Ovid. Faſt. 2.

Termine ſive lapis, ſive es defoſſus in agris
Stipes: ab Antiquis tu quoque nomen habes.

54. *Fac lapis inſcriptis.*] Ut frontibus monumentorum inſcribebantur Epitaphia, ſic etiam Columellis interdum, ſic è Columella & ei impoſitâ ſphærâ deprehendiſſe ſe Archimedis ſepulchrum, ait M. Tullius Tuſculan. 5.

58. *Elyſios Campos.*] *Elyſium* eſt Poëtis locus in Inferis, ubi piorum animæ à malis ſeparatæ habitant. De his Ovid Elegiâ de morte Tibulli.

Si tamen è nobis aliquid niſi nomen & umbra,
Reſtat: in Elyſiâ valle Tibullus eris.

Sunt & *Elyſii* campi in Bœotia circa Thebas, de quibus Virgil.

Quamvis Elyſios miretur Græcia campos.

60. *Fert caſiam,*] *Caſia* eſt herba, aut frutex odoris optimi. Unde Virgil. Eclog. 2.

Tum caſia, atque aliis intexens ſuavibus herbis.

65. *Myrtea ſerta.*] *Myrtus* arbor eſt

At ſcelerata

At ſcelerata jacet ſedes in nocte profundâ
  Abdita, quam circum flumina nigra ſonant.
Tiſiphoneque impexa feros pro crinibus angues
  Sævit, & huc illuc impia turba fugit.
Tum niger in porta Serpens: tum Cerberus ore
  Stridet, & æratas excubat ante fores.
Illic Junonem tentare Ixionis auſi
  Verſantur celeri noxia membra rotâ
Porrectuſque novem Tityus per jugera terræ
  Aſſiduas atro viſcere paſcit aves.
Tantalus eſt illic, & circum ſtagna: ſed acrem
  Jamjam poturi deſerit unda ſitim.

INTERPRETATIO.

eſt in alta caligine abſcondita. circa quam amnes atri reſonant: & Tiſiphone ſqualida pro capillis habens diros ſerpentes furit, & ſcelerata multitudo eò & illò refugit. Deinde ater anguis in foribus; inſuper Cerberus latrat gutture. & pervigilat ad portam æream; ibi impii artus Ixionis aggreſſi etiam explorare Junonem citâ rotâ volutantur. Et Tityus per novem agri jugera expanſus alitæ continuas aſit nigro jecore. Tantalus ibi eſt etiam circa lacus aqua: at liquor deſtituit vio-

ANNOTATIONES.

Veneri ſacra: ex qua ſibi coronas amantes nectere ſolebant. Hinc Ovid. 2 de Arte amandi.

Sertaque odoratâ myrtea ferte comâ

Amantes etiam defunctos in Elyſiis in ſilva *myrtea errare* dicit Virgil. Æneidos 6

Hic quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles. & myrtea circum
Silva tegit.

67. *At ſcelerata ſedes.*] Hæc eſt Inferorum regio, in qua torquentur impii, quam Virgil. Æneid. lib. 6. deſcribit.

—— Sub rupe ſiniſtrâ
Mœnia lata videt triplici circundata muro,
Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis.
Tartareus Phlegeton, &c.
Tiſiphoneque ſedens pallâ ſuccincta cruentâ,
Veſtibulum inſomnis ſervat noctesque dieſque.
Hinc exaudiri gemitus, &c.

71. *Tum niger in porta Serpens.*] Hydra eſt illa quam Virgilius etiam in porta collocat,

—— Et bellua Lernæ
Horrendum ſtridens.

72 *Illic Junonem*] Ixion fuit Phlegyæ filius, quem cùm Jupiter in Cœlum aſſumpſiſſet, ut eum a ſoceri cæde expiaret, auſus eſt ille Junonem de ſtupro interpellare, quamobrem indignatus Jupiter ipſum fulmine ad Inferos detruſum volubili rotâ circumagi juſſit.

74. *Porrectuſque novem Tityus.*] *Tityus* Jovis & Elaræ filius fuit, qui cùm Latonæ pudicitiam tentaviſſet, ab Apolline ejus filio ſagittis confoſſus & ad Inferos relegatus eſt, ubi vultures ejus jecur depaſcunt aſſiduè renaſcens: tantæ autem magnitudinis gigas fuiſſe traditur, ut novem jugera jacens occuparet

76. *Tantalus eſt illic.*] *Tantalum* Jovis filium hac pœnâ apud Inferos torqueri fabulantur, ut cùm aquas ad mentum uſque habeat, & poma capiti ejus immineant, nec edere tamen poſſit nec bibere. Hæc autem ipſi pœ-

Et Danaï proles, Veneris quod Numina læſit,
In cava lethæas dolia portat aquas.
Illic ſit, quicumque meos violavit amores,
Optavit lentas & mihi militias.
At tu caſta, precor, maneas, ſanctique pudoris
Adſideat cuſtos ſedula ſemper anus.
Hæc tibi fabellas referat, poſitâque lucernâ,
Deducat plenâ ſtamina longa colo.
Ac circa gravibus penſis affixa puella
Paulatim ſomno feſſa remittat opus.
Tunc veniam ſubitò, nec quiſquam nuntiet antè,
Sed videar cœlo miſſus adeſſe tibi.
Tunc mihi qualis eris, longos turbata capillos,
Obvia nudato, Delia, curre pede.
Hoc precor, hunc illum nobis aurora nitentem
Luciferum roſeis candida portet equis.

INTERPRETATIO.

lentam ſitim ipſius *mox bibituri. Progenies etiam Danaï quòd Veneris poteſtatem violavit, inferunt Lethæas undas in dolia pertuſa. Ibi verſetur quicumque delicias meas offendit, & mihi longam militiam cupit. Tu verò quæſo ut pudica perſeveres, & vetula perpetuò adſiſtat tutrix diligens ſacra verecundia: ipſa narret tibi fabulas, & adhibitâ lampade trahat plenâ colu penſa grandia. Et famula circum operoſe ſtamini intenta laborem relaxet ſopore defatigata. Tum repentè accedam, nec ullus priùs indicet. At tibi videar ex æthere delatus; tum mihi, ô Delia, occurre nudis pedibus cujuſmodi eris prolixos crines confuſa; id peto, aurora nitida afferat nobis ſplendidum hunc Luciferum roſeis equis.*

ANNOTATIONES.

na impoſita eſt, quòd cùm Jovem ac reliquos Deos hoſpitio excepiſſet, Pelopem filium membratim diſcerptum ipſis devorandum appoſuerit, ut ipſorum divinitatem experiretur.

78. *Et Danaï proles.*] *Danaus* Ægypti frater quinquaginta filias habuit, quæ omnes unâ nocte maritos ſuos interfecerunt, præter unam Hypermneſtram, quæ Lyncæum conjugem ſuum ſervavit. Hinc apud Inferos ſupplicii loco dolium pertuſum aquâ implere coguntur, è quo tantumdem effluat, quantum infundatur.

89. *Nec quiſquam nuntiet antè.*] Solebant Romani ſervos ſeu viatores præmittere, ut adventum ſuum nuntiarent. Tibullus contra conſuetudinem Romanorum ſubitò vult venire, quòd repentino adventu ſuo majus puellæ gaudium objectum iri putet.

90 *Cœlo miſſus.*] Quos inopinatò videmus, è *Cœlo* dicimus *miſſos*, unde Cicero de Aruſp. Reſponſ. *ut Deus aliquis elapſus è Cœlo.* Et Juſtin. lib. 5. *Hunc quaſi de Cœlo miſſum, ut & ipſam victoriam intuentur.*

AD PRIAPUM.

ELEGIA IV.

SIc umbroſa tibi contingant tecta, Priape,
Ne capiti Soles, ne noceantque nives.
Quæ tua formoſos cepit ſolertia? certè
Non tibi barba nitet, non tibi culta coma eſt.
Nudus & hibernæ producis frigora brumæ,
Nudus & æſtivi tempora ſicca canis.
Sic ego; tum Bacchi reſpondet ruſtica proles
Armatus curvâ ſic mihi falce Deus.
Tu, puero quodcumque tuo tentare libebit,
Cedas. Obſequio plurima vincit amor.
Sed ne te capiant, primò ſi fortè negabit,
Tædia, paulatim ſub juga colla dabit.
Longa dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli ſaxa peredit aquâ.

INTERPRETATIO.

O PRIAPE, *ita tibi eveniant opaca umbracula, ne æſtus vertici, & nix officiat; quanam tua induſtria bellos delinivit? Neque ſanè tibi barba culta eſt, nec pexus capillus. Tu etiam nudus protrahis algorem hyemis, nudus quoque aridam tempeſtatem æſtiva caniculæ: ita ego, deinde Bacchi progenies agreſtis Deus curvâ falce armatus ita mihi refert; tu permittas puero tuo quicquid explorare volueris; amor multa aſſequitur facilitate At ne te faſtidia afficiant, ſi caſu initio renuet, ſenſim ſub jugum cervicem tradet. Diuturnum tempus erudivit leones homini obtemperare; diuturnum tempus conſumit*

ANNOTATIONES.

1. PRiape.] De *Priapo* Deo hortorum Præſide & Cuſtode jam ſæpius, & pluribus. Orpheus Bacchum, Solem, & Priapum eumdem facere videtur.

Sic. Hac particulâ optantes apprecanteſque bonum utuntur Poëtæ.

Ita Horat. lib. 1. Od. 3.

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ lucida Sydera,
Ventorumque regat Pater, &c.

Ovid 2. lib. Eleg.

Annue, ſic tibi ſint intonſi Phœbe capilli,
Sic tua perpetuò ſit tibi caſta ſoror.

7. *Bacchi proles.*] *Priapum* Liberi patris & Veneris filium fuiſſe tradunt. quem ſuperſtitioſa Antiquitas hortorum Præſidem credidit. Hunc alii Chiones Nymphæ & *Bacchi* filium faciunt; at Luciano conſtat eum non eſſe Bacchi filium.

8. *Armatus curvâ falce.*] Hic pentameter in multis deeſt antiquis Codicibus. *Armatus* autem *falce* dicitur Priapus, quia de numero eſt Deorum Agricolarum, & ut prætereà aves & fures terriret.

10. *Obſequio.*] Obſequendo plerumque ſtudiis alterius amor, quod voluit, aſſequitur.

Unde Propert. lib. 1. Eleg 1.

Minalion nullos fugiendo, Tulle, labores,

Vidi jam juvenem, premeret cum ſerior ætas,
  Mœrentem ſtultos prætériiſſe dies.
Crudeles Divi: ſerpens novus exuit annos:
  Formæ non ullam fata dedêre moram.
Solis æterna eſt Phœbo, Bacchoque juventa:
  Nam decet intonſus crinis utrumque Deum.
Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur,
  Et canis arenti torreat arva ſiti.
Quamvis prætexens pictâ ferrugine cœlum
  Venturam admittat imbrifer arcus aquam.
Vel ſi cæruleas puppi volet ire per undas,
  Ipſe levem remo per freta pelle ratem.
Nec te pœniteat duros ſubiiſſe labores,
  Aut operi inſuetas adteruiſſe manus.
Nec, velit inſidiis altas ſi claudere valles,
  Dum placeas, humeris retia ferre neges.

INTERPRETATIO.

ſtutis debilis, qui primus è carceribus Elaie eductus eſt. Ego novi tunc juvenem, ubi tardiores anni urgerent, dolentem elapſos eſſe dies imprudentes. O *Dii immites, novus anguis deponit ætatem, fata verò nullam cunctationem pulchritudini tribuerunt. Perpetua juventus eſt ſolis Apollini & Baccho; coma enim incadua & longa convenit ambobus Diis. Nec recuſes proficiſci comes, licèt longinquum iter ſuſcipiatur, & canicula exurat agros aridâ ſiccitate. Tametſi arcus pluvius operiens cœlum ærugine verſicolore inducat impendentem aquam. Aut ſi proficiſci cupiet navi per fluctus æquoreos; tu ipſe remo age citam navem per undas; nec pigeat te opera aſpera toleraſſe, vel deterere manus inſolentes laboris. Nec humeri recuſent plagas geſtare, modò ipſi arrideas, ſi eu-*

ANNOTATIONES.

bratiſſima olim fuerunt in Græcia quatuor hæc certamina, Olympia, Pythia, Iſthmia, & Nemœa: Olympia, de quibus hic ſermo eſt, juxta Olympiam Elidis civitatem, quinto quoque anno, in honorem Olympii Jovis celebrabantur. quibus qui vicisset, coronâ ex oleaſtro donabatur. *Elis* porrò fuit etiam civitas non procul àb Olympia, quæ *Elidi* regioni nomen dedit.

30. *Stultos dies.*] Alii legunt, *celebres. Stulti* verò *dies* dicuntur dies adoleſcentiæ & juventutis. Temeritas enim & ſtultitia eſt florentis ætatis.

31. *Serpens novus.*] Depoſitâ pelle *ſerpentes* dicuntur in juventutem redire. Herba quædam eſt dicta *Marathos*, quam cùm comederint ſenium deponunt ætatis; adeo ut, depoſitâ vetere tunicâ, novi, & quaſi juvenes fiant. Unde Ovid. lib. 3. de Arte amandi,

Anguibus exuitur tenui cum pelle ſenectus.

Et Virgil. lib. 3. Georg.

Cùm poſitis novus exuviis, nitiduſque juventa
Volvitur.

38. *Venturam aquam.*] Non ſemper decidit aqua ex arcûs cœleſtis apparitione, ſed aliquando etiam, ut obſervat Seneca, ſerenum indicat: at ſæpiùs aquam portendit. Unde Propert. lib. 3. Eleg. 5.

Cæruleus pluvias cur bibit arcus aquas?

43. *Claudere valles.*] Hoc eſt, *indagine valles cingere*, ad capiendas feras.

Si volet arma, levi tentabis ludere dextrâ.
　Sæpè dabis nudum, vincat ut ille, latus.
Tunc tibi mitis erit, rapias tum cara licebit
　Oſcula. Pugnabit, ſed tamen apta dabit.
Rapta dabit primò: pòſt offeret ipſe volenti;
　Pòſt etiam collo ſe implicuiſſe volet.
Heu malè nunc artes miſeras hæc ſæcula tractant!
　Jam tener aſſuevit munera velle puer.
Jam tua, qui Venerem docuiſti vendere primus,
　Quiſquis es, infelix urgeat oſſa lapis.
Pieridas pueri, doctos & amate Poëtas,
　Aurea nec ſuperent munera Pieridas,
Carmine purpurea eſt Niſi coma: carmina ni ſint;
　Ex humero Pelopis non nituiſſet ebur.

INTERPRETATIO.

piat cingere indagine profundas valles. Si cupiet arma, tu experieris habili dextrâ ludere, crebrò præbebis ipſi apertum latus, ut ille ſuperet: tunc tibi erit lenis, tunc concedetur ut arripias jucunda baſia; renitetur quidem, verumtamen præbebit convenientia. Principio ablata præbebit, deinde ipſe offeret tibi cupienti. Poſteà cupiet etiam ſeſe innexuiſſe cervici. Heu præſens ætas jam nequiter exercet has artes infelices! Nunc aſſuefactus eſt mollis puer mercedem expetere: quicumque es, qui primus inſtituiſti Venerem vanumdare, nunc miſerum ſaxum premat cineres tuos. O pueri, diligite Pieridas & eruditos Vates: nec dona aurea vincant Pieridas. Capillus purpureus Niſi verſibus celebratus eſt: niſi ſint verſus, ebur ex humero Pelopis non claruiſſet. Ille

ANNOTATIONES.

48. *Oſcula.*] Puellæ licèt repugnent, ſæpiùs tamen gaudent ſibi eripi oſcula. Unde Horat. lib. 2. Od. 12

Dum flagrantia detorquet ad oſcula
Cervicem; aut facili ſævitiâ negat,
Quæ poſcente magis gaudeat eripi, &
Interdum rapere occupet.

Ita etiam Sappho ad Phaonem.

Oſcula cantanti tu mihi rapta dabas.

54 *Urgeat oſſa lapis.*] Imprecatio graviſſima eſt ut defuncti oſſa ſaxum urgeat tànquam dolore affligetur: contra verò Juvenalis Satyra 3.

Dii Majorum umbris tenuem & ſine
　pondere terram,

Poetæ enim mortuis amicis precari ſolent, ut terra illis levis ſit.

56. *Pieridas.*] *Pierides* Muſæ dictæ ſunt a *Pieria* regione ad fines Macedoniæ, ubi ex Jove & Mnemoſyne dicuntur natæ: vel, ut alii volunt, à *Piero* quodam Macedone prædivite, qui novem ſuſcepit filias, quæ novem Muſas ad certamen cantûs provocare auſæ, & ab iis victæ in totidem picas mutatæ ſunt: unde poſteà earum nomen veluti trophæum uſurpantes Muſæ *Pierides* ſunt cognominatæ: alii etiam eas ita dictas a *Piero* monte Theſſaliæ volunt.

57. *Purpurea eſt Niſi coma.*] *Niſus* Megarenſium Rex erat cujus filia Scylla, Minois paterni hoſtis amore capta, purpureum patris capillum, in quo ſitum erat totius regni fatum, reſecuit, & hoſti tradidit, à quo tamen cùm ſe deſpici ſentiret, doloris impatientiâ in Cirim avem, id eſt, alaudam, mutata eſt, *Niſus* autem in aliam avem ſui nominis, quæ nunc etiam illam ubique inſectatur.

58. *Ex humero Pelopis.*] Cùm ali-

Quem referent Muſæ, vivet, dum robora tellus;
Dum cœlum ſtellas, dum vehet amnis aquas.
At qui non audit Muſas, qui vendit Amorem:
Idææ currus ille ſequatur Opis:
Et ter centenas erroribus expleat urbes,
Et ſecet ad Phrygios vilia membra modos.
Blanditiis vult eſſe locum Venus ipſa: querelis
Supplicibus, miſeris fletibus illa favet.
Hæc mihi, quæ canerem Titio, Deus edidit ore,
Sed Titium conjux hæc meminiſſe vetat.
O fuge te teneræ puerorum credere turbæ:
Nam cauſam juſti ſemper amoris habent.
Hic placet, anguſtis quòd equum compeſcit habenis,
Hic placidam niveo pectore pellit aquam.
Hic, quia fortis adeſt audacia, cœpit: at illi
Virgineus teneras ſtat pudor ante genas.

INTERPRETATIO.

quem Muſæ prædicabunt, vivet, quamdiu terra feret arbores, & æther ſydera, & flumina ducent aquas ſuas. Qui non amat Muſas, & amorem vanumdat, ille comitetur currum Opis Idææ. & excurſionibus trecentas urbes perluſtret, & amputet ſibi membra inutilia ad numeros Phrygios. Venus ipſa cupit locum eſſe blandimentis, expoſtulationibus illa adeſt ſupplicibus, & infelicibus fletibus. Deus mihi voce protulit iſta, quæ Titio dicerem, at Titium uxor ſua iſta recordari prohibet; cave committere te molli puerorum cœtui. Habent enim perpetuò legitimam amoris cauſam. Hic jucundus eſt, quòd equum arctis frænis coërcet; ille tranquillas aquas agit pulchro pectore: alius allexit, quoniam viget illi ſtrenua alacritas: alii verò in blando vultu ſedet modeſta verecundia:

ANNOTATIONES.

quando Tantalus Deos hoſpitio excepiſſet, in experimentum divinitatis illorum, Pelopem filium in fruſta diſſectum iis epulandum appoſuit, à cujus eſu cùm Dii cæteri abſtinuiſſent, ſola Ceres humerum ejus dextrum abſumpſit. Quem cùm Jupiter deinde ad vitam revocaſſet, eburneum ei humerum reſtituit.

62. *Idææ currus.*] Ops Dea ſive Deorum mater, quæ & Cybele Saturni uxor fuit, cujus Sacra in *Ida* monte Phrygiæ celebrabantur à Gallis Sacerdotibus, qui ſibi genitalia teſtaceo fruſto abſcindebant, hinc Juvenalis:

Mollia qui raptâ ſecuit genitalia teſtâ.

63. *Erroribus expleat.*] Hoc eſt, *excurſionibus obeat*, trecentenas autem urbes poſuit ut numerum certum, & finitum pro infinito. Porrò Corybantes ferendo huc illuc diſcurrebant, & tympana celeberrimo pulſu quatiebant.

64. *Ad Phrygios modos.*] *Phrygia* regio eſt Aſiæ Minoris, ubi olim fuit Troia; ibidem eſt mons *Ida*, in quo Cybele colebatur, cujus ſacrificia ad modos ſeu numeros, ſeu ſonos quoſdam peragebantur à Sacerdotibus, qui ſibi virilia membra ſecuerant. Unde Ovid. in Ibin.

Attonituſque ſeces, ut quos Cybeleia mater
Incitat, ad Phrygios vilia membra modos.

67. *Hæc mihi quæ canerem Titio.*] Juriſconſultorum & prudentum more

Pareat ille ſuæ : vos me celebrate magiſtrum ,
  Quos malè habet multâ callidus arte puer.
Gloria cuique ſua eſt : me , qui ſpernentur amantes ,
  Conſulrent : cunctis janua noſtra patet.
Tempus erit , cùm me Veneris præcepta ferentem
  Deducat juvenum ſedula turba ſenem.
Eheu , quàm Marathus lento me torquet amore !
  Deficiunt artes , deficiuntque doli.
Parce , puer , quæſo , ne turbis fabula fiam ;
  Cùm mea ridebunt vana magiſteria.

INTERPRETATIO.

ille autem obſequatur ſua : vos autem quos aſtutus puer multis fallaciis exagitat , doctorem me prædicate. Unicuique ſua laus eſt , amatores qui deſpiciuntur : me conſulant : fores meæ apertæ ſunt omnibus. Veniet tempus , ubi me grandævum officioſus juvenum cœtus proſequatur leges amoris præcipientem, Heu quàm tardo amore me cruciat Marathus ! Deſunt fraudes , ac deſunt ipſi fallaciæ. O puer , precor , indulge mihi ne evadam vulgo ludibrium : quando irrita præcepta mea irridebunt.

ANNOTATIONES.

profitetur ſe de amore reſpondere , ut Juriſconſulti ſolent de Jure : nam nemo neſcit Titium eſſe Juriſconſultorum perſonam ſuppoſititiam.

76. *Callidus puer.*] Hoc eſt Cupido Deus amoris , qui artibus & ingenio valet.

78. *Conſulrent : cunctis janua noſtra patet.*] Duplex mos erat Juriſconſultorum , unus ambulandi tranſverſo foro : alter inſcribendi in janua. *Licet conſulere.* Cicero unum tangit in Oratione pro Murenâ : alterum tertio de Oratore : *M. verò Manilium* , inquit , *nos etiam vidimus tranſverſo ambulantem foro ; quod erat inſigne eum qui id faceret , civibus omnibus facere conſilii ſui copiam.*

81. *Marathus.*] Puer quidam cujus amore tenebatur.

ELEGIA V.

ASPER eram , & benè diſſidium me ferre loquebar ;
  At mihi nunc longè gloria fortis abeſt.

INTERPRETATIO

FEROX *eram , & dicebam me æquo animo pati divortium ; jam verò procul à me abhorret animoſi laus , ſic enim jactor tanquam per aquam hu-*

ANNOTATIO.

1. *ASper eram.*] Refert Poëta , quæ pro amicæ ægrotantis ſalute fecerit , queriturque de ſuo animo erga eam officioſo : eique objicit ſummo cum dolore , quæ ſibi illa ſi in bonam valetudinem fuiſſet reſtituta ; propoſuerat ; hoc verò ideò facit ut eam ab alterius amore ad ſe revocet. *Diſſidium* autem ſignificat ſeparationem interceſſiſſe cum diſcordia.

Namque

Namque agor, ut per plana citus ſola verbere turben,
Quem celer aſſuetâ verſat ab arte puer.
Ure ferum, & torque: libeat ne dicere quicquam
Magnificum poſthac, horrida verba doma.
Parce tamen, per te furtivi fœdera lecti,
Per Venerem quæſo, compoſitumque caput.
Ille ego, cùm triſti morbo defeſſa jaceres,
Te dicor votis eripuiſſe meis.
Ipſeque te circum luſtravi ſulphure puro,
Carmine cùm magico procubuiſſet anus.
Ipſe procuravi, ne poſſent ſæva nocere
Somnia, ter ſalsâ devenetanda molâ.
Ipſe ego velatus filo, tunicisque ſolutis
Vota novem Triviæ nocte ſilente dedi.

INTERPRETATIO.

mum rapidus trochus, quem alacris puer rotat arte ſolitâ. Vexa indomitum, & excrucia: ne me juvet impoſterum proferre quidquam glorioſum, frange execranda dicta. Ignoſce nihilominus, precor te, per pactiones thori clandeſtini, per Venerem, per caput conjunctum. Ego ipſe, cùm decumberes gravi ægritudine debilitata, liberaſſe teipſam feror precibus meis. Ego ipſe te ſulphure circumlato expiavi, cùm vetula magico cantu procidiſſet. Ego ipſe dira ſomnia ter ſacro farre expianda averruncavi, ne tibi poſſent officere. Ego ipſe filo tectus, & recinctâ veſte novem vota feci Triviæ, tacitâ nocte.

ANNOTATIONES.

3. *Turben.*] Alii legunt, *turbe*: ſed utrumque genus eſt inſtrumenti luſorii, quo verbere agitando oblectantur pueri. Hinc Poëta denotat ſuam inſtabilitatem & miſeriæ varietatem.

8. *Compoſitumque caput.*] Hoc eſt, *ornatum & concinnatum*, vel etiam, ut vult Scaliger, *junctum*: ita ut *componere caput*, ſit *ſimul unà jungere*: ut illud Ovidii.

Perque tuum noſtrumque caput, quod junximus unà.

11. *Ipſeque te circum luſtravi ſulphure.*] Vim *luſtrandi* eſſe in *ſulphure* putabant Veteres. Plin. lib. 5. cap. 35. habet & in religionibus locum ad expiandas ſuffitu domos. Hinc ait Servius *In ſacris omnibus tres ſunt iſtæ purgationes; nam aut tædâ purgantur, & ſulphure; aut aquâ abluuntur; aut aëre ventilantur, quod erat in ſacris Liberi. Procumbebat autem anus magicum carmen immurmurans.* Hinc Ovid. lib. 2. de Arte amandi.

Et veniet, quæ luſtret anus lectumque locumque
Perferat, & tremulâ ſulphur, & ova manu.

13 *Ipſe procuravi.*] Veteris ſuperſtitionis fuit meticuloſa ſomnia ablutione averruncare, ut obſervatum eſt apud Æſchylum. Sed & illud Sophocles prodit, Veteribus in more diu fuiſſe, ut ſomnia avertentes ea ſoli narrarent, ut refert Cœlius Rhodiginus

14. *Devenerandа.*] Hoc eſt, *deprecanda*. &, ut Veteres in his loquebantur, *averruncanda.* In pluribus libris legitur, *ſalſa*, non *ſancta*: melius videtur, *ſalſa*, cùm nulla ſine *molâ ſalſâ* ſacra fierent. Plin. lib. 22. *Maximè tamen in ſacris intelligitur autoritas, quando nulla conficiuntur ſine molâ ſalſâ.*

15. *Ipſe ego velatus filo.*] Flamines geſtabant pileum, in cujus faſtigio, ſive apice virga erat deſuper aliquid lanæ habens. Per æſtum verò capita filo tantùm laneo religabant, cum nudis penitùs capitibus eos incedere nefas eſſet. Velato præterea capite Veteres ſacra ſolitos facere nemo neſcit.

16. *Vota novem Triviæ.*] *Trivia* di-

Omnia perſolvi; fruitur nunc alter amore,
  Et precibus felix utitur ille meis.
At mihi felicem vitam, ſi ſalva fuiſſes,
  Fingebam demens, ſed renuente Deo.
Rura colam, frugumque aderit mea Delia cuſtos,
  Area dum meſſes ſole calente teret.
Hæc mihi ſervabit plenis in lintribus uvas,
  Preſſaque veloci candida muſta pede.
Conſueſcet numerare pecus, conſueſcet amantis
  Garrulus in dominæ ludere verna ſinu.
Illa Deo ſciet agricolæ pro vitibus uvam,
  Pro ſegete ſpicas, pro grege ferre dapem.
Illa regat cunctos, illi ſint omnia curæ,
  Et juvet in totâ me nihil eſſe domo.
Huc veniet Meſſalla meus, cui dulcia poma
  Delia ſelectis detrahet arboribus.
Et tantum venerata virum, hunc ſedula curet;
  Huic paret, atque epulas ipſa miniſtra gerat.

INTERPRETATIO.

Cuncta perfeci: jam alter amore tuo potitur, & ille votis meis beatus utitur: mihi autem beatam vitam fore putabam inſanus, ſi incolumis convaluiſſes, at Diis adverſis. Ego agros exercebo, & Delia mea cuſtos erit frugum, cùm area meſſes teret, ardente ſole. Ipſa mihi cuſtodiet botros in doliis refertis; & alba vina agilibus plantis calcata. Ipſa diſcet greges recenſere: & vernula aſſueſcet luſitare in gremio amantis heræ. ipſa noſcet offerre Diis ruſticis racemos pro vindemiâ, ſpicas pro frugibus, & dapem pro pecore. Ipſa omnes gubernet, cuncta ipſi curæ ſint; & me delectet nihil meipſum eſſe in tota familiâ. Eò accedet Meſſalla meus, cui Delia ſuavia mala decerpet ex potioribus arboribus. Et tam eximium hominem reverita, ipſum colat ſtudioſa. Ipſi ci-

ANNOTATIONES.

cta eſt, Diana ſive Proſerpina, quòd in *Triviis* ponebatur cum coronâ querneâ & draconum voluminibus: unde tres facies habere fingebatur. Nonnulli malè legunt, *Veneri. Vota novem ſolvit*, propter numerum imparem, qui ſacer, & Diis gratus erat, vel forſan in myſteriis. Ea ſacra ſunt quæ Maro in Ciri appellat Stygialia, quæ & Porphyrio Interpres Horatii Cocytia vocat, ea Sagæ faciebant ad pelliciendum in amorem quoſcumque vellent. Talia ſunt illa quæ Dido prætexit in 4. Æneidos, ſe facere velle,

Sacra Jovi ſtudio

Nonnulli tamen cenſent hic agi de inſomniis, quibus præeſt Hecate.

23. *Plenis lintribus.*] *Linter* eſt lignum cavatum ut navis, quo, ait Feſtus, in vindemiis Ruſtici uti ſolent, & ut ait Cato, genus dolii ruſticani; per metaphoram verò pro navigio ſumitur ob ſimilitudinem.

27. *Illa Deo ſciet agricolæ.*] Antiqui pro ſuâ pietate frugum & fructuum primitias Diis immortalibus libare conſueverant, nec antè guſtare quàm Diis conſecraſſent. Cenſorinus ait: *itaque cum perceperant fruges, antequàm veſcerentur Diis libare inſtituerunt.*

33. *Et tantùm venerata.*] Sequitur, *virum*, ubi non eliditur *m* ante *hunc*.

Hæc mihi fingebam, quæ nunc Caurusque Notuſque
Jactat odoratos vota per Armenios.
Num Veneris magnæ violavi Numina verbo:
Et mea nunc pœnas impia lingua luit?
Num feror inceſtus ſedes adiiſſe Deorum?
Sertaque de ſanctis deripuiſſe focis?
Non ego tellurem genibus perrepere ſupplex,
Et miſerum ſancto tundere poſte caput:
Non ego, ſi merui, dubitem procumbere templis,
Et dare ſacratis oſcula luminibus.
At tu, qui lætus rides mala noſtra, caveto
Mox tibi, non unus ſæviet uſque Deus.
Vidi ego, qui juvenum miſeros luſiſſet amores,
Poſt Veneris vinclis ſubdere corda ſenem.
Et ſibi blanditias tremulâ componere voce,
Et manibus canas fingere velle comas.
Stare nec ante fores puduit, caræve puellæ
Ancillam medio detinuiſſe foro.

INTERPRETATIO.

bos instruat, & ipſa famula apponat. Iſta mihi imaginabar, qua optata jam & Corus atque Auſter abripiunt per Armenios odoriferos. An poteſtatem Veneris magna dicto offendi? Et lingua improba jam ſupplicium pendit? An dicor Divorum templa impurus inviſiſſe? Et coronas è ſacris aris detraxiſſe? Equidem non cunctor genibus terram ſupplex perreptare, & ſacris poſtibus infelix caput alldere: nec ego ſi dignus ſum, cunctor eorum fanis procidere, & auguſtis foribus oſcula præbere. Tu verò, qui gaudens ludis mea incommoda, proſpicito modò tibi ipſi: idem Deus non perpetuò iratus erit. Ego ipſe ſpectavi, qui infelices amores irriſiſſet, poſteà vetulum ſubjicere cervicem Veneris jugo, & concinnare ſibi illecebras trementi voce & manibus cupere medicare canos capillos. Nec erubuit hærere ad januam, aut mediâ plateâ amicæ dilectæ famulam remo-

ANNOTATIONES.

35. *Caurusque Notusque.*] *Caurus* qui & *Corus*, ventus eſt qui ſpirat ab Occidente, ſicut & Auſter a meridie.

36. *Odoratos vota per Armenios.*] Duplex *Armenia* eſt, *Major* & *Minor*: Inter reliqua aromata, quæ illic naſcuntur, pretioſum amomum magno in honore eſt, quod *Armeniacum* dicitur. Quæ autem *vota* non eveniebant, & irrita cadebant, ea ad Deos non eſſe perlata a ventis, ſed vel diſſipata, vel in regionem longinquam avecta arbitrabantur.

37. *Num Veneris magnæ violavi.*] Veteres ſuorum incommodorum cauſam Diis attribuebant, quos ſibi infeſtos, & ſuo aliquo merito, & noxa læſos opinabantur.

41. *Non ego tellurem genibus perrepere.*] In Diis placandis per templum ſupplices non incedebant, ſed repebant ad ſedem ejus Dei, quem placare cupiebant.

42. *Et miſerum ſancto tundere poſte caput.*] Romani religionis aliquid liminibus, & poſtibus tribuebant. Unde amplectebantur poſtes, & oſculabantur limina, & ad Deorum iram placandam poſti caput illidebant.

Hunc puer, hunc juvenis turba circumſtrepit arcta,
Deſpuit in molles & ſibi quiſque ſinus.
At mihi parce, Venus, ſemper tibi dedita ſerviit
Mens mea; quid meſſes uris acerba tuas?

INTERPRETATIO.

vari. Ipſum pueri, ipſum adoleſcentes denſo cœtu circummurmurant: & ſinguli ſibi in tenerum gremium deſpuunt. Tu verò, ô Venus, ignoſce mihi, animus meus tibi devotus perpetuò fuit addictus. Quare incendis aſpera fruges tuas?

ANNOTATIO.

54. *Deſpuit in molles.*] Putabant Antiqui in ſinum ſibi deſpuendo faſcinum averti, quod innuit Interpres Juvenalis, in hæc verba (*conſpuiturque ſinus.*) *Propter faſcinum*, inquit, *verberum, ter ſibi in ſinum ſpuunt, & videntur faſcinum arcere.* Simili ferè de cauſa pueri & puellæ ſenem illum amatorem, quaſi dirum omen averſati, in ſinum ſibi deſpuebant.

ELEGIA VI.

SÆPE ego tentavi curas depellere vino,
At dolor in lacrymas verterat omne merum.
Sæpè aliam tenui; ſed jam cùm gaudia adirem,
Admonuit dominæ, deſeruitque Venus.
Tunc me diſcedens devotum fœmina dixit.
Et, pudet heu! narrat ſcire nefanda mea.
Non facit hoc verbis, facie teneriſque lacertis
Devovet, & flavis noſtra puella comis.

INTERPRETATIO.

EGo *frequenter conatus ſum vino amovere ſollicitudines, ſed mœror commutaverat in lacrymas omne vinum; frequenter etiam habui aliam. At ubi mox voluptatem perciperem, Venus commonefecit me amicæ, & me deſtituit. Tunc abiens mulier affirmavit me incantatum eſſe, atque heu erubeſco! commemorat ſe noſſe deteſtanda mea. Id dictis non peragit puella noſtra, faſcinat me formâ ſuâ & mollibus brachiis, & flavis capillis. Thetis æquorea No-*

ANNOTATIONES.

1. C*Uras depellere vino.*] Eodem ferè modo Tibullus Elegia II. ſupra.
—— *Vinoque novos compeſce dolores.*
Horat. lib. I. Od. 7.
—— *Nunc vino pellite curas.*
Hac porrò Elegiâ de amicæ levitate conqueritur Tibullus, quam à ſe alienaſſe dolet lenam, quam convitiis inſectatur

5. *Devotum.*] Hoc eſt *faſcinatum, incantatum*, ut & poſt Elegia VIII.
Num te carminibus, num te pallentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus?

Talis ad Æmonium Nereis Pelea quondam
Vecta eſt frænato cærula piſce Thetis.
Hæc nocuêre mihi, quòd adeſt huic dives amator,
Venit in exitium callida lena meum.
Sanguineas edat illa dapes, atque ore cruento
Triſtia cum multo pocula felle bibat.
Hanc volitent animæ circum ſua querentes
Semper, & è tectis ſtrix violenta canat.
Ipſa fame ſtimulante furens herbaſque ſepulchris
Quærat, & a ſævis oſſa relicta lupis.
Currat & inguinibus nudis, ululetque per urbes,
Poſt agat à triviis aſpera turba canum.

INTERPRETATIO.

veli talis olim delata eſt piſce frænato ad Peleum Theſſalum. Illud mihi obſtitit quod ille præſto eſt locuples amator, acceſſit aſtuta lena in perniciem meam. Illa devoret carnes cruentas, & ore ſanguinolento hauriat graves calices cum multo felle. Umbræ ſortem ſuam deplorantes circumvolitent illam perpetuò & rapaces ſtriges è culminibus ſtrepant. Eadem eſurie inſtigante amens petat è tumulis gramina, & oſſa à lupis crudelibus derelicta. Ipſa etiam nudâ pube vagetur per oppida, & vociferetur. Et canum è compitis multitudo acerba

ANNOTATIONES.

Ovid. 3. Amor. Eleg. 6.

Num mea Theſſalico languent devota veneno
Corpora.

Devotos dixerunt, qui maleficâ arte defixi Veneris munus non poſſent implere: unde Apuleius: *Si quis devotus defixuſque in nuptiis fuerit, ſic eum reſolves.*

9. *Talis ad Æmonium.*] Thetis Nerei Dei marini filia fuit, & Achillis mater, quem ſuſcepit ex Peleo Theſſaliæ rege, cui nupſit Dea homini: de cujus nuptiis extat Catulli Carmen elegantiſſimum.

10. *Piſce Thetis.*] Amicæ pulchritudinem confert cum pulchritudine *Thetidis*, quando olim ducta eſt ad Peleum maritum, qui ex eâ ſuſcepit Achillem. *Nereis* verò dicitur *Thetis* à Nereo patre Deo maris. Ad mentem Tibulli Ovid. lib. 11. Metamorph.

——— *Quo ſæpè venire*
Frænato Delphine ſedens, Theti, nuda ſolebas,
Illic te Peleus, dum ſomno victa jacebas,
Occupat.

15. *Sua fata querentes.*] Umbras defunctorum putavit Antiquitas centum annos errare, donec à culpis in vita contractis purgarentur, quæ fusè exequitur Virgil. Æneid. 6.

16. *Strix violenta.*] *Strix* avis quædam eſt nocturna & importuna à *ſtridendo* ſic dicta, quæ Antiquis valdè mali ominis fuit. Ovidius 6. Faſtorum ait infantes ſine nutricum cuſtodia relictos, à *ſtrigibus* è cunis rapi, ſanguinemque omnem ab illis exſorberi. Has ſic deſcribit:

Grande caput, ſtantes oculi, roſtra apta rapinæ,
Canities pennis, unguibus hamus ineſt.
Nocte volant, pueroſque petunt nutricis egentes, &c.

Ab illius avis nocumento *ſtriges* appellantur mulieres illæ, quæ pueros ſuo contactu faſcinant.

17. *Herbaſque ſepulchris.*] Alii legunt, *eſcaſque ſepulchris*: quem malueris ſenſum elige.

20. *Poſt agat à Triviis.*] Canes à

Eveniet: dat ſigna Deus: ſunt numina amanti.
Sævit & injuſtâ lege relicta Venus.
At tu quamprimùm Sagæ præcepta rapacis
Deſere; NAM donis vincitur omnis amor.
Pauper erit præſto tibi, præſto pauper adibit
Primus, & in tenero fixus erit latere.
Pauper in anguſto fidus comes agmine turbæ
Subjicietque manus, efficietque viam.
Pauper ad occultos furtim deducit amicos,
Vinclaque de niveo detrahit ipſe pede.
Heu canimus fruſtrà; nec verbis victa pateſcit
Janua: ſed plenâ eſt percutienda manu.
At tu qui potior nunc es, mea furta caveto.
VERSATUR celeri fors levis orbe rotæ.

INTERPRETATIO.

inſectetur. Id continget: Deus prabet indicia: amatoribus Dii ſui ſunt: & Venus iniquo jure neglecta furit. Tu verò, derelinque citò monita avara Magæ: etenim quivis amor ſuperatur muneribus. Inops aderit tibi, inops primus in promptu te inviſet, & adhareſcet blando tuo lateri. Inops fidelis aſſectator in arcto multitudinis cœtu manus ſupponet, & iter aperiet: inops ad amatores ſecretos ipſe clanculum adducit. Et ipſe ligamina diſſolvit è candidis plantis. Heu incaſſum canimus, nec fores patent dictis domita. At robuſtâ manu pulſanda ſunt. Tu verò, qui jam præſtantior es, proſpice furta mea. Fortuna inconſtans volubili globo repentè vertitur.

ANNOTATIONES.

triviis dicuntur, ut Ovidius dicit aſellam à molâ.

Ut rudis à ſcabrâ turpis aſella molâ.

28 *Subjicietque manus.*] Illud ipſum eſt quod Horat. dicit,

——— *Extrahe turbâ*
Oppoſitis humeris.

33. *Furta caveto.*] Alii legunt, *timeto*, nec malè: alii *fata*, non *furta*, ſed malè.

34. *Fors levis orbe rota.*] Plures legunt, *orbe cito*, quod magis placet Scaligero; cùm dicat Ovid.

Nec metuis dubio fortunæ ſtantis in orbe.

Quòd putet Scaliger Tibulli tempore *globo* potiùs quam *rota* inſiſtens pingeretur *fortuna*; ſed intercedit Propert. qui lib. 2. Eleg. VIII. ait:

Vinceris aut vincis, hæc in amore rota eſt.

Cicero præterea ait Orat. in Piſonem: *In quo ae tum quidem, cum illum ſaltatorium verſares orbem, fortunæ rotam pertimeſcebat.*

ELEGIA VII.

SEMPER ut inducas blandos offers mihi vultus,
Poſt tamen es miſero triſtis, & aſper Amor.
Quid tibi ſævitiæ mecum eſt? An gloria magna eſt,
Inſidias homini compoſuiſſe Deum?
Jam mihi tenduntur caſſes, jam Delia furtim
Neſcio quem tacitâ callida nocte fovet.
Illa quidem tam multa negat; ſed credere durum eſt:
Sic etiam de me pernegat uſque viro.
Ipſe miſer docui, quo poſſet ludere pacto
Cuſtodes: eheu nunc premor arte meâ.
Fingere nunc didicit cauſas, cur ſola cubaret:
Cardine nunc tacito vertere poſſe fores.
Tum ſuccos herbaſque dedi, queis livor abiret,
Quem facit impreſſo mutua dente Venus:
At tu fallacis conjux incaute puellæ,
Me quoque ſervato, peccet ut illa nihil.
Neu juvenes celebret multo ſermone caveto,
Neve cubet laxo pectus aperta ſinu.
Neu te decipiat nutu, digitoque liquorem
Ne trahat, & menſæ ducat in orbe notas.

INTERPRETATIO.

O CUPIDO, oſtendis mihi faciem benignam, ut me jugiter allicias; poſteà nihilominus infelici mihi gravis & durus es. Quid tibi acerbitatis mecum eſt? Num egregia laus eſt, Deum mortali fallacias contexuiſſe? Nunc laquei mihi parantur. Nunc ſubdola Delia neſcio quem clam detinet ſilenti nocte. Reverâ plurimum inficiatur: at difficile eſt ipſi fidem adhibere. Ita quoque ipſi marito de me conſtanter inficiatur. Ipſe ego infœlix inſtitui eam quâ ratione deciperet poſſet cuſtoditores ſuos. Heu me jam ipſe meâ fraude lædor! jam docta eſt comminiſci rationes quare ſecubaret: jam novit convertere poſſe januam cardine ſilenti. Prætereà ſuccos & gramina præbui, quibus abſcederet livor, quem mutuus amor inficit infixo dente. Tu verò, ô imprudens marite, doloſæ fœminæ, me ipſum etiam cuſtodito, ut ipſa nihil delinquat. Videto ne ipſa longis colloquiis frequentet adoleſcentes, aut ne jaceat nudata pectus, ſoluto ſinu, aut ne fallat te nutibus, & ne digito laticem ducat, & ſigna exprimat in

ANNOTATIONES.

1. SEmper ut inducas.] De Cupidinis erga ſe aſperitate, & de ſubleſta fide amicæ conqueritur Poëta, matremque amicæ mirum in modum collaudat, quòd cum ipſo filiam reconciliavit.

7. *Sed credere durum eſt.*] Semel in mendacio deprehenſis poſteà ſemper abdicatur fides. Hunc locum totidem ferè verbis repetit Ovid. lib. 2 Triſt.

Credere juranti durum putat eſſe Tibullus. &c.

12. *Vertere poſſe fores.*] *Fores* dicuntur, quæ foris aperiuntur, valvæ quæ intrò volvuntur.

19. *Digitoque liquorem.*] Eodem ferè modo Poëta ingenioſiſſimus ait,

Exibit quàm ſæpè, time: ſeu viſere dicet
Sacra bonæ maribus non adeunda Deæ.
At mihi ſi credas, illam ſequar unus ad aram;
Tunc mihi non oculis ſit timuiſſe meis.
Sæpè, velut gemmas ejus, ſignumque probarem,
Per cauſam memini me tetigiſſe manum.
Sæpè mero ſomnum peperi tibi: at ipſe bibebam
Sobria ſuppoſitâ pocula victor aquâ.
Non ego te læſi prudens, ignoſce fatenti:
Juſſit Amor. CONTRA quis ferat arma Deos?
Ille ego ſum, nec me jam dicere vera pudebit,
Inſtabat totâ cui tua nocte canis.
Non fruſtrà quidam jam nunc in limine perſtat
Sedulus, ac crebrò proſpicit, ac refugit.

INTERPRETATIO.

menſæ circulo. Metue quotieſcunque egredietur, ſive aſſeret ſe adire ſacra bona Dea viris non viſenda. Sed ſi fidas mihi, ego ſolus comitabor eam ad aram. Tunc liceat mihi non metuiſſe luminibus meis. Frequenter quaſi laudarem annulos ejus, & ſigillum per prætextum memini me contrectaſſe manum ejus. Frequenter tibi ſoporem vino conciliavi. Ego verò mei tempos calices aquâ ſubjectâ hauriebam. Non te offendi volens; parce confitenti. Amor imperavit; quis bellum gerat adverſus Deos? Ego ipſe ſum, nec erubeſcam nunc proferre verum, cui tuus canis inſiſtebas totâ nocte. Noc fruſtrà ille, qui nunc aſſiduus ad januam tuam pervigilat, & frequenter aſpicit, ne quis veniat, &

ANNOTATIONES.

amantes fuiſſe ſolitos in menſa blanditias ſcribere vino, aut aliis liquoribus: hæc enim ait Ovid. lib. 1. de Arte amandi.

Blanditiaſque leves tenui perſcribere vino,
Ut dominam in menſa ſe legat illa tuam.

Et in Epiſt. Helenæ ad Paridem.

Orbe quoque in menſa legi ſub nomine noſtro,
Quod deducta mero littera fecit, Amo.

Orbem verò dicit Poëta, quòd *menſæ* apud Veteres *rotundæ* fuerunt, quarum hodie multæ ſpecies in vetuſtis ſaxis viſuntur.

22. *Sacra bona maribus non adeunda Dea.*] *Bonam Deam* Varro filiam Fauni fuiſſe tradidit, adeo pudicam, ut extra Gynæceum nunquam ſit egreſſa, nec nomen ejus in publico fuerit auditum, nec virum unquam viderit; vel à viro viſa ſit; proindeque nec vir Templum ejus ingreditur. De qua Dea Macrob. pluribus diſputat l. 1. c. 12.

23. *Sequar unus ad aram.*] Hæc *ara* ſtatuebatur in domo Conſulis ejus, cujus eo menſe faſces erant. Propert.

Interdicta viris metuendâ lege piatur,
Quæ ſe ſummotâ vindicat ara caſâ.

24. *Tunc mihi non oculis ſit timuiſſe meis.*] Exiſtimabant ſtatim cæcos fieri eos qui vidiſſent ſacra vetita, ut Appio contigit. & Pontifici Metello. Publium autem Clodium, qui etiam his ſacris interfuit, Cicero dicit cæcum factum eſſe mente, non corpore.

33. *Non fruſtrà quidam.*] Ovid. 2. Triſt. commemoratis his Tibulli verſibus ſatis innuit Tibullum ipſum ſub alterius perſona de ſeipſo locutum eſſe, quod ab eo artificiosè factum eſſe Scaliger obſervat,

Et ſimulat

Et ſimulat tranſire domum : mox deinde recurrit
Solus , & ante ipſas excreat uſque fores.
Neſcio quid furtivus amor parat : utere quæſo
Dum licet : in liquida nat tibi linter aqua.
Quid tenerâ tibi conjuge opus , tua ſi bona neſcis
Servare ? fruſtrà clavis ineſt foribus.
Te tenet , abſentes alios ſuſpirat amores ,
Et ſimulat ſubitò condoluiſſe caput.
At mihi ſervandam credas ; non ſæva recuſo
Verbera , detrecto non ego vincla pedum.
Tunc procul abſitis quiſquis colit arte capillos ,
Effluit effuſo cui toga laxa ſinu.
Quiſquis & occurret , ne poſſit crimen habere ,
Stet procul , aut aliâ ſtet procul antè viâ.
Sic fieri jubet ipſe Deus ; ſic magna Sacerdos
Eſt mihi divino vaticinata ſono.
Hæc ubi Bellonæ motu eſt agitata , nec acrem
Flammam , non & amans verbera torta timet.

INTERPRETATIO.

refugit , dum aliquis accedit , & fingit ſe præterire ædes tuas : ſubitò poſt regreditur ſolus , & ſemper ſcreat ante januam ipſam. Clandeſtinus amor neſcio quid aggreditur , utere , precor , donec conceditur. Navis tua currit in facili flumine. Quid tibi eſt opus uxore delicatâ , ſi tua commoda tueri ignoras ? incaſſum clavis ineſt tua januæ ; te complectitur , anhelat abſentes alios amores. Et repente fingit ſibi caput malè habuiſſe. Sed tu committas mihi hanc cuſtodiendam ; non abnuo flagella dura , nec ego recuſo pedum ligamina. Tunc longè abſcedatis , quicumque artificio comas concinnat , cui veſtis fluxa diſſoluto ſinu demittitur , & quicumque obvius erit ut flagitium habere nequeat , longè ſiſtat , vel prius alia vice procul moveatur , ipſum numen ita fieri præcipit. Ita mihi prædixit Sacerdos magna cœleſti voce. Statim atque ipſa Bellona inſtinctu concitata eſt , nec ardens metuit rapidos ignes , nec inflicta flagra , ipſa

ANNOTATIONES.

42. *Alios ſuſpirat amores.*] Nævius etiam ab amica teneri alium ſignificans ſententiâ & verbis utitur huic loco non alienis. Hæc refert Feſtus in verbo, *adnictat.* *Alii adnutat , alii adnictat , alium amat , alium tenet.* Et alius quidam : *alium tenet , alii nutat , alibi manus eſt occupata , alii pervellit pedem , alii dat annulum ſpectandum à labris , alium invocat , cum alio cantat , attamen aliis dat digito litteras.* Sed quia novit mulierum ingenium , atque artes & dolos , ut poſſit omnes recenſere ?

44. *Vincla pedum.*] Non recuſat ferre catenas & compedes , quibus illigati janitores ſervi ad fores excubabant apud Antiquos.

46. *Effluit effuſo cui toga.*] Qui laxiùs cingebantur , neque togam arcto ſatis nodo adſtringebant , delicati habebantur & amatores , ut Julius Cæſar , & Mœcenas , qui diſcinctus , malè præcinctus , & tunicam habere ſolutam dicebatur.

49. *Sic fieri jubet ipſe Deus.*] Bellonam intelligit , cujus Numen ad terrorem uſurpat : eſt autem Bellona bellorum Dea , & Martis ſoror. Hæc autem *Deus* dicitur Græcorum more.

49. *Magna Sacerdos.*] Bellonæ nem-

Ipſa bipenne ſuos cædit violenta lacertos,
Sanguineque effuſo ſpargit inulta Deam.
Statque latus præfixa veru, ſtat ſaucia pectus:
Et canit eventus, quos Dea magna monet.
Parcite, quam cuſtodit Amor violare puellam:
Ne pigeat magno pòſt didiciſſe malo.
Attigerit, labentur opes: ut vulnere noſtro
Sanguis, ut hic ventis diripiturque cinis.
Et tibi neſcio quas dixit, mea Delia, pœnas:
Si tamen admittas, ſit precor illa levis.
Non ego te propter parco tibi, ſed tua mater
Me monet, atque iras aurea vincit anus.
Hæc mihi te adducit tenebris, multoque timore
Conjungit noſtras clam taciturna manus.
Hæc foribuſque manet noctu me affixa, proculque
Cognoſcit ſtrepitus, me veniente, pedum.
Vive diu, mî dulcis anus: proprios ego tecum
Sit mihi fas annos contribuiſſe velim.
Te ſemper, natamque tuam te propter amabo.
Quidquid agit, ſanguis eſt tamen illa tuus.

INTERPRETATIO.

ſæva cultro brachia ſua concidit, & cruore ſparſo ipſa innoxia Divam perfundit, & manet latus obelo fixa, pectus vulnerata, & prædicit exitus quos potens Diva ſuggerit. Abſtinete offendere puellam, quam Cupido ſervat, ne poſteà doleatis vos id accepiſſe gravi veſtro damno. Si quis violarit, excident ejus bona. ſicut cruor manat è plagâ noſtrâ; ſicut iſta flamina & pulvis diſſipantur. Tibi etiam, ô mea Delia, prænuntiavit neſcio quod ſupplicium, ſi tamen commiſeris, opto ut illa inanis ſit. Non tibi ignoſco tui causâ, ſed nutrix tua flectit me, & furorem domat aurea vetula. Ipſa deducit te mihi nocte. & magno metu manus noſtras furtim tacita connectit; ipſa etiam hærens ad oſtium nocte expectat me, & accedente me, ſentit ſonitum pedum. O mea vetula jucunda! longo tempore vive, ego optem, dum liceat meos annos cum tuis communicaſſe, diligam te perpetuò, & filiam tuam tui causâ, quidvis facit,

ANNOTATIONES.

pè *Sacerdos*, ſeu ex Corybantibus afflata divino ſpiritu.

53. *Ipſa bipenne ſuos.*] Bellonæ Sacerdotes ex Curetibus ſeu Corybantibus erant, nil ſanè ſibi præter brachia in ſacris vulnerabant.

Lucanus.

—— *Tum quos ſectis Bellona lacertis*
Sæva movet, cecinère Deos.

56. *Et canit eventus.*] Vaticinabantur Bellonæ Sacerdotes ſtragem populorum, aut everſiones urbium, & ubi ſemel concepto furore diſcurrere cœpiſſent, iis maxima fides habebatur.

64. *Anus aurea.*] *Auream anum* vocat, quæ ſuâ ſedulitate valde placeret, & eſt amantium in laudandâ vetulæ diligentiâ proverbium.

65. *Adducit.*] Propriè: nam de lena matre loquitur, & *adducere*, eſt, *puellam* alicui *conciliare*: unde etiam *adductrices* lenas dixere Veteres.

Sit modò caſta doce; quamvis non vitta ligatos
Impediat crines, nec ſtola longa pedes.
Et mihi ſint duræ leges, laudare nec ullam
Poſſim ego, quin oculos appetat illa meos.
Et ſi quid peccaſſe putor, ducterque capillis
Immeritò, properas proripiarque vias:
Non ego te pulſare velim: ſed venerit iſte
Si furor, optarim non habuiſſe manus.
Ne ſævo ſis caſta metu, ſed mente fideli,
Mutuus abſenti te mihi ſervet amor.
At quæ fida fuit nulli, poſt victa ſenectâ
Ducit inops tremulâ ſtamina tota manu:
Firmaque conductis adnectit licia telis,
Tractaque de niveo vellere ducta putat.
Hanc animo gaudente vident, juvenumque catervæ
Commemorant meritò tot mala ferre ſenem.
Hanc Venus ex alto flentem ſublimis Olympo
Spectat, &, inſidis quòd ſit acerba, monet.

INTERPRETATIO.

ipſa nihilominus eſt genus tuum. Tantùm inſtruo ipſam, ut pudica ſit, licèt vitta non implicet comas ejus vinctas, nec prolixa ſtola pedes ejus: & gravia præcepta mihi ſint, nec aliquam probare queam quin invadat mea lumina, &. ſi quid exiſtimor deliquiſſe, quin crinibus trahar injuriâ, & abſtrahar in iter citum: nolim verberare te; ſed ſi hæc dementia mihi contigerit, ego cuperim manus non habuiſſe; ne pudica ſis, aſpero timore: at mutuum ſtudium te mihi remoto cuſtodiat conſtanti animo. Quæ verò nemini fidelis fuit, poſteà confectâ ætate egens trementibus manibus implicata fila trahit; & affigit ſtabilia ſtamina telis redemptis, & pectit carptus ex albâ lanâ tractos. Tunc lætâ mente juvenum cœtus illam aſpiciunt, & dicunt vetulam jure pati tam multa incommoda: Venus è ſummo Cœlo excelſa cernit hanc plorantem, & commo-

ANNOTATIONES.

73. *Quamvis non vitta ligatos.*] *Vitta* faſcia erat, quâ Antiqui circum caput, vel crines, vel ſerta aut flores, aut quidvis aliud religabant. *Vittis* autem cingebantur non tantùm Veſtales, ſed & aliæ Sacerdotes. Poëta hoc loco tangit Veſtalium & Sacerdotum integritatem, ut pudicitiam matronarum quæ ſtolis ad uſque talos demiſſis utebantur. Ovidius utraſque & *vittatas* & ſtolatas mulieres hoc diſticho complectitur, 1. de Arte amandi.

Eſte procul vittæ tenues, inſigne pudoris,
Quæque tegis medios inſtita longa pedes.

84. *Ducit inops tremulâ.*] In maximis malis numerabant colo vitam miſerè tenuiterque tolerare. Juvenalis.

Horrida quale facit reſidens in codice pellex.

86. *Tractaque de niveo.*] *Tracta* neutro genere, ſeu *tracta* fœminino apud Varronem ſunt carptus lanæ, quæ putabatur, ſive carminabatur: putare enim nihil aliud eſt, quam lanam aptare, & carmine pectere. Titinnius,

Dato penſum lanam, qui non reddet tempori
Putatam rectè, facite ut mulctetur malo.

Hæc aliis maledicta cadant: nos, Delia, amoris
Exemplum canâ ſimus uterque comâ.

INTERPRETATIO.

nefacit, quòd aſpera ſit perfidis. Probra iſta contingant aliis; nos ambo, ô Delia, ſimus in cano capillo amoris ſpecimen.

ELEGIA VIII.

HUNC cecinêre diem Parcæ fatalia nentes
Stamina, non ulli diſſoluenda Deo.
Hunc fore, Aquitanas poſſet qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atur.
Evenêre: novos pubes Romana triumphos
Vidit, & evinctos brachia capta duces.
At te victrices lauros, Meſſala, gerentem
Portabat nitidis currus eburnus equis.
Non ſine me eſt tibi partus honos. Tarbella Pyrene
Teſtis, & Oceani littora Santonici.

INTERPRETATIO.

PARCÆ ducentes fila fatalia nulli Numini reſcindenda prædixerunt hanc lucem futuram eſſe eam, quæ debellare poſſet Aquitanos populos, quam Aturus ſtrenuo exercitu ſubactus perti meſceret. Illa contigerunt. Juventus Romana ſpectavit recentes triumphos, & ductores hoſtium religatos brachia captiva. Te verò, ô Meſſala, lauros triumphales geſtantem vehebat currus eburneus ſplendidis equis. Non abſque me comparata eſt tibi gloria. Tarbella Pyrenea conſcia eſt, & ora Oceani Santonici. Conſcius eſt Arar, & Rheda-

ANNOTATIONES.

1. *HUnc fore Aquitanas.*] Hoc Carmine Poëta diem natalem Meſſalæ & ejus victorias celebrat: hoc autem bellum Aquitanicum quod commemorat, nullibi in Veterum monimentis proditum eſt. Aquitaniam Julius Cæſar Oceano, Pyrenæis, & Garumnâ flumine incluſerat: hanc poſtea Auguſtus amplificavit, & ad Ligerim uſque protendit.

4. *Atur.*] Alii legunt, *Atax*, ſed puto legendum, *Atur*, nam *Aturus* fluvius eſt Aquitanorum, qui miſcetur Oceano ſupra *Aquas Tarbellicas*, de quibus hic Poëta. Legitur tamen apud Melam *Atax* fluvius de Pyrenæis montibus in Mediterraneum mare præter Narbonem fluere, qui vulgò dicitur, *Aude*.

9. *Tarbella Pyrene.*] *Tarbelli* ab Occidente *Pyrenæis* jugis finiuntur. Primariam urbem habent *Aquas Tarbellicas*, vulgò *Acqs*, ad ripam *Aturi* fluminis, Gallicè, *Adeur*.

10. *Santonici.*] *Santones* Populi ſunt inter Aquitanos, quorum Metropolis civitas eſt Mediolanum, vulgò *Saintes*. Regio verò dicitur *Santonia*, vulgò *la Saintonge*. Plinius eos *Eleutheros*, ſeu *Liberos* vocat. Spectant ad Oceanum Aquitanicum, qui etiam ab iis *Santonicus* appellatur.

Teſtis Arar, Rhodanuſque celer, magnuſque Garumna,
Carnuti & fluvii cærula lympha Liger.
At te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
Cæruleus placidis per vada ſerpis aquis.
Quantus & æthereo contingens vertice nubes
Frigidus intonſos Taurus arat Cilicas.
Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes,
Alba Palæſtino ſancta columba ſuo?
Utque maris vaſtum proſpectet turribus æquor,
Prima ratem ventis credere docta Tyros?

INTERPRETATIO.

nus citus, & Garumna amplus & Liger, aqua cærulea Carnuti fluminis? te etiam celebrabo, ò Cydne, qui placidè ſilentibus aquis æquoreus laberis tranquillis undis per vada: & quantus Taurus cœleſti cacumine tangens nubila gelidus Cilicas arat capillatos. Quid commemorem quomodo candida columba ſacra Palæſtino ſuo vagetur illæſa per oppida frequentia? Et quomodo Tyrus prima erudita committere naves fluminibus è turribus proſpiciat in mare ſpa-

ANNOTATIONES.

11. *Teſtis Arar.*] *Arar* vel *Araris* Flumen eſt Galliæ, quod per fines Æduorum, & Sequanorum in Rhodanum fluit, qui eum ſuo flumine præcipitem reddit; vulgò dicitur, *la Saone.*

Rhodanuſque celer.] *Rhodanus*, *le Rhoſne*, Narbonenſis eſt Galliæ flumen quod ex Alpibus Rhœticis per lacum Lemannum præcipiti curſu in mare Mediterraneum delabitur.

Garumna.] Vulgò *la Garonne*, fluvius Aquitaniæ, qui ex Pyrenæo monte delapſus perluſtratis Toloſâ & Burdigalâ mari ſe miſcet Aquitanico, duarum ferè leucarum oſtio.

12. *Carnuti & fluvii.*] Liger nobiliſſimus Galliæ fluvius *Carnutum* fines præterfluit, potius quam ſecat, dicitur autem *Carnutius* fluvius, ut *Tyberis Tuſcus* amnis dictus eſt.

13. *At te, Cydne, canam.*] Sperat ſe alium Meſſalæ triumphum Carmine celebraturum eſſe, tunc enim Meſſala in Iſauria bellum gerebat. *Cydnus* verò Ciliciæ fluvius eſt, qui Tharſum prætervectus in mare influit Ciliciæ autem proxima Iſauria eſt, quæ ſunt regiones Minoris Aſiæ.

16. *Intonſos Taurus arat Cilicas*] *Intonſos Cilicas* vocat eos, qui *Taurum* eamque Ciliciæ partem quæ *Tracheia* dicebatur, incolebant: ut eorum regio montana erat, aſperiores proinde erant, agreſtiores. Eſt autem hypallage, unumque pro alio ſubjicitur. *Taurus arat Cilicas*, pro, *Cilices arant Taurum.* Nonnulli legunt, *alat*, pro *arat*, adducti nempè Strabonis autoritate, qui ſcribit montis *Tauri* faſtigium adeo ferax eſſe, ut alere poſſit multa hominum millia. Advertant tamen hi, *alat* eſſe ſubjunctivum, qui modus hic non convenit. *Taurus* autem Aſiæ mons eſt maximus, qui è *Cilicia* in extremas Indiarum oras, & in Oceanum Borealem, per variosque terrarum tractus, in quibus varia ſortitur nomina, protenditur. Dicitur porrò frigidus ob altitudinem, & arborum & ſilvarum denſitatem.

18. *Palæſtino ſancta columba.*] *Palæſtinus ſancta* dicitur *columba* quam non edunt. Lege enim cautum fuiſſe tradunt Scriptores apud Syros, quorum regio *Palæſtina* eſt, ut *columbas* & piſces non ederent. Hyginus Fabulâ 197. *Syri piſces, & columbas ex Deorum numero habent, non edunt.* Palæſtina pars Syriæ, quam *Palæſtini*, ſeu *Philiſtini* in ſacris Scripturis, populi incoluerunt, Arabiæ eſt, Phœniciæ, & mari mediterraneo contermina: vulgò nunc dicta, *Terra Sancta.*

20. *Prima ratem ventis credere docta*

Qualis & , arentes cum findit Sirius agros ,
Fertilis æſtivâ Nilus abundet aquâ ?
Nile pater , quânam poſſum te dicere causâ ,
Aut quibus in terris occuluiſſe caput ?
Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres ,
Arida nec pluvio ſupplicat herba Jovi.
Te canit , atque ſuum pubes miratur Oſirim
Barbara , Memphiten plangere docta bovem.

INTERPRETATIO.

tioſum ? & qualis fœcundus Nilus æſtivâ undâ circumfluat , cum Canicula campos aridos hiulcat. O Nile pater , quâ ratione , aut quâ in regione poſſum referre te abſcondiſſe caput tuum ? Terra tua propter te nullas pluvias petit , nec ſicca gramina Jovi imbrifero vota faciunt. Juventus fora erudita lugere bovem Memphiticum cele-

ANNOTATIONES.

Tyros.] Artem navigandi alii Neptuno , alii Minervæ , alii Pyrrhono Lydo , alii Samothracibus , alii aliis tribuunt inventoribus. Pomponius Mela cum Euſebio Pamphili ſcribit Phœnicas , ſeu Tyrios maria primos adire instituiſſe , navéſque excogitaſſe : quam ſententiam amplectitur Tibullus. *Tyrus* verò urbs eſt Phœniciæ , olim Inſula præalto quatuor ſtadiorum freto à continenti diviſa , ſed Alexandri Magni quondam eam oppugnantis operâ eidem continenti commiſſa. Vide Q. Curtium lib. 4. cap. 2 & 3.

21. *Cùm findit Sirius.*] *Sirius* ſtella eſt in ore Canis Syderis , quæ à Latinis *Canicula* dicitur. Ad hanc ſtellam cùm Sol accedit menſe Julio duplicat æſtus , & mortalium corpora languida reddit , terramque , & agros ita exſiccat , & exurit , ut *findi* & hiſcere videantur. Virgil.

Ergo ubi hiulca ſiti findit Canis æſtifer arva.

22. *Æſtiva Nilus.*] *Nilus* eſt fluvius Ægypti , cujus fons & origo olim erat ignota ; novæ verò Relationes *Nilum* in intimâ Æthiopiæ regione , maximè ad Auſtrum aſſerunt naſci : unde per varios circuitus , longoſque multarum regionum tractus , per Ægyptum , quam æſtate limo & & arenis ſuis fœcundat , plurimis etiam & magnis in itinere receptis fluminibus , ingenti aquarum mole ſeptem oſtiis in mare Mediterraneum exonerátur. *Æſtivâ aquâ* dicitur abundare , quia æſtate in campos Ægyptios exundat. De his vide Senec. quæſt. nat. Solin. Strabon. novaſque de *Nilo* Relationes.

26. *Nec Pluvio Jovi.*] *Jovis Pluvii* ſimulachrum Athenienſes venerabantur , aramque ipſi poſitam in monte Hymetto : unde cùm opus erat pluviam comprecabantur ; propterea que etiam *Jupiter Hymettius* cognominatus , qui & *Ombrius* , ſeu Græcè ὄμβριος , & ὑέτιος , id eſt , *pluvialis & pluvioſus*. In monte etiam Parnete in Attica *Juppiter Ombrius* colebatur. Vide Pauſan. in Atticis , & Phornutum. Tertullianus ſacra , quæ *Pluvio Jovi* fiebant , vocat Aquilicia in Apologet.

27. *Pubes miratur Oſirim*] *Oſirim* ſeu *Oſirin* & Nilum non ſolùm eumdem Deum , ſed & idem nomen eſſe contendunt Plin. lib. 5. cap. 9. *Siris quoque Nilus nominatus eſt per aliquot millia.* Sirin olim Nilum vocabant Æthiopes ; Syenes incolis Nilus dici cœpit. *Oſiris* autem vox eſt compoſita ex articulo Græco ὁ , *& ſiris* , quod patet ex his nominibus Ægyptiacis , Buſiris , Peroſiris , Calaſiris , &c. *Oſiris* autem dicitur docuiſſe primus Ægyptios arare , & colere terram , uti vino , meſſes & fructus colligere ; ipſumque poſtquàm cum conjuge Iſide diù in Ægypto regnaſſet , clam à fratre Styphone fuiſſe oppreſſum tradunt , cumque bos dum ſepeliretur , cœpiſſet apparere , eum eſſe *Oſirim* homines putaverunt , adoraveruntque ut Deum , & Apim vocaverunt , hoc eſt , bovem , linguâ Ægyptiacâ.

28. *Memphiten plangere docta bovem.*]

Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſollicitavit humum.
Primus inexpertæ commiſit ſemina terræ:
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem:
Hic viridem durâ cædere falce comam.
Illa jucundos primùm matura ſapores
Expreſſa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit & ad certos neſcia membra modos.
Bacchus & agricolæ magno confecta labore
Pectora triſtitiæ diſſoluenda dedit.
Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licèt durâ compede pulſa ſonent.

INTERPRETATIO.

brat te, & ſuum Oſirim ſuſpicit. Oſiris primus aratrum artificioſá manu fabricavit, & ferro mollem terram exercuit. Ille primus ſemina rudi humo credidit, & collegit poma ex arboribus nondum cognitis. Idem monſtravit flexibilem vitem pedamentis alligare, idem docuit rigidâ falce vernantes frondes amputare. Eidem racemus maturus primò ſordidis pedibus exculcatus ſuaves liquores præbuit. Latex ille inſtituit inflectere voces cantu, & excitavit rudes pedes ad certos numeros. Bacchus etiam coloni corpora defatigata duro opere conceſſit mœrori recreanda. Bacchus quoque ſolatium affert conflictatis hominibus, tametſi eorum crura reſonent ferreis compedibus vexata.

ANNOTATIONES.

Apim nominabant hunc *bovem*, quem certos vitæ annos excedere non licebat: hunc in lacum demerſum Ægyptii, indicto Juſtitio, veſte ſciſſâ, & laceratis crinibus, defunctum plangebant. Invento verò alio, mirificè lætabantur. Si omnes de *Apide* nugas noſſe velis, adito Strabonem lib. 17. Plin. lib. 8. cap. 46. Solin. cap. 35. Ammiani Julianum, Melam Pompon. Diodor. Sicul. lib. 1. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 21. Lilium Girald de Diis Gentium Syntagm. 6. Selden. de Diis Syris. Syntagmate 1. &c.

39. *Bacchus & Agricola.*] Oſiris idem eſt apud Ægyptios, qui *Bacchus* apud Græcos, de cujus nominis varietate Auſonius ait:

Ogygia me Bacchum vocant,
Oſirim Ægyptus putat,
Myſta Phaneten nominant,
Dionyſon Indi exiſtimant,
Romana ſacrum Liberum,
Arabica gens Adoninm,
Lucaniacus Pantheum.

40. *Pectora triſtitia diſſoluenda.*] Mirum eſt, quantum hic verſus torqueat Interpretes. Nullos ferè reperio, qui hunc poſſint concoquere. Alii legunt *lætitia*, alii *lætitiæ*, alii ita legi exoptant. Quod ſanè non diſpliceret. Puto tamen hoc modo poſſe ordinari. *Bacchus etiam pectora agricolæ magno triſtitia labore confecta diſſoluenda dedit.* Juxta illud Senecæ in Hippolyto Verſu 445.

—— Curas Bacchus exoneret graves.

42. *Compede pulſa.*] Alii legunt, *preſſa*. Idem Tibullus lib. 2.

Spes etiam validâ ſolatur compede vinctum,
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.

Non tibi ſunt triſtes curæ, nec luctus, Oſiri:
Sed chorus & cantus, & levis aptus Amor;
Sed varii flores, & frons redimita corymbis,
Fuſa ſed ad teneros lutea palla pedes,
Et Tyriæ veſtes, & dulcis tibia cantu,
Et levis occultis conſcia ciſta ſacris.
Huc ades, & centum ludos, Geniumque choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero.
Illius & nitido ſtillent unguenta capillo,
Et capite & collo mollia ſerta gerat.

INTERPRETATIO.

O Oſiri, nec graves ſollicitudines, nec dolor tibi conveniens eſt, at ſaltationes, & cantilena, & Amor jocoſus te decet: *at diverſi flores, & caput cinctum hederâ: at veſtis crocea ad molles pedes deſluens, & Tyria indumenta, & fiſtula ſuavis modulatione, & arcula tenuis ſacrorum arcanorum capax. Huc adeſto, & centum ludos, & Genium tripudiis frequenta, & perfunde caput multo vino, & aromata fluant ex illius comis ſplendidis, & geſtet coronas*

ANNOTATIONES.

43. *Non triſtes curæ.*] Ovid. etiam de Arte amandi.

Cura fugit multo diluiturque mero.
Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua tollit,
Tunc dolor, & cura rugaque frontis abeſt.

46. *Lutea palla.*] *Palla*, ait Servius, *propriè eſt veſtis muliebris deducta uſque ad veſtigia*: deinde ad Cytharædos & Saltatores tranſlata eſt. Tam igitur *palla*, quam ſtola mulierum peculiares fuere, & matrum-familias causâ comparatæ, ut iis viri non facilè uti poſſent ſine vituperatione, ut ait Ulpian. lib. 44.

47. *Tyria veſtes.*] *Veſtes* purpureæ; in urbe enim *Tyro* optima purpura tingebatur. De quibus ſuprà pluribus.

48. *Conſcia ciſta ſacris.*] Occultabantur in *ciſtis*, ſeu *arculis* Orgia Bacchi, & ſacra Iſidis, & Oſiridis, aliorumque Deorum arcana myſteria, & ſecreta myſtica. Apuleius. *Ferebatur ab alio ciſta ſecretorum capax penitus, celans operta magnifica religionis.* Unde Martialis *Ciſtiferos* ſacrorum horum Cuſtodes, & Sacerdotes per contemptum vocat.

—— *Nupſiſti Gellia Ciſtifero.*

49. *Et centum ludos.*] *Centum* dixit pro *multis*. Ea autem certamina intelligit, de quibus Virgilius.

Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.

Geniumque choreis.] *Genium* dicebant Antiqui naturalem Deum uniuſcujuſque loci, vel rei, aut hominis. De *Genio* hominis, ſic Cenſorinus: *Genius ita nobis aſſiduus obſervator appoſitus eſt, ut ne puncto quidem temporis longiùs abſcedat, ſed nos ab utero matris acceptos ad extremum uſque vitæ diem comitetur. Genium* autem celebrabant, ipſi ſacrificando, & ludis, & choreis, & conviviis indulgendo.

Unde Ovid. lib. 1. de Remedio Amoris.

Aleaque, & multo tempora funde mero.

51. *Illius & nitido.*] Sic res ſacra fiebat *Genio*, die præſertim natali, *Genioque* offerebantur flores, & ſerta, merum, ſeu vinum, liba, unguenta, ſeu aromata, thus, & aliquando etiam animalia. ut apud Horat. lib. 3. Od. 17.

——— *Cras genium mero*
Placabis, & porco bimeſtri.

Luculenter ſacrificium *Genii* hìc deſcribit Tibullus, ſed non minùs eximiè idem fecit lib. 2. Eleg. 2.

Sic venias

Sic venias hodierne: tibi dem thuris honores,
Liba & Mopſopio dulcia melle feram.
At tibi ſubcreſcat proles, quæ facta parentis
Augeat, & circa ſtet venerata ſenem.
Nec taceant monumenta viæ, quæ Tuſcula tellus,
Candidaque antiquo detinet Alba Lare.
Namque opibus congeſta tuis hic glarea dura
Sternitur: hic aptâ jungitur arte ſilex.
Te canit agricola, è magna cùm venerit urbe
Serus, inoffenſum rettuleritque pedem.
At tu, natalis multos celebrande per annos,
Candidior ſemper, candidiorque veni.

INTERPRETATIO.

tenoras & vertice & collo ſuo. Ita hodie accedas, ut tibi honores thuris prabeam, & efferam liba Mopſepio melle ſuavia: tibi verò naſcatur filius, qui res geſtas patris amplificet, & efficieſus circumſiſtat te ſenem. Neque ſileant monimenta itineris, qua Tuſcula regio, & Alba Candida veteri domicilio terminat. Ibi enim tuis ſumptibus acervatum ſabulum aſperum inſternitur, & lapides convenienti artificio connectuntur. Laudant te Ruſtici, cùm tardi è magnâ civitate venerint, & illaſos pedes reportaverint. Tu verò, ô natalis colende, mihi per multos annos redi felicier & continuò felicior.

ANNOTATIONES.

Ipſe ſuos adſit Genius viſurus honores
Cui decorent ſanctas mollia ſerta comas,
Illius puro diſtillent tempora narde,
Atque ſatur libo ſit, madeatque mero,

54. *Liba & Mopſepio.*] Non immeritò etiam *liba*, Baccho, ſive Oſiri offeruntur, à quo mel inventum eſſe referunt Ovid. lib. 3. Faſt.

Liba Deo fiunt, ſuccis quia dulcibus ille
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt

Et paulò pôſt.

Melle pater fruitur, liboque infuſa calenti
Iure repertori dulcia mella damus.

Libum autem genus eſt dulciarii cibi, ex farre, caſeo, melle, & oleo, quod ſacrificiis adhiberi ſolebat. Attica terra dicta eſt *Mopſopia* à *Mopſopo* rege: unde *Mopſopium* mel idem eſt quod Atticum ſeu Hymettium, quod maximè commendabatur.

57. *Nec taceant monumenta via.*] Scilicet *liberi tui.* Valerius Corvinus Meſſala viam aut ſtravit, aut reſtituit ſumptibus ſuis ab Alba longa Tuſculum uſque: hujus viæ meminit etiam Martial. lib. 8. Epigramm. 3.

Et cum rupta ſitu Meſſalla ſaxa jacebunt.

Alba autem & *Tuſculum* oppida ſunt Latii, *Alba* autem dicitur *candida*, & *Alba* quia dicitur Æneas *Albam* porcam cum triginta fœtibus ejuſdem coloris ibi comperiſſet: à quo omine triginta poſt annos Aſcanius urbem condidit, quam vocavit *Albam*, quam inde etiam Tibullus appellat *Candidam. Tuſculum* verò nunc vocatur, *Fraſcati.*

61. *E magna cum venerit urbe.*] Urbem Romam intelligit. quomodo ab eodem intelligitur lib. 2. Eleg. 5.

——— *Hic magna jam locus urbis erit.*

63. *At tu natalis.*] *Natales* dies maximè culti ab Antiquis. Fuerunt autem dies *natales*, & Deorum, & Principum, & urbium, & privatorum hominum, quorum omnium *natalium* exempla exſtant paſſim, atque etiam in ſacris Litteris.

64. *Candidior candidiorque.*] Hoc

ANNOTATIO.

eſt, *magis magiſque beatus, jucundus & felix.* Unde & Catullus.

Fulsêre verè candidi tibi Soles.

Frequens eſt apud Veteres ejuſmodi locutio. Apuleius Mileſ. Fab. lib. 8. *Nonnunquam etiam cœna poculoque communi carior cariorque factus.* Silius item Ital. lib. 15.

——— *Conſul ovans major majorque videri.*

ELEGIA IX.

NON ego celari poſſim, quid nutus amantis,
Quidve ferant miti lenia verba ſono.
Nec mihi ſunt ſortes, nec conſcia fibra Deorum,
Præcinit eventus nec mihi cantus avis.
Ipſa Venus magico religatum brachia nodo
Perdocuit multis non ſine verberibus.
Deſine diſſimulare: Deus crudeliùs urit,
Quos videt invitos ſuccubuiſſe ſibi.

INTERPRETATIO.

EGO minimè abſcondi feram, quid quid amantium ſigna, aut quid indicent blandi ſermones leni voce; neque mihi ſunt ſortes, nec exta Cœlitum conſcia: nec alitu cantus prædicit mihi futura. Venus ipſa erudiit me vinctum lacertos vinculo mago, nec abſque multis plagis. Ceſſa fingere. Aſperiùs incendit Deus, quos cernit nolentes ſibi ſubditos eſſe: quid jam juvat exornaſſe to-

ANNOTATIONES.

1. *NOn ego celari.*] Alii legunt, *celare*: aliqui verò Codices antiqui ſic habent: *Non ego celarim, poſſit quid vultus amantis*: quod ſanè mihi non improbatur. Hac Elegia Tibullus hortatur Pholoën, ne tam dura eſſe velit in Marathum, quem Poëta valdè amabat. *Celari* ponitur paſſive, ut *edoceri*: & ſenſus eſt, *ſe omnes amatores motus optimè noſſe, ex aſſiduo amoris uſu.*

Nutus amantis.] *Nutus*, ſignum eſt oculorum, aut motus ſeu geſtus capitis, qui ſermonis eſt loco.

Ovid. lib. 1. de Arte amandi.

Nil eſt opus digitis, per quos arcana loquaris,
Nec tibi per nutus accipienda nota eſt.

2. *Lenia verba.*] Ornata, & vocis mollitudine grata, leveſque illi ſuſurri, de quibus Horat. lib. 1. Od. 9.

Nunc & campus, & area,
Leveſque ſub noctem ſuſurri
Compoſitâ repetantur horâ.

3. *Nec mihi ſunt ſortes.*] De *ſortibus* dictum pluribus Eleg. 3. Hanc ferè ſententiam Tibulli repetit totidem verbis Ovidius.

Non ego, Phœbe, datas à te mihi mentiar artes,
Nec nos aëria voce movemur avis.

Fibra Deorum.] *Fibræ* Servio ſunt venæ quædam, & nervi qui decurrunt per jecur: vel, ut alii volunt, jecoris ſunt extrema, ſeu extremitates. Hîc autem tangit Poëta extiſpicium in litationibus fieri ſolitum.

4. *Præcinit eventus.*] Alii legunt, *exprimit*, retinemus, *præcinit*, quia Tibullus loquitur de Augurio, quo, quid aves guſtu, cantu, garritu, volatu, portenderent, quærebatur.

5. *Ipſa Venus magico.*] Fingit ſe quaſi diſcipulum à Magiſtra *Venere* edo-

Quid tibi nunc molles prodeſt coluiſſe capillos?
Sæpeque mutatas diſpoſuiſſe comas?
Quid fuco ſplendente comas ornare? quid ungues
Artificis doctâ ſubſecuiſſe manu?
Fruſtrà jam veſtes, fruſtrà mutantur amictus,
Anſaque compreſſos colligat arcta pedes.
Ipſa placet, quamvis inculto venerit ore,
Nec nitidum tardâ comſerit arte caput.
Num te carminibus, num te pallentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus?

INTERPRETATIO.

neros crines, & crebrò variatos capillos concinnaſſe? Quid prodeſt *comas unguento nitente decorare? Quid* proficit *ungues peritâ manu artificis ſucciſiſſe? Incaſſum nunc indumenta, incaſſum pallia commutantur, & corrigia anguſta pedes conſtrictos vinciunt. Arridet ipſa amica, licèt neglectâ facie acceſſerit, & non compoſueris longo artificio ſplendidum verticem. An te vetula ſuis cantibus devovit? An te pallidis graminibus execrata eſt ſilenti noctis tem-*

ANNOTATIONES.

ctum, atque plagis affectum, ut diſceret, vel ex nutibus cognoſceret, quis adoleſcens, cujus puellæ ardeat amore.

9. *Quid tibi nunc molles.*] Hic eſt ſenſus: Quid tibi prodeſt, ô Marathe, tanto ſtudio formam excoluiſſe, ut Pholoën tui amore incenderes? Contra enim accidit, non enim illa tui, ſed tu ipſius amore correptus es: itaque nunc tibi, etiamſi inornata, & incompta venerit, placet.

11. *Fuco ſplendente comas.*] Plures legunt, *genas*, nec malè: jam enim dixit Poëta, *comas*: *fucus* erit ſandix, vel ceruſſa: ſed plures legunt, *ſucco*, non *fuco*. Aut ſi loquatur de capillis, *fucus* ſumitur pro *unguento* quo capillos ſuos perungebant, ut eſſent gratioſiores: quod etiam hodie faciunt non pauci.

Horat. lib. 2. Od. 7.

——— Coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.

14. *Anſaque compreſſos colligat.*] Dabant operam, qui elegantiæ ſtudebant, ut calceamenta corrigiis aliquot, quas *anſas* vocat, ſuperiori pedis parti, quam arctiſſimè obſtringerent, quò videlicet aptior, & venuſtior eniteret pedis forma, quod etiam docet Ovid.

Pes erat exiguus, pedis eſt aptiſſima forma.

15. *Ipſa placet quamvis.*] Eodem prorſus modo Horat. lib. 1. Od. 13.

Uror, ſeu tibi candidos
Turparunt humeros immodicæ mero
Rixæ. ———

16. *Nec nitidum tarda.*] Hæc acutè ſatis Tibullus: paulò nempe tardiores ſunt mulieres in cultu corporis expoliendo. Unde Terent.

Dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt.

17. *Num te carminibus devovit.*] *Anus* hic dicitur *magica mulier*, aut *Saga*: quomodo ſupra dixit Eleg. 5.

Carmine cum magico præcinuiſſet anus.

Magæ enim ſeu *veneficæ mulieres* miniſterio fungentes incantationis carmina quædam obmurmurabant, quibus maximè & herbis faſcinum operari putabantur. *Devovere* igitur *carminibus*, idem eſt ac *faſcinare*, & *incantare*. De his ſatis ſuprà Eleg. 5. & 6.

Cantus vicinis fruges traducit ab agris:
Cantus & iratæ detinet anguis iter:
Cantus & è curru tentat deducere Lunam,
Et faceret, ſi non æra repulſa ſonent.
Quid queror, heu! miſero carmen nocuiſſe? quid herbas?
Forma nihil magicis utitur auxiliis.
Sed corpus tetigiſſe nocet, ſed longa dediſſe
Oſcula, * * *
Nec tu difficilis puero tamen eſſe memento:
Perſequitur pœnis triſtia facta Venus.
Munera ne poſcas, det munera canus amator:
Ut foveat molli frigida membra ſinu.

Interpretatio.

pore? Incantatio transfert ſegetes ex agris finitimis: faſcinum etiam furioſa ſerpentis curſum cohibet. Carmina Lunam ipſam è ſuo curru deripere aiuntur, & deriperent, niſi æra repercuſſa concreparent. Quid lamentor, heu! infelici incantamentum nocuiſſe? Cur herbas? Pulchritudo magicam opem non adhibet. Corpus attrectaſſe nocuum eſt, & longa præbuiſſe baſia. * * * * * * *

Tu verò recordare non eſſe aſpera adoleſcenti. Venus inſectatur gravia facinora. Nec poſtules præmia; dona præbeat amans ſenex; ut corpus algidum tenero gremio calefaciat. Pretioſior eſt auro

Annotationes.

19. *Cantus vicinis fruges*] Lege duodecim tabularum vetitum etiam erat, ne quis fruges excantaret, id eſt, è loco in locum carminibus traduceret.
Ovidius.

Nec ſeges ex aliis alios tranſibit in agros.

20. *Anguis irata.*] Hic *anguis* in genere ponitur fœminino, licèt Virgilius dixerit in maſculino.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis

21. *Lunam deducere.*] Hoc eſt, *devocare*, quod Horatius dixit *Lunam Cælo deripere.* Magos enim & Magas Aſtra è Cœlo *devocare* ſuis cantationibus putabant Veteres.
Unde Virgil. in Bucol.

Carmina vel Cælo poſſunt deducere Lunam.

Horat. Epod. 4.

Quæ ſydera excantata voce Theſſalà Lunamque Cælo deripit.

Sed de his fusè ſupra ſatis.

22. *Et faceret ſi non æra*, &c.] Exiſtimabant Antiqui, quoties Luna defectum pateretur, incantatam eſſe, eamque crebrò æris ſonitu ſublevari; unde æramenta, & crepitacula, quæ poterant omnia pulſabant, ut vim à Luna veneficiorum arcerent, & Lunæ laboranti ſuccurrerent.
Unde Juvenalis Satyr. 11.

Tot pariter pelves, ac tintinnabula dicas
Pulſari; jam nemo tubas, atque æra, fatiget.
Una laboranti poterit ſuccurrere Lunæ.

Quem morem æris crepitum ciendi ad Lunæ labores ſublevandos nec Chriſtianos deſiiſſe clarum eſt ex D. Maximo Taurinenſi Epiſcopo Homil. *de defecta Luna.*

24. *Forma nihil magicis.*] Pulchritudinis eſt tanta vis, ut nullis aliis ſit opus incantamentis, cùm in ſui amorem facilè quemvis rapiat.

Carior eſt auro juvenis, cui lævia fulgent
Ora, nec amplexus aſpera barba terit.
Huic tu candentes humero ſuppone lacertos,
Et regum magnæ deſpiciantur opes.
* * * * * *
* * * * *
* * * * * *
* * * * * *
Non lapis hanc, gemmæque juvent, quæ frigore ſola
Dormiet: & nulli ſit cupienda vito.
Heu! ſerò revocatur Amor, ſeroque juventa,
Cum vetus infecit cana ſenecta caput.
Tum ſtudium formæ eſt, coma tum mutatur, ut annos
Diſſimulet viridi cortice tincta nucis.
Tollere tunc cura eſt albos à ſtirpe capillos,
Et faciem demtâ pelle referre novam.

INTERPRETATIO.

Adoleſcens, cui vultus mollis nitet, nec hirſuta barba amplexus fricat. Iſti tu candida brachia humeris ſubmitte, & ingentes Principum divitiæ ſpernantur. * * * *
* * * * *
* * * * *
* * * * *
* * * * *
* * * * *
* * * * *

* * * * *
* * * * *
Non delectent lapilli, & uniones illam, quæ hyeme ſola cubabit, ac nulli homini appetenda ſit. Heu! tardiùs Amor deſideratur, & tardiùs florens ætas, quando ſenectus cana tinxit vetuſtum caput. Tunc cura eſt pulchritudinis, tunc variantur capilli, ut ætatem celent infecti cortice juglandis; tunc ſtudium eſt crines à radice evellere, & detractâ

ANNOTATIONES.

32. *Aſpera barba.*] Veteres libri habent, *Hiſpida. Aſpera barba* ſignum eſt τελείου ἀνδρὸς, atque etiam ferocitatis. Plaut. Caſ.

Ita quaſi ſentis labra mihi compungis barbâ.

Martial.

Hirſutis queritur puncta puella labris.

41. *Heu ſerò revocatur Amor.*] Ita ferè Horat. lib. 4. Od. 13.

Nec Coa referunt jam tibi purpuræ.
Nec clari lapides tempora, quæ ſemel
Notis condita faſtis
Incluſit volucris dies.

Seroque juventa.] Monet ætatem, pulchritudinemque juvenilem ſæpiùs, ſed ſerò deſiderari.

43. *Studium formæ.*] Rectè notat Poëta mulieres, cùm ad grandiorem ætatem inclinaverint, ſtudere formæ, ut ad ſe amatores pelliciant, ut quod per ætatem decidit, id arte & blanditiis corrigant. Quod eleganter Horat. lib. 4. Od. 13. ad Lycen his verbis expreſſit:

Audivêre, Lyce, Dii mea vota, Dii
Audivêre, Lyce, fis anus, & tamen
Vis formoſa videri, &c.

44. *Cortice tincta nucis.*] Aſſerûnt unguentarii canitiem aboleri, nucumque juglandium cortice capillos inficis quod etiam teſtatur Plinius lib. 15. cap. 22. *Earum*, inquit, *cortice tinguntur lanæ, & ruffatur capillus primùm prodeuntibus nucleis.*

46. *Demtâ pelle referre novam.*] Fu-

Et poſſum mediâ quamvis obrepere nocte,
Et ſtrepitu nullo clam reſerare fores.
Quid proſunt artes, miſerum ſi ſpernit amantem,
Et fugit ex ipſo ſæva puella thoro?
Vel cum promittit ſubitò, ſed perfida fallit:
Eſt mihi nox multis evigilanda modis.
Dum mihi venturam fingo: quodcumque movetur,
Illius credo tunc ſonuiſſe pedem.
Ah pereant artes, & mollia jura colendi.
Horrida villoſâ corpora veſte tegam.
Nunc, ſi clauſa mea eſt: ſi copia nulla videndi,
Me miſerum! laxam quid juvat eſſe togam?
Deſiſtas lacrymare puer, non frangitur illa,
Et tua jam fletu lumina feſſa tument.
Oderunt, Pholoë, moneo, faſtidia, Divi:
Nec prodeſt ſanctis thura dediſſe focis.
Hic Marathus quondam miſeros ludebat amantes,
Neſcius ultorem poſt caput eſſe Deum.
Sæpè etiam lacrymas fertur riſiſſe dolentis,
Et cupidum fictâ detinuiſſe morâ.
Nunc omnes odit faſtus, nunc diſplicet illi
Quæcumque oppoſitâ eſt janua dura ſerâ.

INTERPRETATIO

ſia arrepta non edant ſonitum. Valeo quoque nocte etiam intempeſtâ obrepere, & furtim aperire januam ſine ullo murmure. Quid juvat ſolertia, ſi quidem amatorem deſpicit puella, & crudelis aufugit ex ipſo lecto? Aut quando repentè pollicetur, at infida decipit. Nox mihi peragenda eſt variis modis, quando imaginor eam ad me acceſſuram eſſe. Quidquid movetur exiſtimo tum illius pedes ſtrepuiſſe. Ah! faceſſat induſtria, & delicata leges mei exornandi, ſqualidum corpus velabo hirſuto indumento. Jam ſi mea amica obſerata eſt, ſi nulla poteſtas eſt intuendi; heu me infelicem! quid prodeſt veſtem fluxam eſſe? Deſinas plorare, ô puer, ipſa minimè flectitur, jamque oculi tui turgent planctu. O Pholoë, moneo te, Dii averſantur faſtum, nec ſacris aris juvat obtuliſſe thura. Marathus iſte aliquando irridebat infelices amatores ignarus pone caput adeſſe Deum vindicem. Dicitur quoque frequenter mærentis ploratus irriſiſſe, & ſimulatâ expectatione amatorem retardaſſe. Jam odio habet omne faſtidium, jam illi inviſa eſt omnis janua aſpera objectâ ſerâ. Tibi ve-

ANNOTATIONES.

62. *Jura colendi.*] Verbum *colere*, circa curam veſtimentorum frequens eſt. Juvenal.

——— *Vel Thaïda nullo*
Cultam palliolo. ———

Martialis.

Nec ſic in Tyria ſindone cultus eris

Ovid.

Cui color infelix? aut cui placuiſſe laborem?
Ille mihi cultus unicus auctor abeſt.

93. *Oderunt Pholoë.*] Horatius ipſe teſtatur hanc eamdem *Pholoën* pudicam fuiſſe, nec ulli amatori ce-

At te pœna manet, niſi deſinis eſſe ſuperba.
Quam cupies votis hunc revocare diem?

INTERPRETATIO.

Tibi impendet ſupplicium, niſi ceſſes, ô Pholoë, *eſſe arrogans. Ah quàm deſiderabis reducere votis lucem iſtam!*

ANNOTATIONES.

metè conſentire voluiſſe, ita lib. 1. Od. 33.

——— Cyrus in aſperam
Declinat Pholoen; ſed priùs Appulis
Jungentur capreæ lupis,
Quam turpi Pholoë peccet adultero.

Faſtidia.] Pro faſtu poſuit: ſuperbia enim & faſtus omnibus, quæ formoſæ ſunt, non deſunt. Tale eſt illud Maronis:

Atque ſuperba pati faſtidia, &c.

81. *Pœna manet.*] Summa mulieris eſt *pœna*, ut ſenex & vetula negligatur, Ovid. lib. 3. Eleg.

Excluſa inque vices faſtus patiare ſuperbos,
Et quæ feciſti facta queraris anus.

Idem de Arte amandi lib. 3.

Tempus erit, quo tu, quæ nunc excludis amantes,
Frigida deſertâ nocte jacebis humi,

ELEGIA X.

QUID mihi, ſi fueras miſeros læſurus amantes,
Fœdera per Divos jam violanda dabas?
Ah miſer! etſi quis primo perjuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.
Parcite cæleſtes: æquum eſt impunè licere
Numina formoſis lædere veſtra ſemel.

INTERPRETATIO.

SI fueras afflicturus infelices amantes, quare mihi fidem præbebas per Deos mox frangendam? Ah infelix! quamvis aliquis initio perfidiam occultet, lentum nihilominus ſupplicium ſilenti paſſu accedit. O Dii, ignoſcite. An convenit impunè permitti bellis ſemel offendere veſtram majeſtatem? A-

ANNOTATIONES.

1. *QUid mihi.*] Conqueritur Tibullus, quòd quidam puer ſibi ruperit fidem, eique, qui illum muneribus abduxerat, malè precatur.

2. *Fœdera per Divos.*] Dare *fœdera per Divos*, eſt Divorum nomen & teſtimonium interponere.

4. *Tacitis pœna venit pedibus.*] Ira divina quæ tarditatem ſupplicii gravitate compenſat, dicitur habere laneos pedes, ſed ferreas manus. Ad mentem ferè Tibulli Horat. lib. 3. Od. 2.

Rarò antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

6. *Numina lædere.*] Sententiam invertit, quam ſuprà protulit,

Ne jurare time: Veneris perjuria venti
Irrita per terras, & freta ſumma ferunt.

Lucra petens habili tauros adjungit aratro,
Et durum terræ ruſticus urget opus.
Lucra petituras freta per parentia ventis
Ducunt inſtabiles Sydera certa rates.
Muneribus meus eſt captus puer: at Deus illa
In cinerem & liquidas munera vertat aquas.
Jam mihi perſolves pœnas, pulviſque decorem
Detrahet, & ventis horrida facta coma.
Uretur facies, urentur ſole capilli.
Deteret invalidos & via longa pedes.
Admonui quoties? Auro ne pollue formam,
Sæpè ſolent auro multa ſubeſſe mala.

INTERPRETATIO.

rator quærens compendia alligat boves aratro inſtructo, & premit aſperum laborem agrorum. Aſtra certa regunt naves incertas, commoda quæſituras per maria ventis obſequentia. Puer meus delinitus eſt donis, ſed Deus commutet dona in pulverem, & in aquam fluidam. Modò mihi ſupplicium lues, & pulvis pulchritudinem tuam tollet, & capilli tui flatibus facti ſqualidi deformabuntur: *vultus* tuus *terrebitur, & coma tua æſtu flagrabit, & longum iter pedes* tuos *debiles comminuet. Quoties monui? Ne corrumpe pulchritudinem auro. Frequenter innumera incommoda latere ſub auro conſueverunt. Si quis*

ANNOTATIONES.

8. *Durum terræ opus.*] Operoſam & laborioſam ſignificat agricolationem, in qua ſemper eſt aliquid agendum. Primò enim oportet arare terram, quod vocant, proſcindere, deinde iterum, quod vocant, effringere: quoniam primâ aratione glebæ grandes excitantur, quas, cum iterum arant, effringunt: deinde lirandum eſt, ſeu occandum: quæ multa ſunt in agricultione.

10. *Sydera certa.*] Hoc eſt, *fixa*, & curſum ſuum dirigentia. Alia *Sydera* aliis Gentibus fuere in navigando obſervata; aliis alia. Cynoſura, id eſt, Urſa minor fuit fidiſſima Tyriis, & Sidoniis. Helice, ſeu Urſa major Graiis. Ovid. de Triſtibus.

Eſſe duas Arctos, quarum Cynoſura petatur
Sidoniis, Helicen Graia carina notet

Valerius Flaccus in Argonauticon lib. 1.

—— Neve in Tyrias Cynoſura carinas
Certior, aut Graiis Helice ſervanda Magiſtris.

Romani verò Septentrionem obſervarunt, ut notat Manilius in Aſtronomicis.

12. *In cinerem.*] Optabant Veteres in pulverem & aquam commutari ea, quæ cupiebant aboleri, prorſuſque deleri. Plaut.

At ego Deos quæſo, ut quidquid in illo nidulo eſt.
Si aurum, ſi argentum eſt, omne id ut fiat cinis.

Propert. lib. 2. Eleg. 16.

Hæc videam rapidas in vanum ferre procellas
Quæ tibi terra velim, quæ tibi fiat aqua

15. *Urentur ſole capilli.*] Nimio quippe *ſole* deformantur *capilli*; unde Hercules apud Propert. lib. 4. Eleg. 10.

Terrent, & Libyco ſole peruſta coma.

16. *Deteret.*] Lædendo *imminuet*, & *detrahet*.

18. *Auro multa ſubeſſe mala.*] Certo certiùs eſt propter aurum multa mortalibus eveniſſe mala. Inde enim bel-

Divitiis captus ſi quis violavit Amorem,
    Aſperaque eſt illi, difficiliſque Venus.
Ure meum potiùs flammâ caput, & pete ferro
    Corpus, & intorto verbere terga ſeca,
Nec tibi celandi ſpes ſit peccare paranti:
    Eſt Deus occultos qui vetat eſſe dolos.
Ipſe Deus tacito permiſit vela miniſtro,
    Ederet ut multo libera verba mero.
Ipſe Deus ſomno domitos emittere vocem
    Juſſit, & invitos facta tegenda loqui.
Hæc ego dicebam; nunc me fleviſſe loquentem,
    Nunc pudet ad teneros procubuiſſe pedes.
Tunc mihi jurabas, nullo te divitis auri
    Pondere, non gemmis vendere velle fidem:

INTERPRETATIO.

inductus pecuniâ ſacrum Amorem læſit, Venus illi infeſta eſt, & acerba. In flamma potius igne verticem meum, & confode corpus meum gladio, & proſcinde dorſum meum inflictis ſcuticis. Nec tibi delinquere volenti fiducia ſit occultandi. Eſt Deus, qui prohibet fraudes remanere abſconditas. Deus ipſe conceſſit poteſtatem arcano famulo, ut largo vino voces ſolutas efferret. Deus iſte voluit ſopore victos proferre verba, atque etiam nolentes declarare facinora occultanda. Ego iſta proloquebar. Iam piget me hæc dicentem ploraſſe. Iam ad molles pedes tuos procidiſſe pudet. Tum mihi pejerabas te nullo opulenti auri pondere, nec margaritis venundare velle fidem. Nec etiamſi tibi merces tradere-

ANNOTATIONES.

la, rapinæ, neces, &c. Unde illud Virgil. lib. 3 Æneid.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames!

Ovid. lib. 1. Metamorphoſ.

Effodiuntur opes irritamenta malorum.
Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum
Prodierat prodit bellum quod pugnat utroque.

19. *Divitiis captus.*] Venerem iraſci minatur his, qui divitias amori præponderant. Inde etiam indignatur Propert. lib. 2.

Ergo muneribus quivis mercatur amicam!
Iupiter! indignâ merce puella perit.

25. *Permittis vela.*] Ita legit Scaliger, hoc eſt, *permiſit voluntati, arbitrio, ac libidini*: quod proverbialiter ſignificat *permittere vela*. Alii legunt, *permiſit lena miniſtro*, hoc eſt, ut *lena*, cui miniſter plurimum vini fudiſſet, taceuti interim plurima aperiret fido amoris miniſtro.

26 *Ederet libera verba.*] Notum illud Proverbium: *In vino veritas.* Temulentorum enim, & ebriorum illud eſt vitium, ut omnia etiam animi arcana in publicum effundant, & effutiant. Horat in Arte Poëtica.

Et torquere mero, quem perſpexiſſe laberent
An ſit amicitiâ dignus.

28. *Invitos facta tegenda loqui.*] Notum eſt plures dormientes interdum multa effutire, quæ vigilantes nunquam aperirent.

Non tibi ſi pretium Campania terra daretur,
Non tibi ſi Bacchi cura Falernus ager.
Illis eriperes verbis mihi, ſydera cœli
Lucere, & puras fluminis eſſe vias.
Quinetiam flebas: at non ego fallere doctus
Tergebam humentes credulus uſque genas.
Quid faceres niſi & ipſe fores in amore puellæ?
Sit precor exemplo, ſed levis illa tuo.
O quoties, verbis ne quiſquam conſcius eſſet,
Ipſe comes multâ lumina nocte tuli.
Sæpè inſperanti venit tibi munere noſtro,
Sed latuit clauſas poſt adoperta fores.
Tum miſer interii, ſtultè confiſus amari,
Non poteram ad laqueos cautior eſſe tuos.

INTERPRETATIO.

tur regio Campania, neque ſi tibi Falerna terra, Bacchi amor, tribueretur. His dictis eriperes mihi aſtra ætheris ſplendere, & curſus fluvii nitidos eſſe. Inſuper lacrymabaris hæc affirmans. *Ego verò minimè eruditus decipere, credulus ſemper abſtergebam madidas genas. Quid ageres niſi etiam tu ipſe eſſes in amore puellæ. Aopto, ut ipſa tuo exemplo vi*ciſſim *inconſtans ſit. O quàm ſæpè ego ipſe geſtavi facem tibi affectator productâ nocte, ne ullus teſtis eſſet dictis. Frequenter beneficio meo adſtitit tibi inopinanti* puella, *at abſcondita poſt januam obſeratam delituit Tunc perii infelix ſtolidè credens me diligi, non valebam eſſe diligentior ad inſidias tuas. Præterea etiam celebrabam tibi*

ANNOTATIONES.

33. *Campania terra.*] Regio eſt Italiæ fertiliſſima, in quâ ſummum eſt Liberi Patris, & Cereris certamen, ut à Plinio venuſtè dictum eſt, ſic dicta, quòd campeſtris ſit. Vid. Strabon. lib. 5. Verè Italiæ Paradiſus eſt, adeo ibi incredibilis rerum eſt fertilitas & abundantia.

34. *Falernus ager.*] Campaniæ tractus, qui vitiferos colles habet, generoſiſſimo, quod ibi naſcitur, vino nobiles, cui vino ſecunda nobilitas tribuebatur ab Antiquis. Dicitur a *Falerno* Agricolâ, qui primus ibi vites fertur coluiſſe.

34. *Bacchi cura.*] Hoc eſt *Amor.* Sic Virgilius.

——— *Tua cura Lycori.*

35. *Illis eriperes verbis.*] Senſus eſt. *His dictis mihi perſuaderes, & quaſi invitum cogeres ut tibi crederem, ſi diceres aſtra cœli non lucere.* Eodem ferè modò Cornelius Celſus lib. 6. *Pœnè ineptiæ ſunt curare varos, & lenticulas, & ephelidas. ſed eripi tamen fœminis cura cultûs non poteſt.*

36. *Fluminis eſſe vias.*] Alii legunt, *Fluminis ire vias*, quod non diſplicet. Alii legunt, *Fulminis eſſe vias*, quod non teneo, ſi per *puras*, *claras* intelliges.

39. *Quid faceres.*] Alii legunt, *quid facias*: alii, *quid faciam*, alii, *quid facerem*: alii, *quid dicam*. *quod tu ipſe fores*, &c. Sed quocumque modo legatur difficilis omninò ſententia.

41. O *quoties.*] Objicit pericula quæ adiit, dum puerum ad amicam erat comitatus, atque commemorat, quæ præſtitit amantibus obſequia.

44. *Sed latuit.*] Alii legunt, *& latuit*, quod non diſplicet; ideò verò *latuit* ne à me cognoſceretur.

Quinetiam attonitâ laudes tibi mente canebam:
    At me nunc noſtri, Pieridumque pudet.
Illa velim rapidâ Vulcanus carmina flammâ
    Torreat, & liquida deleat amnis aqua.
Sit procul à nobis, formam cui vendere cura eſt,
    Et pretium plenâ grande referre manu.
At te, qui puerum donis corrumpere es auſus,
    Rideat aſſiduis uxor inulta dolis.
Et cum furtivo juvenem laſſaverit uſu,
    Tecum interpoſitâ languida veſte cubet.
Sint externa tuo ſemper veſtigia lecto,
    Et pateat cupidis ſemper aperta domus.
Nec laſciva ſoror dicatur plura bibiſſe
    Pocula, vel plures emeruiſſe viros.

INTERPRETATIO.

præconia tua ſtupenti animo. Jam verò piget me mei, & Muſarum. Utinam Vulcanus illos verſus igne vehementi comburat, & fluvius obliteret fluenti aquâ. Longè à nobis ſit, cui ſtudium eſt pulchritudinem proſtituere, & magnam mercedem refertâ manu reportare. Te verò, ô qui aggreſſus es muneribus puerum pervertere, conjux impunita deludat continuis fraudibus. & poſtquam fatigaverit juvenem amore clandeſtino, tecum languens decumbat amictu interjecto. Perpetuò exiſtant veſtigia aliena in cubili tuo, atque ædes tuæ jugiter ſint aperta amantibus. Nec ſoror impudica referatur hauſiſſe plures cyathos,

ANNOTATIONES.

47. *Attonitâ.*] Nimiâ ſcilicet cantandi cupiditate, tuique impotentiori amore.

49. *Rapidâ Vulcanus.*] Erat pœna malorum carminum aut in ignem mitti, ut apud Catullum Annales Voluſii *Vulcano* voventur: aut in aquam demergi, ut apud Suetonium in Caligula cap. 20. ubi ii qui ad aram Lugdunenſem maximè diſplicuiſſent, ſcripta ſua ſpongiâ linguave delere jubebantur, niſi ferulis objurgari, aut in proximum flumen mergi maluiſſent.

53. *At te, qui.*] Dira precatur puerì corruptori.

54. *Dolis.*] Furtivis amoribus, atque etiam adulterinis concubitibus.

56. *Interpoſitâ veſte.*] Ut uxor aſpernata virum inter ſe & ipſum quaſi iratа *veſtes interponat*, ne ſe tangat.

57. *Externa veſtigia.*] Hoc eſt, indicia manifeſta adulterii.
Propert. lib. 2. Eleg. XXVIII.

Appareat non ulla toro veſtigia preſſo,
Signa voluptatis, nec jacuiſſe duos.

58. *Cupidis.*] Amatoribus intrare volentibus, tuæque uxoris pudicitiæ inſidiantibus.

59. *Nec laſciva ſoror.*] Non uxorem modò iſtius corruptoris optat eſſe impudicam, ſed etiam ſororem, & ut quæſtum meretricium faciat, & vulgati ſit corporis, imprecatur, & ut tot concubitus ac vices patret, quot pocula vacuaverit.

60. *Emeruiſſe viros.*] Id eſt, *exhauſiſſe viros. Emerere* convenit rectè meretricibus, quæ à *merendo* dictæ ſunt. *Emerere* autem *vires* eodem ſenſu videtur ſumi, quo illud,

Quæ tot nocte viros peregit unâ.

Illam ſæpè ferunt convivia ducere Baccho,
 Dum rota Luciferi provocet orta diem.
Illâ nulla queat melius conſumere noctem,
 Atque operum varias diſpoſuiſſe vices.
At tua perdidicit, Nec tu ſtultiſſime ſentis,
 Cùm tibi non ſolitâ corpus ab arte movet.
Tune putas illam pro te diſponere crines?
 Aut tenues denſo pectere dente comas?
Iſta hæc perſuadet facies, auroque lacertos
 Vinciat, & Tyrio prodeat apta ſinu?
Non tibi, ſed juveni cuidam vult bella videri,
 Devoveat pro quo remque, domumque tuam.
Non facit hoc vitio, ſed corpora fœda podagrâ,
 Et ſenis amplexus culta puella fugit.
Huic tamen accubuit noſter puer. Hunc ego credam
 Cum trucibus Venerem jungere poſſe feris.
Blanditiaſque meas aliis tu vendere es auſus?
 Tune aliis demens oſcula ferre mea?

INTERPRETATIO.

quam plures amatores exhauſiſſe. Aiunt ipſam frequenter Baccho protrahere compotationes, donec exortus Luciferi currus excitet lucem. Nulla poſſit commodiùs illâ noctem traducere, & ordinaſſe diverſas exercitationum alternationes. Sed uxor tua docta eſt, nec tu percipis, omnium ſtolidiſſimè, quando pro te conſuetâ ratione non moves lacertos. An tu exiſtimas ipſam tui causâ comas componere, aut comere ſubtiles capillos crebro pectine? An id tibi fidem facit vultus ille, quòd cingat auro brachia, & compoſita procedat in veſte purpureâ. Pulchra cupit apparere, non tibi, ſed cuidam adoleſcenti, cujus causâ devoveat & bona, & domum tuam. Non id agit pravitate ſuâ; at ipſa delicata fœmina vitat corpus podagrâ fœtidum, & vetuli putidi *complexum. Nihilominus iſti meus puer ſuccubuit. Ego jam putem ipſum poſſe conciliare amorem cum truculentis belluis. Tune conſiſus es aliis proſtituere blandimenta mea? Tune, ô inſane, dare aliis ſuavia mea* auſus *es? Tune plorabis, quando me ſi-*

ANNOTATIONES.

62. *Dum rota Luciferi.*] Poëta *Lucifero* currum attribuit, cùm apud alios equo tantùm vehi referatur, fuſco quidem veſpere, candido autem mane, quando eſt φώσφορος.
Ovid. in Faſtis.
 Heſperus & fuſco roſcidus ibat equo.

65. *At tua perdidicit.*] Tua nempè uxor egregiè docta eſt adulteria.

68. *Denſo dente.*] Pectinem per circumlocutionem ſignificat, qui ſcilicet per denticulos minutiſſimos & frequentiſſimos eſt inſectus.

70. *Tyrio prodeat apta ſinu.*] Quoniam in urbe *Tyro* laudatiſſima tingebatur purpura, factum eſt, ut *Tyrium* dicatur pro *purpureo. Apta* id eſt, *ornata*, & *concinnata*, & *compoſita.*

72. *Devoveat.*] Hoc eſt, *devovendo* conſumat, vel cum deprecatione execretur reſque tuas, gentemque tuam.

73. *Corpora fœda podagrâ.*] Podagricorum corpora fœtent propter unguenta, quæ tanquam remedia podagrico dolori adhibentur, tum propter ſenium.

Tunc flebis, cum me vinctum puer alter habebit,
Et geret in gremio regna ſuperba tuo.
At tua tum me pœna juvet, Venerique merenti
Fixa notet caſus aurea palma meos:
Hanc tibi fallaci reſolutus amore Tibullus
Dedicat: & gratâ ſis, Dea, mente rogat.

INTERPRETATIO.

bi devinctum tenebit puer alius, & in tuo ſinu exercebit imperium faſtuoſum. Tunc ſupplicium tuum delectet me, & aureum ſcutum Veneri merita appenſum ſignet caſus meos hoc cum titulo: *Tibullus perfido pueri amore liberatus hoc conſecrat tibi, ô Dea. & te precatur, ut* ſibi *ſis animo propitio.*

ANNOTATIONES.

De podagrico rivali Catullus ait:

—— *Ulciſcitur ambos,*
Illam affligit odore, ipſe perit podagrâ.

80. *Et geret in gremio regna ſuperba.*] Hoc eſt, *dominabitur.* Dominæ enim vocantur amicæ, earumque obſequium amatores vocant regnum, ſeu imperium, quaſi ipſis ſint ſubditi jure ſervitutis.

Horat. lib. 4. Od.

Non ſum qualis eram bonæ
Sub Regno Cynaræ; deſine dulcium
Mater ſæva Cupidinum
Circa luſtra decem flectere mollibus
Jam durum imperiis.

82. *Notet caſus aurea palma.*] *Palmam*, & *Parmam*, *Parmularios* & *Palmularios* idem eſſe contendunt viri doctiſſimi; ut autem *parmas* Gladiatores & milites figere ſolebant, ſic & amatores.

Unde Ovid. 1.

Miles ut emeritis non eſt ſatis utilis armis,
Ponit ad antiquos, quæ tulit arma Lares.

De amatore verò Horat. lib 3. Od. 26.

Nunc arma defunctumque bello,
Barbiton hic paries habebit.

Parmula igitur Tibulli Veneri de ipſo benè meritæ appenſa *ex voto* tanquam tabella εὐχαριστικὰ, pericula, & caſus, quos evaſerit, ſignificabit.

ELEGIA XI.

QUIS fuit horrendos primus qui protulit enſes?
Quàm ferus, & verè ferreus ille fuit.

INTERPRETATIO.

QUIS *fuit, qui primus* omnium *edidit execrandos gladios? Quàm crudelis fuit iſte, & certè ferreus,* & immanis. *Tum* primum *mortalium gen-*

ANNOTATIONES.

1. *QUis fuit horrendos.*] Hæc Elegia ejuſdem eſt argumenti cum fine primæ Elegiæ hujus libri. Nam deteſtatur bella invitatus à Meſſala ad expeditionem in Orientem.

2. *Quàm ferus.*] *Ferus* eſt, qui viræ durioris eſt, & crudelioris animi. *Ferreus* verò, qui immitis, & intractabilis, à *ferro*, quod nihil in ſe præter duritiam habet.

Tunc cædes hominum generi, tunc prœlia nata,
  Tunc brevior diræ mortis aperta via eſt.
At nihil ille miſer meruit: nos ad mala noſtra
  Vertimus, in ſævas quod dedit ille feras.
Divitis hoc vitium eſt auri: nec bella fuerunt,
  Faginus aſtabat cum ſcyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat, ſomnumque petebat
  Securus varias dux gregis inter oves.
Tunc mihi vita foret, vulgi nec triſtia noſſem
  Arma, nec audiſſem corde micante tubam.
Nunc ad bella trahor. & jam quis forſitan hoſtis
  Hæſura in noſtro tela gerit latere.
Sed Patrii ſervate Lares: aluiſtis & iidem,
  Curſarem veſtros cum tener ante pedes.

INTERPRETATIO.

ti exorta ſunt occiſiones, & pugna; tum patuit ſæva necis iter contractius. Sed infelix ille nullam meritus eſt pœnam; nos enim *traducimus in ruinam no-ſtram* præſidium, *quod* nobis *ille prabuit adverſus trucos beſtias. Illud eſt vitium auri pretioſi.* Neque enim *fuerunt prœlia, quando pocula fagina ad epulas collocata erant; nec erant propugnacula, nec munimenta, & paſtor pecoris quietus ſomnum carpebat inter ſuas oves.* Utinam *mihi ætas tum eſſet, neque ſciviſſem deteſtabilia tela, nec audiviſſem claſſicum pectore palpitante. Jam rapior ad arma, jamque fortaſſe aliquis adverſarius geſtat ſpicula in meo latere figenda. Verùm, ô Penates paterni, defendite* me: vos *etiam ipſi* me *educaſtis, quo tempore tenellus curſitarem ante pedes veſtros. Nec erubeſcatis fa-*

ANNOTATIONES.

7. *Divitis hoc vitium auri.*] Hic etiam eleganter, ut in Elegia ſuperiori malorum omnium verè cauſam *auro* imputandam cenſet, ut & Ovid. Metamorph. 1.

Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum, &c.

8. *Faginus adſtabat.*] Jam de poculis ſupra egimus Eleg. 1. ad hos verſus.

Fictilia antiquus primum ſibi fecit agreſtis
Pocula, de facili compoſuitque luto.

9. *Non arces, non vallus erat.*] Legendum forſan *non acies; vallus* propriè ſignificat *palum*, quo vitis alligatur. Cæſar tamen, ut hoc loco Tibullus, uſurpat non ſemel pro caſtrorum munimento, quod ideò *vallum* dicitur, quòd ex *vallis*, hoc eſt, *palis* ſæpè fieret.

11. *Tunc mihi vita foret.*] Hoc eſt, *utinam tunc temporis viverem.*

12. *Corde micante tubam.*] *Corde* præ metu palpitante, ſeu trepidante. *Tuba* etiam ſeu claſſicum eſt virorum fortium, & bellicoſorum incentivum; ignavorum verò terror, & metus.

15. *Dii Patrii ſervate Lares.*] de *Laribus*, & quòd eſſent *Dii Patrii* fuse ſuprà. Ad hunc ferè modum Virgilius Æneid. 2.

Dii Patrii ſervate domum, ſervate nepotem.

Idem Æneid. lib. 3.

——— Dii talem ſervate caſum,
Et ſervate pios. ———

Ante omnia enim à Diis Veteres ſalutem, & incolumitatem petebant.

Hanc purâ cum veſte ſequar, myrtoque caniſtra
    Vincta geram, myrto vinctus & ipſe caput.
Sic placeam vobis; alius ſit fortis in armis,
    Sternat & adverſos, Marte favente, duces.
Ut mihi potanti poſſit ſua dicere facta
    Miles, & in menſa pingere caſtra mero.
Quis furor eſt atram bellis arceſſere mortem?
    Imminet, & tacito clam venit illa pede.
Non ſeges eſt infrà, non vinea culta, ſed audax
    Cerberus, & Stygiæ navita puppis aquæ.
Illic perſciſſiſque genis, uſtoque capillo,
    Errat ad obſcuros pallida turba lacus.
Quàm potiùs laudandus hic eſt, quem prole paratâ
    Occupat in parvâ pigra ſenecta caſâ.

INTERPRETATIO.

ſtica è pleno ſtabulo. Ego *illam proſequar cum veſte munda, & feram calathos myrto religatos: ipſe etiam religatus tempora myrto. Ita ſim vobis gratus. Alius ſtrenuus ſit in bello, & ductores contrarios, proſpero Marte, profliget, ut miles commemorare mihi queat bibenti facinora ſua, & vino in menſa caſtra ſcribere. Quæ dementia eſt præliis accelerare funeſtam necem? Ipſa inſtat, & furtim accedit latente gradu. Subter terram nulla meſſis* eſt, *nulla vitis arata, at atrox Cerberus, & portitor cymbæ undæ Stygiæ. Ibi pallentes cœtus, & genis pertuſis, & crine retorrido, vagantur juxta lacus caliginoſos. Quàm convenientiùs prædicandus iſte eſt, quem ſuſceptâ ſobole tarda ſenectus exercet in*

ANNOTATIONES.

ut hoſtes arcerent. Quod mirè cum Tibullo noſtro convenit.

27. *Purâ cum veſte.*] Ut Veteres in ſacris *puras manus*, ita & *puras veſtes*, *pura* vaſa, *puram* hoſtiam, & *purum* vinum deſiderabant. *Pura* autem *veſtis* appellatur in ſacris, quæ neque funeſta eſſet, neque maculam haberet ex homine mortuo.

Hinc Tibull. lib. 2. Eleg. 1.

Caſta placent ſuperis, purâ cum veſte venite.

Virgilius.

——— *Puraque in veſte Sacerdos.*

28. *Myrto vinctus.*] *Myrtus* arbor eſt Veneri amantium Deæ ſacra: unde caput amatores *myrto* ſæpiùs redimere dicuntur; ut ſe Veneris caſtra ſequi ſignificent.

30 *Marte favente.*] Secundo & proſpero prœlio. Victoribus enim ſemper *Mars* favet.

32. *Pingere caſtra mero.*] Solent milites è bello reverſi ubique ſua facta, præſertim inter calices & pocula, crepare; ita ut etiam ſæpiùs quibuſdam ſignis res, quas narrant, exprimant, aut etiam vino deſcribant & pingant. Unde Ovid. in Heroïd.

Pingit & exiguo Pergama celſa mero.

35. *Non ſeges eſt infrà.*] In Inferis, ſeu apud Inferos, quorum ſedem infra terram Poëtæ reponunt.

36. *Cerberus & Stygiæ*, &c.] Apud Inferos fingitur a Poëtis eſſe canis triceps, quem *Cerberum* vocant, qui eſt Inferorum Cuſtos, & Janitor. Fingitur quoque quidam ibi ſenex eſſe, Charon dictus, qui defunctorum animas per tria Inferorum flumina Acherontem, Stygem, & Cocytum, ad aliam ripam transvehit.

Ipſe ſuas ſectatur oves, at filius agnos,
Et calidam feſſo comparat uxor aquam.
Sic ego ſim, liceatque caput candeſcere canis,
Temporis & priſci facta referre ſenem.
Intereà pax arva colat. PAX candida primùm
Duxit araturos ſub juga curva boves.
Pax aluit vites, & ſuccos condidit uvæ,
Funderet ut nato teſta paterna merum.
Pace bidens, vomerque vigent: at triſtia duri
Militis in tenebris occupat arma ſitus.
Ruſticus è lucoque vehit malè ſobrius ipſo
Uxorem plauſtro, progeniemque domum.
Sed Veneris tunc bella calent, ſciſſoſque capillos
Fœmina perfractas conqueriturque fores.
Flet teneras ſuffuſa genas: ſed victor & ipſe
Flet ſibi dementes tam valuiſſe manus.

INTERPRETATIO.

exiguo tugurio. Ille oves ſuas, natus verò agnos proſequitur: & conjux ipſi defatigato tepidam aquam apparat. Ita ego ſim, & ſinatur vertex meus *canis albeſcere. Et vetulum* liceat *me commemorare res geſtas prioris ætatis. Interim pax agros exerceat: felix pax primò ſub jugum pandum boves miſit terram ſulcaturos. Pax educavit vites, & liquores racemorum repoſuit: ut patria dolia filiis vinum traherent. Tempore pacis* vigente *biſulca vomereſque exercentur: ſed rubigo in obſcuritate tenet bellatoris inhumani tela ſqualida. Agricola etiam ebrius ex ipſo nemore plauſtro reducit in ædes conjugem, & prolem. Tunc verò vigent amoris prœlia, & puella queruntur comas laceratas, & januas diſruptas, ejulantque* molles *vultus* lacrymis *ſuffuſa. At etiam ipſe victor doles inſanas manus ſuas tantùm potuiſſe. Sed procax amor jurgiis ſuggerit*

ANNOTATIONES.

42. *Calidam feſſo comparat uxor aquam.*] *Feſſi* Veteres ex itinere ſolebant *aquâ* calidâ ſe fovere, & lavare. Plaut.

Abi intrò, ac jube huic aquam calefieri.

Et in Bacchid.

Aqua calet, eamus hinc intrò, ut laves.

44. *Facta referre ſenem.*] *Senes* ſemper præteritos laudant annos, præſentes deſpiciunt.

De *ſene* Horat. in Poëticâ.

—— *Laudator temporis acti.*

48. *Teſta paterna.*] Vas eſt vinarium, quod vocatur dolium, quod aliquando fuit teſtaceum. *Paterna* verò *teſta* dicitur, in quam pater novum infudiſſet vinum, ut à filiis vetus hauriretur.

49. *Pace bidens vomerque vigent*] De pacis commodis exultat Velleius Paterculus lib. 2. cap. 89.

Porrò *bidens* genus eſt inſtrumenti ruſticani duobus hinc inde dentibus prominentibus munitum. Mirabiliter noſtro Tibullo concinit Ovid. lib. 4. Faſt.

Sæcula nunc, duruſque bidens, & vomer aduncus,
Ruris opes vigeant, inquinet arma ſitus.

51. *Ruſticus è luco.*] *Ruſticus* ebrius *è luco* ipſo, in quo rem ſacram fecit, familiam domum reducet.

55. *Suffuſa genas.*] Habens *genas* madidas lachrymis *ſuffuſis.*

At laſcivus Amor rixæ mala verba miniſtrat,
Inter & iratum lentus utrumque ſedet.
Ah ! lapis eſt, ferrumque ſuam quicumque puellam
Verberat, è cœlo deripit ille Deos.
Sit ſatis è membris tenuem perſcindere veſtem;
Sit ſatis ornatus diſſoluiſſe comæ.
Sit lacrymas moviſſe ſatis ; quater ille beatus,
Quo tenera irato flere puella poteſt.
Sed manibus qui ſævus erit, ſcutumque, ſudemque
Is getat, & miti ſit procul à Venere.
At tu nobis, pax alma, veni, ſpicamque teneto.
Præfluat & pomis candidus ante ſinus.

Interpretatio.

maledicta, & ipſe inter ambos amantes indignatos placidus quieſcit. Ah! ſaxum eſt & chalybs, quiſquis amicam ſuam percutit; iſte Deos è Cœlo devecat. Sufficiat de corpore mollia veſtimenta divellere, ſufficiat diſturbaſſe compoſitos capillos. Sufficiat fletum excitaſſe. Iſte quater fortunatus eſt, quo excandeſcente puella delicata lachrymari poteſt. At qui manu aſper erit, clypeum, & vallum ferat, & longè abſit à Venere placidâ. Tu verò, ô pax veneranda, ades nobis, *& ſpicarum ſertum geſtato, & candidum tuum gremium antè fructibus redundet.*

Annotationes.

Virgil lib. 1. Æneid.
Triſtior, & lacrymis oculos ſuffuſa nitentes

58. *Inter & iratum lentus.*] Alii legunt, *latus*. Amor enim laſciviens rixis inter amantes excitatis delectari dicitur, atque interim ſecurus inter ipſos etiam rixantes ſedet, ut inde majorem ardorem exciset.
Unde Terentius.
Amantium ira, amoris integratio eſt.
Menander etiam brevem omninò eſſe amantium iram docet.
Ὀργὴ φιλοῦντων ὀλίγον ἰσχύει χρόνον.

59. *Lapis eſt, ferrumque.*] Id eſt, inflexibilis, inhumanus, immitis, & affectibus humanis carens, ut *lapis & ferrum*.

63. *Quater ille beatus.*] Numeros ternarium & quaternarium Pythagorici perfectos eſſe cenſebant, ex quorum diſciplina Virgilius: *O terque quaterque beati*: hoc eſt, plenè & perfectè *beati* At quaternarium numerum adeò perfectum eſſe credebant, ut ipſum inter arcana venerarentur, & ex eo jurisjurandi religionem ſibi fecerint.

64. *Flere puella poteſt.*] Cùm *puella* effundit lacrymas ob amatorem iratum, ardentis eſt amoris ſignum; hocque facit, ut eum ſibi reconciliet.

65. *Scutumque ſudemque.*] *Sudes* genus eſt teli ruſtici, hoc eſt, bacillus igni præuſtus. *Vallus & ſudes*, ait Servius, *idem eſt*. Livius de bello Punico. *Tertio die ſudibus inter ſe in modum juſta pugna concurrunt.*

67. *Pax alma veni; ſpicamque teneto.*] Pacis ſimulacrum ab Antiquis effingebatur manu gerens ſpicas; ideò dicitur *alma*, quod eſt epitheton pacis proprium. Pacis enim tempore florent agriculturæ, & agri exercentur: unde illi ſpicas, poma, & reliqua hujuſmodi offerebantur. Interdum etiam olivâ, interdum lauro, quinetiam roſâ coronata depingebatur; pacem etiam cum Cerere conjungere ſolebant.

ALBII TIBULLI EQUITIS ROMANI

LIBER SECUNDUS.

ELEGIA I.

QUISQUIS adeſt faveat, fruges luſtramus, & agros,
Ritus ut á priſco traditus extat avo.

INTERPRETATIO.

QUICUMQUE *intereſt, taceat: expiamus ſegetes, & agros, ſicut mos preditus* nobis *eſt ab Antiquis majoribus noſtris. Ades, ô Bacche, &*

ANNOTATIONES.

1. *QUiſquis adeſt, faveat.*] Alii codices habent, *quiſquis ades, faveas*: hoc eſt, *quiſquis ades, attende cum ſilentio*, vel *dic bona verba. Favere* enim ſignficat, *fari bona verba*, vel *tacere*; eratque Sacerdotum verbum in ſacris, quo ſilentium imperabatur, ut ſacra ritè peragerentur, nullâ voce malâ obſtrepente, vel, ut bona verba dicerentur. Sacra autem cœtumque celebrari à faventibus volunt omnes Antiqui.

Virgilius lib. 5. Æneid.

> —— *Ore favete*
> *Omnes.* ——

Tibullus infrà.

> *Quiſquis ades, linguâ vir, mulierque fave.*

Ovid. in Ibin.

> *Nulla mora eſt in me, peragam rata vota Sacerdos;*
> *Quiſquis ades, ſacris ore favete meis.*

Favere autem linguis ſæpiùs ſignificat *tacere*; quia ſilentium maximè neceſſarium eſt in ſacris. Seneca lib. 4. de vita beata. *Hoc verbum*, inquit, *favete linguis, non ut plerique exiſtimant, à favere trahitur, ſed imperatur ſilentium, ut ritè peragi poſſit ſacrum, nullâ voce malâ obſtrepente.* Vocabulum autem, *quiſquis*, utrumque ſexum continere vel mediocriter docti non ignorant. Livius. *Mulier quiſquis es, te volumus.* Pacuvius. *Quiſquis tu es mulier, quæ me inſueto nuncupaſti nomine.*

Fruges luſtramus.] Ambarvale ſignificat ſacrificium, quo hoſtia circum arva maturis frugibus ducebatur, omneſque pòſt clamantes ſequebantur, ex quibus unus querneâ coronâ ornatus cum ſolemni ſaltatione compoſito Car-

Bacche veni, dulciſque tuis è cornibus uva
 Pendeat, & ſpicis tempora cinge Ceres.
Luce ſacrâ requieſcat humus, requieſcat arator,
 Et grave ſuſpenſo vomere ceſſet opus.
Solvite vincla jugis: nunc ad præſepia debent
 Plena coronato ſtare boves capite.
Omnia ſint operata Deo: non audeat ulla
 Lanificam penſis impoſuiſſe manum.

INTERPRETATIO.

maturus racemus pendeat è cornibus tuis: tuque, ô Ceres, corona caput tuum ſpicis. Die feſtâ ferietur terra, ceſſent agricola, & deſerto aratro durus labor intermittatur. Demittite collis boum ſervitia. Jam ad oppleta præſepia boves debent conſiſtere redimitis capitibus. Cuncta Numini rem divinam fecerint. Nulla fœmina auſit lanaries digites flaminibus appuliſſe. Vos etiam, quibus

ANNOTATIONES.

mine Ceteris laudes decantabat. Virgil. 1. lib. Georgicon.

Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret.
Cui tu lacte faves, & miti dilue Baccho,
Terque novas circum felix eat hoſtia fruges,
Omnis quam chorus, & ſocii comitentur ovantes,
Et Cererem clamore vocent in tecta. neque antè
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis.
Quam Cereri tortâ redimitus tempora quercu
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

Hæc porrò ſacra *Suovitaurilia* etiam vocabantur, quòd ſuem, ovem, & taurum. immolarent: victimas verò *ambarvales* dicebantur, ab *ambiendis arvis*. Agros luſtrandi ritum deſcribit Cato de re ruſtica cap. 14.

3. *E cornibus uva pendeat.*] Baccho *cornua* tribuunt Antiqui, quòd ipſum primùm boves junxiſſe putarint: vel quòd idem ſit quod Oſiris: vel quòd fuerit filius Ammonis, qui arietino capite eum cornibus fuiſſe fingitur: vel ut Porphyrio ſcribit ad illud Horatii: *Aureo cornu decorum*: lib. 2. Carmin. *Cornua Libero patri, & nonnullis aliis aſſignantur, quoniam ſcilicet vinolentia protervitatem, & contumaciam addere ſolet.* Feſtus verò ait: *Cornua Liberi Patris ſimulacro adjiciuntur. quem inventorem vini dicunt, eò quòd homines nimio vino truces fiunt.*

5. *Luce ſacrâ.* Die feſtâ Dii ſunt colendi, & ab opere ceſſandum. *Lucem* porrò pro die ſæpiſſime uſurpant tum Latini, tum Græci Poëtæ.

6. *Suſpenſo vomere.*] Aratro depoſito & appenſo parieti, aut trabi.

7. *Ad præſepia debent.*] Ambarvales Sacerdotes Ambarvalibus ſacrificiis coronare ſolebant ſpicis & frugiferis ramuſculis boves in ſtabulis *ad præſepia* pabulantes, quibus in villicatione uſi eſſent; ſic etiam Conſalibus ait Plutarchus Romanos equis, & aſinis coronatis quietem largiri ſolitos eſſe.

9. *Sint operata Deo.*] *Operari* verbum eſt in rebus divinis uſurpari ſolitum, quod ſignificat, ſacrificare, aut rem divinam facere.

Horat. lib. 3. Od. 24.

Unico gaudens mulier marito
Prodeat juſtis operata Divis.

Julius Obſequens de Prodigiis: *Peſtilentiâ fameque ita laboratum, ut ex Sibyllinis populus circa compita ſacellaque operaturus ſederit.*

10. *Penſis impoſuiſſe manum.*] Olim præmittebantur à Flaminibus, ut ait

Vos quoque abeſſe procul jubeo (diſcedite ab aris)
Queis tulit heſternâ gaudia nocte Venus.
Caſta placent Superis; purâ cum veſte venite,
Et manibus puris ſumite fontis aquam.
Cernite, fulgentes ut eat ſacer agnus ad aras,
Vinctaque poſt oleâ candida turba comas.
Dii Patrii, purgamus agros, purgamus agreſtes,
Vos mala de noſtris pellite limitibus:
Neu ſeges eludat meſſem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres ſegnior agna lupos.
Tunc nitidus plenis confiſus ruſticus areis
Ingeret ardenti grandia ligna foco.

INTERPRETATIO.

Venus peperit voluptatem heſternâ nocte, recedite ab altaribus, vos longè removeri præcipio. Pura Cœlitibus grata ſunt; accedite cum munda veſte, & accipite lympham ſcaturiginis mundis manibus. Spectate quomodo agnus dedicatus procedat ad altaria ſplendentia, & multitudo candidata poſteriùs coronatis olivâ capitibus ſequatur. O *Divi Patrii*, *luſtramus rura, expiamus ruſticos, Vos avertite mala à noſtris finibus.* Facite *aut ne fruges vanis herbis fruſtrentur meſſem, aut ne ovis tardior reformidet veloces lupos. Tunc agricola nitentes areis impletis freti inferent camino accenſo magnos* arborum *trunces, & mul-*

ANNOTATIONES.

Feſtus, qui denuntiarent opificibus ut manus abſtinerent ab opere.

12. *Queis tulit heſternâ.*] *Heſternâ Venere* pollutos à ſacris arcebant: unde Lampridius in Alexandro: *Primùm ſi facultas eſſet, id eſt, ſi non cum uxore concubuiſſet, matutinis horis in larario ſuo rem divinam faciebat.* Egregiè itaque Ovid. lib. 3. Amor. Eleg. 6.

A tenerâ quiſquam ſic ſurgit mane puellâ,
Protinus ut cuſtos poſſit adire Deos?

13. *Pura cum veſte.* Scribit Feſtus Sacerdotes ad ſacrificium habuiſſe veſtimenta *pura*, id eſt, non obſita, non fulgurata, non funeſta, non maculam habentia.

14. *Et manibus puris.*] Vivo flumine, aut aquâ mundâ ſeſe ſacrificaturi Sacerdotes abluebant, eoſque, quibus manus eſſent pollutæ ſordibus, aut illuvie, aut cæde, & ſanguine, ſolemni præfatione à ſacris arcebant. Livius lib. 45. *Cùm omnis præfatio ſacrorum eos, quibus non ſint puræ manus ſacris arceat.*

15. *Sacer agnus.*] Victimas etiam volebant puras, mundas, & ſine macula, quæ *ſacra* ſeu potius *ſacres* vocabantur. Plautus.

Quanti ſunt porci ſacres.

17. *Purgamus agros.*] Ambarvali nempè ſacrificio, quo ruſtici, frugeſque, & agri luſtrabantur.

19. *Neu ſeges eludat meſſem.*] Alludit ad orationem, quam habuerunt olim in purgatione illa luſtrali, quam commemorat Cato loco ſupra laudato. *Utique*, inquit, *tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque grandire, beneque evenire ſinas, paſtores, paſcuaque ſalva ſervaſſis*

22. *Grandia ligna.*] Ad magnos truncos, & arbores, aut ad copiam reſpicit. Ut Horat. lib. 1.

Ligna ſuper foco largè reponens.

Turbaque vernarum ſaturi bona ſigna coloni
Ludet, & ex virgis extruet arte caſas.
Eventura precor; viden' ut felicibus extis
Significet placidos nuncia fibra Deos?

INTERPRETATIO.

titudo domeſticorum agricultoris opulenti laſciviet ad imagines propitias, & iis ædificabit tuguriola ex viminibus. Quod opto, eveniet; an cernis quomodo præſaga viſcera fauſtis inteſtinis indicent Divos eſſe propitios? Promittite mihi

ANNOTATIONES.

23. *Turbaque vernarum.*] Pueri omnes, liberi ſimul & ſervi ludebant ante focum & Lares, ut ipſe teſtatur Tibullus Elegia ſuperiore.

Sed Patrii ſervate Lares, aluiſtis & idem,
Curſarem veſtros dum tener ante pedes.

Ut & Eleg. 2. hujus libri ad Genium.

Ludat, & ante tuos turba novella pedes.

Horat. 2. Epod,

Poſitoſque vernas ditis examen domus circum renidentes Lares.

Bona ſigna.] Faventia, benè ominantia, & ubertatem ſignificantia.

24. *Exſtruet arte caſas.*] Ante ſimulacra Deorum exſtruebant caſas, quod erat puerilis ludi genus.

Horat.

Ædificare caſas, ploſtello adjungere mures.

25. *Eventura precor.*] Quod precor eveniet.

Ovid. lib. 2. de Ponto Eleg. 1.

Quod precor eveniet, ſunt quædam oracula Vatum:
Nam Deus optanti proſpera ſigna dedit.

Felicibus extis.] In ſacrificiis maximè obſervabant viſcera victimarum, & inteſtina Neque pars erat ulla tam exigua quàm Aruſpices, & Extiſpices non explorarent diligentiſſimè. Maximè verò circa hepar curioſi erant, quod in eo vaticiniorum ſedem propriam putabant; licet & aliorum viſcerum partes non minori ſedulitate contemplarentur, an omnia eſſent congrua, & convenirent, an eſſent ſine abſceſſibus præter naturam. Ideò etiam explorabantur ſedulò victimæ antequam ad aras ducerentur. Si jecur eſſet benè affectum, beneque compoſitum, nativoque ſanguinis colore ruberet, ſi nullâ eſſet labe pollutum, ejuſque fibræ rectè eſſent complicatæ, & convolutæ felicitatis ſigna certiſſima præbebant. Si quid autem eſſet incongruum, alienati Numinis erat indicium. Si corruptum appareret, aut eſſet nimis exile, neque ſedem ſuam retinuiſſet inter exta, funeſtum erat ſignum, Sin autem eſſet grande, ſpiſſum, glabrum, nec rugatum, vel ſi ab aquila prætervolante abriperetur, Deorum favorem promittebat, ſi lien ſuo eſſet ſitus loco, ſine puſtulis, rugis, aut alieno colore felicia omnia dabat omina, Sed ſi ad dextrum latus ſeſe inclinaret, vel deorſum impenderet, vel aliquid præter naturam haberet, infauſtum erat. Si pulmones eſſent in partes diviſi, vel coloris lividi, aut notis & maculis pleni, callis & rugis inordinatis contracti, exitiale aliquid portendebant. Si denique *exta* excidiſſent è manibus ſacrificantis, ſi fœdidè eſſent conſperſa cruore, ſi livida maculiſque marcidis fœdata, ſi inteſtina rupta, fœtida, putria, triſtis erant ominis. *Fibra* propriè ſunt jecoris extrema, ut ait Feſtus. *Fibram* porrò ponit hîc Tibullus pro interaneis, ex quibus Deorum mens cognoſcebatur.

Lucan. lib. 1.

Atque iram Superûm ruptis quæſivit in extis.

Nunc

Nunc mihi fumoſum veteris proferte Falernum
Conſulis, & Chio ſolvite vincla cado.
Vina diem celebrent: non feſtâ luce madere
Eſt rubor, errantes & malè ferre pedes.
Sed benè Meſſallam ſua quiſque ad pocula dicat,
Nomen & abſentis ſingula verba ſonent.
Gentis Aquitanæ celeber Meſſalla triumphis,
Et magna intonſis gloria victor avis.
Huc ades, adſpiraque mihi, dum carmine noſtro
Redditur agricolis gratia Cœlitibus.

Interpretatio.

jam aſinoſum Falernum antiqui Conſulis, & eximite ligamina dolio Chio. Vina diem feſtum *celant; eſt pudor non inebriari die ſolemni, nec vagos paſſus pravè dirigere. At unuſquiſque proſperè voces ad cyathos ſuos Meſſallam; & ſingula voces referant nomen* ejus licèt *abſentis. O Meſſalla, inſignis victoriis Aquitanæ nationis, & triumphator ingens decus incomptis majoribus. Huc ades, & mihi fave, nunc cum meis Verſibus referuntur grates Diis Ruſticis.*

Annotationes.

27. *Fumoſum Falernum.*] In pretio fuerunt apud Veteres vina veterana. Vina porrò ut ætatem ferrent in teſtis picatis, & gypſatis aſſervabantur. Cellæ autem vinariæ & ad hypocauſti ſeu vaporarii fumum proximæ erant. Teſtas verò & amphoras demittebant, cùm vina fumum imbibiſſent. *Fumoſum* dicitur *Falernum*, hoc eſt, generoſum, ſpumoſum, quod Servius aquâ domari dicit vix poſſe. Unde Perſius.

Indomitum quod deſpumare Falernum
Sufficiat.

28. *Conſulis.*] Aonos à *Conſulibus* denominabant, & numerabant Romani. Unde vini in cellario reconditi vetuſtas ex nomine *Conſulis* noſcebatur. Horat. lib. 3. Od. 28.

Parcis diripere horreo
Ceſſantem Bibuli Conſulis amphoram.

Hoc eſt, amphoram in cellario diu reſidentem, atque Conſulatu Bibuli. ſeu Conſule Bibulo reconditam.

Chio Cado.] Hoc eſt, ſolvite vincula ſeu operimenta lagenæ, ſeu amphoræ plenæ vino *Chio*, quod conſtat eſſe optimum. *Chios* autem Inſula eſt maris Ægæi, nunc dicta *Scio*.

29. *Madere.*] Ebrium eſſe: unde *madidos*, aut uvidos vocabant ebrios.

31. *Sed benè Meſſallam.*] Mos erat Græcorum & Romanorum in conviviis ſuis, ut cum merum cyathis libarent, primò Deos, deinde amicos ſuos nominatim ſalutarent, & toties merum biberent, quoties & Deos, & caros ſuos nominarent.

33. *Gentis Aquitanæ.*] Diximus libro ſuperiore Meſſallam *Aquitanos* Galliæ populos rebellantes ſuperaſſe, & in ordinem redegiſſe.

34. *Intonſis avis.*] Antiquiores Romani *intonſos* crines gerebant, utpote qui priſcis illis temporibus graviores & ſeveriores eſſent, nec tantam de cultu corporis curam haberent, bono publico ſemper intenti. Unde Horat Catonem vocat *intonſum*, quaſi gravem & ſeverum; lib. 2. Od 15.

Non ita Romuli
Præſcriptum, intonſi Catonis
Auſpiciis, veteremque normâ.

Tonſores autem aiunt in Italiam primùm veniſſe ex Sicilia anno Urbis conditæ 454. eoſque adduxiſſe P. Ticinium Menam teſtatur Varro. Primus omnium quotidie radi inſtituit Africanus; ſecundus, Auguſtus.

36. *Agricolis Cœlitibus.*] *Cœlitibus*

Rura cano ruriſque Deos; his vita magiſtris
Deſtituit quernâ pellere glande famem.
Illi compoſitis primùm docuêre tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum.
Illi etiam tauros primùm docuiſſe feruntur
Servitium, & plauſtro ſuppoſuiſſe rotam.
Tunc victus abiêre feri, tunc conſita pomus,
Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.
Aurea tunc preſſos pedibus dedit uva liquores,
Miſtaque ſecuro eſt ſobria lympha mero.
Rura ferunt meſſes, calidi cum ſideris æſtu
Deponit flavas annua terra comas.
Rure levis verno flores apis ingerit alveo,
Compleat ut dulci ſedula melle favos.

INTERPRETATIO.

Agros celebro, & Divos agrorum. His ducibus vita hominum deſiit eſuriem depellere roburneâ fruge. Ipſi primò inſtituerunt ordinatis tignis tegere parvas caſas foliis virentibus. Ipſi quoque di cuntur primò erudiiſſe boves jugum ferre, & rotas currui ſubjeciſſe. Tum ſilveſtria alimenta receſſerunt, tum malus plantata eſt, tunc ferax hortus imbibit aquas irrigantes. Tunc racemus maturus præbuit latices plantis calcatos. & aqua temperans confuſa eſt vino innoxio. Agri fruges producunt, quando humus anniverſaria ardentis aſtri fervore demittit flaventes crines. In agris virentibus apes celeres flores inferunt alvearibus, ut operoſæ illæ animantes diſtendant cellulas ſuas ſuavi nectare.

ANNOTATIONES.

dixit, pro iis, quibus datum eſt epulis Divorum accumbere, & Superorum conſiliis intereſſe, ut ſunt Satyri, Fauni, Pomona, Vertumnus, & alii. Si enim ſunt Cœlicolæ, & Cœlites, quomodo agricolæ, niſi fortè quia ſunt agricolarum tutores & præſides. Illi autem Cœlites agricolæ ſunt Deorum turba minor, qui & *Seniores* vocantur.

38. *Quernâ glande.*] Cum primi mortalium *glande querneâ* veſcerentur, Ceres frumentum invenit, quod homines ſerere docuit, & ex eo panem conficere.

44. *Tunc bibit irriguas.*] Parvuli etiam rivuli hortorum ingentes ſunt dotes, & florum, omniſque viroris nutricii. Quintil. Declamat. 13.
Fuſus ex proximo fonte rivus crepitantibus inter radiantes calculos aquis utrimque ripâ virente præterfluit.

46. *Sobria lympha.*] Modica vel temperans, quòd vinum temperet, & ſecurum, hoc eſt, innocuum reddat, ita ut capiti non noceat: vinum etiam ſecurum dici poteſt, quòd homines ſecuros, & curis ſolutos efficiat.

47. *Calidi Syderis.*] Ardente ſcilicet, & æſtuante Caniculæ furore, aut etiam fervente ſolis æſtivalis ardore.

48. *Annua terra.*] Quòd ſingulis annis, ſeu annuatim renovetur: ut menſtrua Luna dicitur.

49. *Rure levis verno flores apis ingerit] alveo.*] Malè quidam legunt, *vernos flores*: verè etenim vernant: rure militiam, & opus exercent *apes* ingenioſæ. *Alveo* autem poſuit, pro *alveario*.

50. *Compleat ut dulci ſedula melle favos.*] Apum laborum mirè deſcribit Virgilius lib. 4. Georgic.

Prima favis ponunt fundamina, deinde tenaces

Agricola aſſiduo primùm ſatiatus aratro
Cantavit certo ruſtica verba pede.
Et ſatur arenti primùm eſt modulatus avenâ
Carmen, ut ornatos duceret ante Deos.
Agricola & minio ſuffuſus, Bacche rubenti
Primus inexpertâ duxit ab arte choros:
Huic datur à pleno memorabile munus ovili
Dux pecoris hircus: duxerat hircus oves.
Rure puer verno primùm de flore coronam
Fecit, & antiquis impoſuit Laribus.

INTERPRETATIO.

Tum primùm colonus continuo aratro fatigatus agreſtes cantilenas compoſito numero cecinit. & ſatiatus primò edidit modulamen ſicco calamo, quod coram Divis redimitis agitaret. Agricultor etiam illitus pigmento rubro, ô Bacche, primus rudi lege choreas egit. Illi præmium inſigne donatus eſt ex ovili referto hœdus vir gregis. Hœdus ille deduxerat oves. In agris primùm puerò ſerta ex floribus vernantibus texerunt, & veteribus Laribus impoſuerunt. In

ANNOTATIONES.

Suſpendunt ceras; alia ſpem gentis adultæ
Educunt fœtus, alia puriſſima mella
Stipant, & liquido diſtendunt nectare cellas. &c.

Apem quoque ſedulam dixit Ovid. 14. Metamorphoſ.

Non apis inde tulit collectos ſedula flores.

52. *Cantavit ruſtica verba.*] Agreſtes nempè cantilenas, aut aliquod carmen inconditum. Saltationem a paſtoribus & ruſticis initium duxiſſe pluribus probat Scaliger in ſua Poëtica. Cantum quoque fuiſſe a paſtoribus ait Lucretius imitatione concentus avium.

54. *Ut ornatos duceret ante Deos.*] Id eſt, cultos, coronatos & ſertis redimitos. Apuleius Mileſ. Fab. 3. *Eponæ Deæ ſimulacrum reſidens ædiculæ, quod accuratè corollis roſeis. & quidem recentibus fuerat ornatum.* Plerique verò legunt, *diceret*, quibus non aſſentimur; nam *ducere carmen* longè melius ducunt Docti, quàm *dicere*.

Horat. lib. 1. Sat. 10.

—— Forte epos, acer
Ut varius nemo ducit.

55. *Minio ſuffuſus.*] Ante perſonarum uſum, quem primus omnium Æſchylus invenit, ora ſua tum ruſtici ſaltantes, & tripudiantes, tum hiſtriones, tum Poëtæ carmina ſua recitantes, *minio* perfundebant, aut etiam fœcibus illinebant. Quod tangit Horatius in Poëtica.

Dicitur & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis,
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.

Ruſtici verò *minio* utebantur exemplo Panos paſtorum Dei, qui depingebatur *minio* perfuſus. Jovis etiam ſimulacri faciem illinebant Veteres *minio* diebus feſtis; quod etiam in aliorum Deorum ſimulachris factum aliquando fuiſſe teſtatur Plinius lib. Natural. Hiſtor. 33. cap. 7. Deoſque ſic depictos & oblitos vocabant *Minianos Deos*. Romæ etiam triumphantium vultus, & corpora inungi *minio* conſueviſſe legimus. Quod ſaltem conſtat de Camillo.

58. *Dux pecoris hircus.*] Tibullus hic initia Tragœdiæ tangit, cujus præmium fuit hircus, Græcè τράγος, unde Tragœdiæ nomen.

Horat. de Arte Poëtica.

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.

60. *Impoſuit Laribus.*] Superiore li-

Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
  Molle gerit tergo lucida vellus ovis.
Hinc & fœmineus labor eſt, hinc penſa, doluſque,
  Fuſus & appoſito pollice verſat opus.
Atque aliqua aſſiduè textrix operata Minervam
  Cantat, & appulſo tela ſonant latere.
Ipſe quoque inter agros, interque armenta Cupido
  Natus, & indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primùm ſe exercuit arcu.
  Hei mihi! quàm doctas nunc habet ille manus.
Nec pecudes velut antè petit: fixiſſe puellas
  Geſtit, & audaces perdomuiſſe viros.
Hic juveni detraxit opes: hic dicere juſſit
  Limen ad iratæ verba pudenda ſenem.
Hoc duce, cuſtodes furtim tranſgreſſa jacentes
  Ad juvenem tenebris ſola puella venit:
Et pedibus prætentat iter ſuſpenſa timore,
  Explorat cœcas cui manus ante vias.

INTERPRETATIO

Agris quoque ovis nitida mollibus fœminis ſollicitudinem datura, fert dorſo teneram lanam. Inde eſt etiam opera muliebris; inde ſtamina, & colus, ac fuſus admoto pollice devolvit opus. Inde etiam textrix qualibet jugiter laborans Minervam canit, & tela appulſo latere reſonant. Ipſe etiam Amor genitus traditur rure, & inter greges, & inter equas effrenes. Ibi primò ſe exercuit arcu rudi. Heu me! quàm ipſe jam manus habet peritas; neque, ut priùs, bellam impetit; gaudet percuſſiſſe puellas, & fortes viros debellaſſe. Ipſe juvenibus divitias ademit. Ipſe adduxit vetulum proferre inhoneſtas voces ad januam indignantis amicæ. Ipſo autore fœmina incomitata clam prætergreſſa excubitores ſuos humi nocte dormientes accedit ad juvenem: & metu incertâ priùs viam explorat paſſibus, cui manus antè attrectat tenebroſum iter.

ANNOTATIONES.

beo diximus, quanto cultu, quanto coronarum honore, quantis oblationum muneribus ab Antiquis Lares fuerint celebrati.

Juvenal. Satyr. 5.

O parvi caſtique Lares; quos thure minuto,
Aut farre, & tenui ſoleo exornare coronâ.

65. *Aſſiduè textrix.*] Neminem latet cantum eſſe ſolatium laboris: at textrices Minervam præcipuè canebant, ut præſidem fuſi, & radii. Junonem porrò fuſos inter & penſa fuiſſe etiam a fœminis cantatam teſtatur Euripides in Iphigeniâ Tauricâ Verſ. 22.

66. *Tela ſonant.*] Inſtrumenta, quibus tela texitur, *tela* etiam appellantur, ut ex Lucretio & Valerio patet legentibus. Innuit autem Poëta textricis geſtum; appulſo enim pectine vi brachiorum latus conſtrepit cum *tela* & jugo.

68. *Inter equas.*] Libidine ferveſcentes, cujus furore præ cæteris animantibus equæ corripiuntur.

Unde Virgilius.

Scilicet ante omnes furor eſt inſignis equarum.

73. *Juveni detraxit opes.*] Prodigere, effundere, diſſipare adegit.

77. *Iter prætentat.*] Nocturnum egreſ-

Ah miſeri, quos hic graviter Deus urget! at ille
Felix, cui placidus leniter afflat Amor.
Sancte veni dapibus feſtis, ſed pone ſagittas,
Et procul ardentes hinc procul abde faces.
Vos celebrem cantate Deum, pecorique vocate
Voce, palam pecori, clam ſibi quiſque vocet:
Aut etiam ſibi quiſque palam; nam turba jocoſa
Obſtrepit, & Phrygio tibia curva ſono.
Ludite: jam nox jungit equos, currumque ſequuntur
Matris laſcivo Sydera fulva choro.

INTERPRETATIO.

O infelices, quos iſte Deus acriter pungit! Contra *verò beatus* is eſt, *cui mitis Cupido placidè aſpirat.* O Deus *venerande, accede ad ſolemnes epulas. At tela abjice, & longè inde amove flagrantes tædas. Vos celebrate præclarum Deum, & verbis ipſum gregibus invocato. Apertè gregibus, tacitè ſibi unusquiſque* eum *imploret. Vel etiam* eum *unuſquiſque ſibi apertè imploret. Etenim multitudo hilaris, & inflexa fiſtula ſonitu Phrygio obmurmurat. Jocamini, nunc modò nox equos adjungit, & aſtra rutila cœtu feſtivo proſequuntur chodam parentis. De-*

ANNOTATIONES.

ſum puellæ incedentis ad amatorem elegantiſſime deſcribit.

Suſpenſa timore.] Ne ſe exeuntem cuſtodes audiant.

81. *Sed pone ſagittas*, &c.] Poëtæ fingunt Cupidinem Amoris Deum geſtare arma duplicis generis amori excitando idonea, ſagittas ſcilicet & faces. Ovidius.

Altera tela arcus, altera tela faces.

85. *Clam ſibi quiſque vocet.*] Mos fuit Antiquis, ut nonniſi taciti vota conciperent. Hoc verò ſubjicit Tibullus, ut Amori palam nuncupandi vota fiduciam addat, cùm nullum ſit periculum, ne ſciantur, aut ne quis rivalis invidere poſſit, licèt apertâ voce, liberè, & palam enuntientur; nam tibiæ Phrygiæ ſonitus, & chori jocoſi. cantantis, ac ſaltantis ſtrepitus, & ruſticorum diſſonus, ac incompoſitus clamor ita penitùs exſurdat aures, ut neque in curioſorum hominum ſenſus precum, ac votorum arcana penetrare poſſint.

87. *Phrygio tibia curva ſono.*] A Myda Phrygiæ rege *tibiam* fuiſſe inventam Plinius refert. *Phrygia* etiam *tibia* dicebatur ea, quæ certos modos referret, ad quos ſaltarent. Tres enim *tibiarum* modi fuiſſe dicuntur, Ionicus, Lydius, Barbatus. *Tibiarum* frequens uſus in Cybeles ſacris, Horatius.

Cur Berecynthiæ ceſſant flamina tibiæ.

87. *Nox jungit equos.*] *Equos* & currum *nocti* Poëtæ adſcribunt: ſed aliquando bigæ, aliquando quadrigæ huic tribuuntur. *Noctem* verò Syderum matrem fecerunt, quòd, cum Aſtra nonniſi per *noctem* lucere videantur, ea quaſi parere, & gignere *nox* poſſit dici. Præterea cùm *noctem* Cœlum genuiſſe fabulati ſint Veteres cum Heſiodo in Theogonia, crediderunt etiam Syderum & aſtrorum eam eſſe matrem, quæ Cœli eſt.

88. *Laſcivo choro.*] Hoc eſt, *feſtivo, læto, ſcintillanti. Laſciviam* Syderibus tribuit eâdem ratione Tibullus, quâ *laſciviam piſcium* dixit Pacuvius apud Ciceronem lib. 1. de Divinatione, juxta illud Livii Andronici.

Tum autem laſcivum Nerei ſimum pecus.

Poſtque venit tacitus fulvis circumdatus alis
Somnus, & incerto ſomnia nigra pede.

INTERPRETATIO.

inde ſubſequitur ſilens ſomnus pennis aureis cinctus, & aſtra inſomnia vagis greſſibus,

ANNOTATIO.

89. *Fulvis circumdatus alis,*] Somnum Deum eſſe exiſtimarunt Veteres filium noctis, & mortis fratrem, cui virgam tribuit Statius. cornu Silius. Sic eum deſcribit Philoſtratus: *Facie*, inquit, *reſoluta eſſe videbatur, candidam veſtem habebat ſupra nigram, quaſi diem, & noctem indicaret; cornu in manu tenere videbatur*: cùm nempè vera ſomnia immittit, cùm vana denuntiat, ebur, & elephantis dentem: unde geminæ ſomni portæ finguntur. Somno Orpheus fuſcas alas tribuit. Hic etiam plerique legunt, *fuſcis*, loco *fulvis*, quod non diſplicet.

Ovid. in Metamorph.

In medio thorus eſt ebeno ſublimis in antro
Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus,
Quo cubat ipſe Deus, membris languore ſolutis.
Hunc circum paſſim varias imitantia formas
Somnia vana jacent. ——

ELEGIA II.

DICAMUS bona verba: venit natalis ad aras;
Quiſquis ades, linguâ, vir, mulierque, fave.

INTERPRETATIO.

PROFERAMUS *verba fauſta: natalis ad altaria advenit, O quicumque ades, & mas, & fœmina, ore faveo, aris incendantur thura ſacra, ado-*

ANNOTATIONES.

1. *Dicamus bona verba,*] Hoc Carmine Tibullus celebrat natalem diem Cerinthi, ut videtur, amici ſui. At Poetæ ſolent ita conjungere, *bona verba dicere, & linguis favere*, ut idem prorſus eſſe appareat,

Ovid. lib. 1. Faſtor.

Proſpera lux oritur, linguis animiſque favete,
Nunc dicenda bonâ ſunt bona verba die.

Et lib. 5. Triſtium.

Concipiamque bonas ore favente preces,

Quid ſit *favere linguis* non omninò convenit inter omnes. Sunt qui exiſtiment ſilentium imperari, in quibus Senecam initio ſuperioris Elegiæ laudavimus. Alii putant hujuſmodi voce, *favete linguis*, admoneri populum, ut eum ſilentio attenderet, vel bona & faventia verba diceret, & à profanis, ac malè ominatis abſtineret. Feſtus putat *favere eſſe bona verba fari*; quod & hic ſignificat noſter Tibullus ſicut & Ovidius pluribus in locis.

Venit natalis.] Cultus ſcilicet, & honor pro *natali* die Diis exhibendus.

Urantur pia thura focis, urantur odores,
Quos tener è terra divite mittit Arabs.
Ipſe ſuos Genius adſit viſurus honores,
Cui decorent ſanctas mollia ſerta comas.
Illius puro diſtillent tempora nardo:
Atque ſatur libo ſit, madeatque mero.
Annuat & Cerinthe tibi quodcumque rogabis.
En age, quid ceſſas? Annuit ille, roga.
Auguror, uxoris fidos optabis amores:
Jam reor hoc ipſos edidiciſſe Deos.
Nec tibi malueris totum quæcumque per orbem
Fortis arat valido ruſticus arva bove.
Nec tibi gemmarum quicquid felicibus undis
Naſcitur, Eoi quâ maris unda rubet.

INTERPRETATIO.

[A]cendantur aromata, quæ molles Arabes ad nos *mittunt ex beatis ſuis regionibus. Adſiſtat Ipſe Genius ſpectaturus cultum, ſuum cui tenera corona exornent ſacros crines. Ejus caput diffluat mero nardo. & ipſo libamine ſatietur, & vino perfundatur, & concedat tibi, ô Cerinthe, quidquid ab ipſo precaberis. En agedum, quid moraris? Ipſe te exaudit, ora. Vaticinor, rogabis caſtos tuæ conjugis amores. Jam puto Divos ipſos id cognoviſſe. Neque tibi praoptaveris agros omnes, quos duri agricolæ robuſtis bobus exercent per univerſum mundum; neque tibi prælegeris quodcumque gemmarum oritur beato æquore, ubi ru-*

ANNOTATIONES.

4. *Quos tener mittit Arabs.*] *Arabes* populi ſunt Aſiæ inter mare Rubrum, ſeu ſinum Arabicum, ſinum Perſicum, & Syriam ad Oceanum poſiti. Illa pars Arabiæ quæ Felix dicitur omnibus precioſiſſimis abundat aromatibus, ejuſque incolæ mollitie ſunt notati: unde eos Tibullus dicit teneros, cui concinit Virgilius.

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.

5. *Adſit viſurus honores.*] Paſſim Deos orabant, ut adeſſent ſuoſque *honores* ſpectarent, ſed Genium præſertim die natali colebant, ipſique ſacra faciebant.

7. *Diſtillent tempora nardo.*] *Nardus* unguenti genus eſt pretioſiſſimi ex frutice ſuaviſſimo, ait Plinius. Purus ille *nardus*, qui non eſt adulteratus, quem novem aliæ herbarum ſpecies dicuntur imitari; tanta materia adulterandi eſt.

9. *Annuat.*] Putabant Antiqui quidquid rogaſſent Genium die natali conceſſurum.

11. *Auguror.*] Interdum *augurari* ſe dicebant eventura, & exitum habitura, quæ precabantur.

Ovid. lib. 1. de Arte amandi.

Auguror, en vinces, votivaque carmina reddam.

16. *Eoi qua maris unda rubet.*] Oceanus quâ parte vergit ad Orientem, Indiaſque alluit, dicitur *Eous*, Orientalis & Indicus: quâ parte vergit ad Meridiem, dicitur mare Æthiopicum, & Rubrum: illicque gemmarum, & lapidum pretioſorum inveniri copia traditur.

Vota cadunt: utinam ſtrepitantibus advolet alis,
Flavaque conjugio vincula portet Amor.
Vincula quæ maneant ſemper, dum tarda ſenectus
Inducat rugas, inficiatque comas.
Huc veniat natalis avis, prolemque miniſtret:
Ludat & ante tuos turba novella pedes.

INTERPRETATIO.

beſcit aqua Pelagi Orientalis. Sed *optata irrita ſunt. Etiam Cupido* ipſe *huc advolet pennis ſtridentibus, & afferat nuptiis lutea vincula; vincula, quæ perpetuò durent, donec ſenectus gravis rugas accerſat, &* veſtros *capillos tingat. Huc adſit ales natalis, & liberos præbeat, & tenera turba luſitet ad pedes tuos.*

ANNOTATIONES.

17. *Vota cadunt.*] Fruſtranea, & irrita ſunt.
Propert. lib. 1. Eleg. 17.
—— *Ingratæ littore vota cadunt.*
Horat. dixit.
—— —— *Verba cadentia.*
Ovid. in Ibin.
Et pars ſit voti nulla caduca mei.

18. *Flavaque conjugio vincula.*] Sacrum illud Veneris cingulum intelligit, quod Græci ceſton appellant, quo quidem putabant conjuges devinctos in perpetua permanere concordia.
Unde Martialis.
Sume Cytheriaco medicatum nectare ceſton,
Uſſit amatorem balteus iſte Jovem.
Ad turpes autem nuptias Venerem non credebant venire cum illo cingulo: unde *inceſtæ* dicebantur: quòd ſacro Veneris cingulo non eſſent vinctæ. *Flava* verò dicit illa vincula, quòd *flavus* color eſſet nuptiis auſpicatus & conſecratus.

21. *Natalis avis.*] *Avem* illam ſentiunt eſſe cornicem, quam concordiæ ſymbolum Veteres in nuptiis invocabant. *Natalem* dixit à Junone, quæ *Natalis* Dea eſt, & nuptialis, cujus in tutela eſt cornix.
Ipſe Tibullus.
Natalis Juno ſanctos cape thuris acervos.
Alii putant invocari Junonem ipſam, ita ut ſenſus ſit: huc adſit Juno ipſis tuis avis, ſeu majoribus, tibi, atque uxori tuæ, & filios concedat, qui vos numeroſâ prole faciant avos.

ELEGIA III.

RURA tenent, Cornute, meam villæque puellam;
Ferreus eſt, eheu, quiſquis in urbe manet.
Ipſa Venus lætos jam nunc migravit in agros,
Verbaque aratoris ruſtica diſcit Amor.

INTERPRETATIO

AGRI *& prædia habent amicam meam, ô Cornute, heu! duriſſimus eſt, quicumque in civitate reſidet. Nunc certè Venus ipſa receſſit in rura amœna, & Cupido addiſcit agreſtia agricultoris verba. O quàm alacriter ego*

ANNOTATIO

1. *RUra tenent, &c.*] Cornuto Tibullus ſuum aperit dolorem, quòd ab urbe abſit amica, rurique diutiùs degat vitam.

O ego

O ego, cùm dominam aſpicerem, quàm fortiter illic
  Verſarem valido pingue bidente ſolum.
Agricolæque modo curvum ſectarer aratrum,
  Dum ſubigunt ſteriles arva ſerenda boves.
Nec quererer, quòd ſol graciles exureret artus,
  Læderet & teneras puſtula rupta manus.
Pavit & Admeti tauros formoſus Apollo:
  Nec cithara, intonſæ profueruntve comæ.
Nec potuit curas ſanare ſalubribus herbis;
  Quidquid erat Medicæ vicerat Artis Amor.

INTERPRETATIO.

ipſe fœcundam humum verterem firmo paſtino, ubi amicam meam *ſpectarem, & aratoris more aratrum aduncum urgerem, dum exſecti boves proſcindunt ſeminandos agros. Nec dolerem, quoniam æſtus membra delicata terreret, & papula diſrupta exulceraret molles manus. Pulcher etiam Apollo ſervavit armenta* regis *Admeti, nec lyra, nec incadui crines* ipſi *profecerunt; nec potuit angores ſedare herbis. Cupido quodcumque erat* Scientia *Medicinalis ſuperaverat.*

ANNOTATIONES.

5. O *Ego.*] Ex amoris æſtu coram domina ſua Nemeſi terram cupit aratro vertere.

8. *Steriles boves.*] *Steriles* vocat *boves* exſectos & caſtratos, quippe qui ſunt ad agriculturam accommodatiores, quia proceriores fiunt, & tractabiliores caſtratione, deinde ſeſe non poſſunt Venere enervare.

8. *Arva ſerenda.*] Alii legunt, *arva colenda.*

11. *Pavit & Admeti tauros formoſus Apollo.*] Nonnulli aiunt *Apollinem* à Jove damnatum ad paſcendos *Admeti* Regis Theſſaliæ greges, ob interfectos Cyclopas, qui Jovi fulmina miniſtraverunt ad internecionem Æſculapii. Sed noſter Tibullus Rhiani antiqui Poëtæ Græci, & Callimachi ſententiam ſequitur, qui tradunt *Apollinem Admeto* ſponte ſuâ ſerviiſſe ipſius amore captum. Hac de re etiam lib. 3. Eleg. 4. *Apollinem* ipſum hæc referentem inducit Tibullus.

Me quondam Admeti niveas paviſſe juvencas
Non eſt in vanum fabula ficta jocum.
Tunc ego nec citharâ poteram gaudere ſonorâ,
Nec ſimiles chordis reddere voce ſonos.

Admetus porrò fuit Pherecii filius Theſſaliæ Rex, quem *Apollinem* tantopere adamaſſe tradunt, ut ipſi liberè novem annos in paſcendis armentis ſervierit, ipſique cùm annos fatales expleviſſet, à Parcis obtinuerit, ut ejus morti mora aliqua produceretur, modò quis reperiretur, qui pro eo mori vellet. Sed cum neque ejus pater grandis natu, neque mater ejus ætate confecta, neque ullus amicorum vellet pro eo vitam profundere, ſola ejus uxor Alceſtis reperta eſt, quæ eâ fuit in conjugem caritate & fide, ut ſe ſponte pro eo ad mortem obtulerit. Hæc autem uxor *Admeto* Apollinis beneficio obtigerat.

13. *Curas ſanare ſalubribus herbis.*] Apud Ovidium Medicinæ inventionem ſibi vindicat Apollo,

Inventum Medicina meum eſt. ——

Sed ut idem ait Ovidius alio loco concinens noſtro Tibullo, quem paſſim ubique imitatur.

——— *Nullis amor eſt medicabilis herbis.*

Idem ſentit Propert. lib. 2. Eleg. 4.

Non hic herba valet, non hic nocturna Cytæis,

Tunc fiſcella levi detexta eſt vimine junci,
Raraque per nexus eſt via facta ſero.
O quoties illo vitulum geſtante per agros,
Dicitur occurrens erubuiſſe ſoror!
O quoties auſæ, caneret dum valle ſub altâ,
Rumpere mugitu carmina docta boves!
Sæpè duces trepidis petiere oracula rebus:
Venit & è templis irrita turba domum.
Sæpè horrere ſacros doluit Latona capillos,
Quos admirata eſt ipſa noverca prius.
Quiſquis inornatumque caput, crineſque ſolutos
Aſpiceret, Phœbi quæreret ille comam.
Delos ubi nunc, Phœbe, tua eſt? ubi Delphica Pytho?
Nempè Amor in parva te jubet eſſe caſa.

INTERPRETATIO.

Tunc quaſilli è mollibus ſcirpi virgultis confecti ſunt, & rari meatus facti ſunt ſero per vincturas. O quàm ſæpè ſoror ejus ipſi per campos obvia pudore ſuffuſa traditur, ipſo portante vitulum! Quàm frequenter boves auſæ ſunt ſuo boatu interturbare eruditos cantus, cum in profunda valle cantaret! Frequenter Principes quæſierunt reſponſa incertis rebus, & vana multitudo è Fanis in ædes redit. Frequenter Latona ægrè tulit divinas filii comas ſqualere, quas anteà demirata eſt ipſa noverca. Quicumque intueretur caput incultum, & capillos fluxos, iſte Apollinis deſideraret capillos. O Apollo, ubi jam eſt tua Delos? Ubinam eſt Pytho Delphica? Scilicet Cupido te cogit verſari in tenui tugurio.

ANNOTATIONES.

Non per Medeæ gramina cocta manus.

Curas porrò vocat Tibullus amores ſollicitos, qui medelas omnes vicerant:

Nec proderant domino, quæ proſunt omnibus artes.

15. *Fiſcella.* Vas eſt vimineum, aut junceum à *fiſcina* diminutivum, ad varios uſus, ut fructus recentes ferendos, ad tranſmittendum ſerum, dum lac exprimitur, ad capiſtranda boum, aut jumentorum ora, ne tenera germina præcerpant. Dicitur *fiſcella*, *fiſcellum*, & *fiſcellus*.

16. *Raraque per nexus.*] Hoc fit, ut lac purificatum defluat. *Serum* eſt lactis aqua, dum id premitur in caſeum. Iiſdem ferè verbis cum Tibullo Ovidius 4. lib. Faſtorum.

Denique viam liquido vimina rara ſero.

17. *Illo vitulum geſtante.*] De portandis fœtis ovibus, agniſque recenter editis luculenter Calphurnius Eclog. 1.

Si qua jacebit ovis partu reſoluta recenti,
Hanc humeris portare tuis, nateſque tepenti
Ferre ſinu tremulos, & nondum ſtare paratos.

18. *Soror.*] Diana nempè, quæ ex Latona cum Apolline nata eſt.

21. *Petiere Oracula* Oraculum Apollinis cùm Admeto ſerviret plures conſulebant, qui nullum reſponſum referebant, quòd nimirùm aliis rebus eſſet occupatus, nec conſulentibus poſſet vacare, & Amoribus operam dare.

24. *Ipſa noverca.*] Juno nempè Jovis uxor. Mirè pulchros fuiſſe probat capillos, quos Dea etiam inimica fuerat admirata. Fuit autem Apollo filius Jovis ex Latona: unde *noverca* dicitur Apollinis.

27. *Delos ubi nunc Phœbe.*] *Delos* eſt Inſula in mari Ægæo, una ex Cy-

Felices olim, Veneri cum fertur apertè
    Servire æternos non puduiſſe Deos.
Fabula nunc ille eſt : ſed cui ſua cura puella eſt,
    Fabula ſit, mavult, quàm ſine amore Deus.
At tibi dura ſeges, Nemeſin quæ abducis ab urbe,
    Perſolvat nulla ſemina terra fide.
Et tu, Bacche tener, jucundæ conſitor uvæ,
    Tu quoque devotos, Bacche, relinque lacus.
Haud impunè licet formoſas triſtibus agris
    Abdere : non tanti ſunt tua muſta, Pater.
O valeant fruges ! ne ſint modò rure puellæ,
    Glans alat, & priſco more bibantur aquæ.
Glans aluit Veteres, & paſſim ſemper amarunt :
    Quid nocuit, ſulcos non habuiſſe ſatos?

INTERPRETATIO.

O beatos aliàs ! cum aiunt Cœlites immortales non erubuiſſe palàm Veneri famulari. Is Deus *jam ludibrium eſt, attamen cui ſtudio amica ſua eſt, mavult, ut ſit* jocus *& fabula, quàm Deus abſque amore. Tibi verò, ô meſſis aſpera, quæ Nemeſin à civitate removes, humus nulla fide reddat ſemina. Tuque, ô mollis Bacche, dulcium racemorum ſator, tu etiam, ô Bacche dedicatos lacus deſere. Nefas eſt impunè pulchras* puellas *abſcendere in agris inamœnis. O pater* Bacche, *non tanti ſunt vina tua. O ſegetes pereant! dummodo puellæ non remaneant in agris. Glans*, ut olim *nutriat* homines, *& veteri ritu pura petetur aqua. Glans nutrivit Antiquos, & ubique perpetuò amaverunt. Quid illis fuit incommodi nondum poſſediſſe agros, conſitos? Tunc Venus benigna pa.*

ANNOTATIONES.

cladibus, in qua Latona dicitur Apollinem, & Dianam uno partu edidiſſe.

Ubi Delphica Pytho.] Omnes propemodum Autores, maximè verò Poëtarum Interpretes *Pythonem* urbem eandem cum Delphis faciunt; urbs tamen eſt Phocidis Parnaſſo monti adjacens, Delphis vicina, quæ Apollini ſacra fuiſſe memoratur, quòd ibi *Pythonem* ſerpentem interemerit. Vide Homerum Iliad. B. & Euſtath. ibidem.

31. *Fabula nunc ille eſt.*] In omnium ore ac ſermonibus verſatur.

Horat. Epod. Od. 11.

Heu me per urbem! nam pudet tanti mali.
Fabula quanta fui. ———

Hujus porrò loci ſenſus eſt : Non homines modò quondam, ſed ipſi quoque Dii aperte Veneri ſerviebant, nec cuiquam amare pudor erat, nunc qui colit Amorem, vulgi *fabula* eſt. At quem puellæ ſuæ amor ad oſſa tetigit, mavult amare, & à vulgo contemni, quàm ſine amore Deus eſſe.

33. *Nemeſin quæ abducis*] *Nemeſis* nomen eſt amicæ, cujus abſentiam ab urbe dolet Poëta omnium elegantiſſimus.

36. *Devotos, Bacche, relinque lacus.*] *Conſecratos dedicatos : lacus* hoc in loco eſt vas aliquod amplum, in quod influit muſtum expreſſum, dum defluit è torculari.

41. *Paſſim ſemper amarunt.*] Promiſcuè, ac ſine invidia, & ubique, ſine ullo diſcrimine. Significat Tibullus Antiquos illos ætati Saturniæ ſuppares gaudia inter ſe communia, & amores ſine rivalitate, aut æmulatione exercuiſſe.

Tum quibus aſpirabat amor, præbebat apertè
Mitis in umbroſâ gaudia valle Venus.
Nullus erat cuſtos, nulla excluſura volentes
Janua: ſi fas eſt, mos, precor, ille redi.
Ducite: ad imperium dominæ ſulcabimus agros:
Non ego me vinclis verberibuſque nego.

Interpretatio.

lam miniſtrabat in opaca valle delicias iis, quibus favebat Amor. Nullus erat excubitor, nulla fores prohibitura erant cupientes intrare. *Ah! ſi liceat, reverteſe, quaſo, iſta conſuetudo. Abducite me, ad juſſa domina proſcindemus terram: non ego me ſubtraho compedibus & flagris.*

Annotatio.

47. *Ad imperium domina.*] Aliàs ſervi in compedibus ruſticum opus faciebant; unde illa apud Plinium querela de imminuta agriculturæ dignitate lib. 18. cap 3. *At nunc*, inquit, *eadem illa vincti pedes, damnata manus, inſcripti vultus exercent.* At primis temporibus Reipublicæ Romanæ ipſorum manibus Imperatorum colebantur agri, gaudente terrâ, vomere laureato; & triumphali aratore. Per *vincla* igitur intelligit compedes, quas non detrectat, modò ad amicam ipſi pateat acceſſus; quod ipſum jam ſuprà ſignificavit lib. 1.

——— *Non ſæva recuſo*
Verbera, detrecto non ego vincla pedum.

ELEGIA IV.

HIC mihi ſervitium video, dominamque paratam:
Jam mihi libertas illa paterna vale.
Servitium ſed triſte datur, teneorque catenis,
Et nunquam miſero vincla remittet Amor.

Interpretatio.

NUNC *ſentio mihi ſervitutem, atque heram comparatam eſſe: vale nunc mihi, ô libertas iſta patria. At dura ſervitus imponitur, conſtringor vinculis, & Cupido nunquam infelici relaxat catenas: & me excruciat,*

Annotationes.

1. *HIc mihi ſervitium.*] Alii cum vetuſtioribus codicibus legunt, *Sic.* Hoc autem Carmine Poeta conqueritur de Nemeſi ſuâ amicâ, vehementerque dolet, quòd ipſa pecuniarum pretio devicta, aliis amatoribus ſuccubuerit, quodque ipſam ſibi reconciliare non liceat, niſi datis muneribus illos amatores ſuperarit.

2. *Libertas paterna.*] Aut quam accepit a patre, aut antiqua & priſtina illa, quâ nulli unquam ſerviebat, quaſi nequeat ab imperio, & ſervitio ſeſe aſpernantis amicæ liberari.

3. *Teneorque catenis.*] Cupit ab amore Nemeſis ſolvi, ſed ita irretitum ſe dolet, ut id fieri non poſſit.

Et, ſeu quid merui, ſeu quid peccavimus, urit.
    Uror: io remove, ſæva puella, faces.
O ego! ne poſſim tales ſentire dolores,
    Quàm mallem in gelidis montibus eſſe lapis,
Stare vel inſanis cautes obnoxia ventis,
    Naufraga quam vaſti tunderet unda maris.
Nunc & amara dies, & noctis amarior umbra eſt·
    Omnia nam triſti tempora felle madent.
Nec proſunt Elegi, nec Carminis autor Apollo.
    Illa cavâ pretium flagitat uſque manu.
Ite procul Muſæ, ſi non prodeſtis amanti.
    Non ego vos, ut ſint bella canenda, colo.

INTERPRETATIO.

ſive aliquid commerui, ſive aliquid deliquimus; exuror. Heu puella dura! ardentes procul *amovo tædas tuas.* O *quàm ego optarem fieri cautes in montibus algidis, aut rupes barero ventis furentibus expoſita, quam illiderent procelloſi fluctus immenſi pelagi. Jam* mihi *& lux gravis eſt, & noctis umbra gravior. Etenim tempus omne mihi affluit atrâ amaritudine: nec* me *juvant Elegia, nec Apollo ipſe cantuum præſes.* Nam *iſta* amica *ſemper poſtulat mercedem concavâ volâ. Longè* a me *diſcedito, ô Pierides, ſi non juvatis amatorem. Ego vos non celebro, ut prælia ſint cantanda: neque deſcribo ſolis iter,*

ANNOTATIONES.

5. *Et ſeu quid merui.*] Hoc verbum *merui*, tarò uſurpatur à Tibullo, ut hic & lib. 1. Eleg. 5.

Non ego. ſi merui, dubitem procumbere templis.

Significat enim, *ſi deliqui*, vel, ut Antiquiores loquebantur, *ſi commerui culpam*, vel *noxam*. quod etiam demonſtrat quæ ſequuntur, *ſeu quid peccavimus.*

6. *Io remove.*] *Io* aliquando dolendi particula eſt, ut hic & apud Ovid

Illa quidem clamabat io charisſima mater,
Auferor.

Interdum exprimit lætitiæ geſtientis affectum.

Ovid. lib. 2. de Arte amandi.

Dicite io Pæan; & io bis dicite Pæan.

Faces. Perpetuò, paſſim, & ubique queruntur amantes ardere ſeſe, & amoris ignibus, & amicæ flammis devorari.

8. *Gelidis montibus*] Excelſi montes aut ventis & fulmine ſemper afflantur, aut gelu rigeſcunt, & nivibus.

11. *Noctis amarior umbra.*] *Noctis umbra* dicitur, pro, *nox umbroſa*, ut Juvenal. dixit;

——— *Criſpini jucunda ſenectus.*

12. *Tempora ſelle madent.*] *Madere* ſignificat hic, *plenum eſſe*, tranſlatione ſumptá ab ebriis & ſaburratis probè, & iis qui ſuum abdomen vino compleruni, madefeceruntque. Unde apud Plautum *madidi* dicuntur *ebrii*. Significat Poëta ſe vehementer angi amore ſuo. Plautus in Ciſtell. *Nanque Ecaſtor Amor, & melle, & felle fœcundiſſimus dulcem guſtum dat aliquando, ſed amarum ad ſatietatem uſque congerit.*

13. *Carminis autor Apollo.*] Quippe qui Poëtis præeſt, utpote Cantus, Muſicæ & Carminis inventor.

14. *Cavâ precium flagitat uſque manu*] *Concavá volá.*

Propert. lib.

Nunc furtiva cavis poma dabam manibus.

Cavâ manu Veteres pecuniam flagitare ſolitos ſignificat Suetonius in Veſ.

Nec refero Soliſque vias, & qualis ubi orbem
Complevit, verſis Luna recurrit equis.
Ad dominam faciles aditus per carmina quæro.
Ite procul Muſæ, ſi nihil iſta valent.
At mihi per cædem & facinus ſunt dona paranda,
Ne jaceam clauſam flebilis ante domum.
Aut rapiam ſuſpenſa focis inſignia ſacris.
Sed Venus ante alios eſt violanda mihi.
Illa malum facinus ſuadet, dominamque rapacem
Dat mihi: ſacrilegas ſentiat illa manus.
O pereat quicumque legit viridesque ſmaragdos,
Et niveam Tyrio murice tingit ovem.
Hic dat avaritiæ cauſas, & Coa puellis
Veſtis, & è Rubro lucida concha mari.

INTERPRETATIO.

& cujuſmodi Luna, quando curſum confecit, converſis equis regreditur. Appete per verſus acceſſum commodum ad heram. Longè diſcedite, ô Camœna, ſi nihil verſus poſſunt. Atqui mihi munera quærenda ſunt per cædes, & flagitia, ne miſerabilis jaceam ante ædes puellæ obſeratas. Aut potiùs *abripiam ſigna ſancta* Deorum *aris appenſa: at Venus præ reliquis* omnibus *mihi venis lædenda. Ipſa me impellit ad improbum flagitium, & præbet mihi amicam avaram. Ipſa experiatur impias manus.* O utinam malè *pereat quiſquis colligit virides ſmaragdos, & inficit albas oves Tyrio oſtro. Ille puellis ſuppeditat occaſionem cupiditatis, atque etiam Coa indumenta, & uniones nitidi ex Erythræo pelago. Iſta*

ANNOTATIONES.

paſian. *Nuntiantes legatos decretam ei publicè non mediocri ſumma ſtatuam Coloſſeam, juſſit ut continuò ponerent cavam manum oſtentans, & paratam baſin dicens.*

17. *Nec refero ſoliſque vias.*] Non res Aſtronomicas ſcribo, nec Solis aut Lunæ curſus, aut meatus aſtrorum varios expono, neque bella canenda ſuſcipio, ſed tantùm ad dominam aditum facilem Carminum beneficio parare ſtudeo.

22. *Clauſam flebilis ante domum.*] Hoc nihil durius in amore exiſtimant amantes.

Propert. lib. 1. Eleg. 5.

Tum grave ſervitium noſtræ cogère puellæ
Diſcere, & excluſum quid ſit abire domum.

23. *Suſpenſa focis inſignia.*] Munera Diis oblata, vel arma ad aras depoſita, aut alia ſigna Deorum altaribus ex voto appenſa. aut templis affixa.

27. *Virideſque ſmaragdos.*] *Smaragdus* gemma viridis eſt, & perlucida, cui inter gemmas tertius honos tribuitur; nullius coloris aſpectus jucundior eſt, quàm *ſmaragdi.*

28. *Tyrio Murice.*] Apud *Tyrum* Phœniciæ urbem, Sarram olim etiam dictam, optima purpura tingebatur: unde oſtrum *Tyrium*, & Sarranum.

29. *Coa puellis veſtis.*] *Coa veſtes* dicuntur ab Inſulâ *Coâ*, in qua bombyces mirabili fœtu telam texunt, ex qua fiunt veſtes adeo leves, ac tenues, ut nullum corpori, nec pudori præſidium afferant, ſed luxui tantùm ac fœminarum deliciis inſerviunt. *Coæ veſtis* inventrix traditur Pamphila Latoi filia.

30. *E Rubro lucida concha mari.*] Hoc loco Tibullus non intelligit illum

Hæc fecere malas: hinc clavim janua ſenſit,
Et cœpit cuſtos liminis eſſe canis.
Sed precium ſi grande feras, cuſtodia victa eſt:
Nec prohibent claves, & canis ipſe tacet.
Heu quicumque dedit formam cœleſtis avaræ,
Quale bonum multis attulit ipſe malis?
Hinc fletus rixæque ſonant: hæc denique cauſa
Fecit, ut infamis hic Deus eſſet Amor.
At tibi, quæ precio victos excludis amantes,
Eripiant partas ventus & ignis opes.
Quin tua tunc juvenes ſpectent incendia læti,
Nec quiſquam flammæ ſedulus addat aquam.
Seu veniat tibi mors, nec erit qui lugeat ullus,
Nec qui det mœſtas munus in exequias.

INTERPRETATIO.

omnia improbas puellas *reddiderunt. Inde fores* ſeram, & *clavim experta ſunt, & incœpit canis eſſe januarum cuſtos. At ſi afferas ingens munus expugnatæ ſunt excubiæ, nec te coërcent, & ipſe canis obmuteſcit. Heu! quiſquis Diva pulchritudinem conceſſit puellæ rapaci, cujuſmodi commodum is plurimis incommodis adjunxit? Inde lacrymæ, & jurgia ſtrepunt. Illa demum ratio effecit, ut iſte Deus Cupido eſſet probroſus. Tibi verò quæ expellis amatores ſuperatos mercede, ventus & flamma auferant divitias* tam malâ arte *quæſitas. Inſuper juvenes gaudentes tum conſpiciant incendium tuum; nec ullus aquam promptus igni injiciat. Sive tibi lethum accidat, nullus erit, qui defleat te, neque qui donum offerat in* tuas *triſtes inferias. Sed benigna* puella,

ANNOTATIONES.

matis ſinum, qui inter Africam & Arabiam longo tractu in terras excurrit, vulgò dictus ſinus Arabicus, & in ſacris Literis *Mare Rubrum*: nulli enim ibi legi traduntur lapides pretioſi. Sed intelligit mare Indicum ſeu totam illam Oceani vaſtitatem, quæ ab extremis Indiarum finibus ad Æthiopiam uſque protenditur. quod mare dicitur, Oceanus Orientalis ſeu Erythræum, & *Rubrum*. Audiatur ipſe Poëta mentem ſuam explicans lib. 4. Eleg. 2.

Et quaſcumque niger Rubro de littore conchas
Proximus Eois colligit Indus aquis.

33. *Sed pretium ſi grande feras*, &c.] Idem ferè ex quodam Epigrammate Græco Antipatri Theſſalonicenſis hoc diſtichon exprimit egregiè.

Nam pretium ſi grande feras, nec janitor ullus,
Nec vinctus rigidas ſtat canis ante fores.

39. *Precio victos.*] Qui nequeunt tantum pretium ſeu lucrum, quantum petitur, amicæ exhibere, victi pretio dicuntur.

42. *Addat aquam.*] Hoc eſt, *aquam* diligenter ingerat ad reſtinguendum ignem, & incendium.

44. *Munus in exequias.*] Dum mortuorum corpora cremabantur, ſolebant in rogum conjici ea omnia non animata ſolùm, ſed & inanima, quæ defunctis cariſſima fuerant. Cicero refert in India etiam mulieres lætas in mariti demortui rogum inſilire. Apud Romanos verò potiſſimùm odores, flores, thus, dapes, oleum, veſtimenta, & alia conjiciebantur in cremandorum cadaverum rogum, atque hæc peculiari nomine *munera* fuerunt appellata: quæ

At bona, quæ nec avara fuit, centum licet annos
  Vixerit, ardentem flebitur ante rogum.
Atque aliquis ſenior veteres veneratus amores,
  Annua conſtructo ſerta dabit tumulo.
Et bene diſcedens dicet, placideque quieſcas,
  Terraque ſecuræ ſit ſuper oſſa levis.

INTERPRETATIO.

qua nec avida fuit & rapax, *etſi centum annos exegerit, plorabitur ad rogum inflammatum. Et aliquis vetulus antiquas* ſuas *delicias reveritus, annales corollas imponet exſtructo tumulo. Et abiens inquiet, benè & tranquille jaceas:* O amica, *& tellus ſuper cineres* tuos *levis ſit* tibi *quieta. Eqaidem*

ANNOTATIONES.

& eodem modo Græcis dicta ſunt *θύη*. De odoribus ipſe poſteà Tibullus.

Nec ſoror Aſſyrios cineri qua dedat odores.

De reliquis omnibus Virgil. lib. 6. Æneid. in funere Miſeni.

Purpareaſque ſuper veſtes velamina nota
Conjiciant: pars ingenti ſubiere feretro
Triſte miniſterium, & ſubjectam more parentum
Averſi tenuere facem. Congeſta cremantur
Tharea dona, dapes, fuſo cratores olivo.

Suetonius in Cæſare cap. 83. *præfo-reatibus manera preceptum eſt, ut omiſſo ordine*, &c.

45. *Serta dabit tumulo.*] Sepulchra ſicut & buſta quondam *ſertis* ornabantur ex vario florum genere confectis. *Jam tunc*, ait Plinius, *corona Deorum honos erant, & Larium publicorum, privatorumque, ac ſepulchrorum, & Manium.* Ea porrò *ſerta* vocat *annua*, quia ſingulis annis Veteres diem exequiarum parentum, vel amicorum anniverſariâ ſolemnitate celebrabant. Virgil. lib. 5. Æneid.

Annuus exactis completur menſibus orbis.
Ex quo relliquias, divinique oſſa parentis
Condidimus terrâ mæſtaſque ſacravimus aras.
Jamque dies, niſi fallor, adeſt, quem ſemper acerbum.
Semper honoratam, ſic Dii voluiſtis habebo.
Hunc ego Gætulis agerem ſi ſyrtibus exul,
Argolicove mari depreaſus & urbe Mycena,
Annua vota tamen ſolemneſque ordine pompas
Exſequeror, ſtruerem que ſuis altaria donis.

49. *Et benè diſcedens dicet, placideque quieſcas.*] Precabantur Veteres ut defuncti placidè quieſcerent, & ut eorum membra molliter jacerent. Cornel. Tacitus in vita Julii Agricolæ. *Si quis piorum Manibus locus, ſi, ut ſapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnæ animæ, placidè quieſcas.* Ita etiam Tibullus Elegiâ ultimâ hujus libri.

Sic bene ſub tenerâ parva quieſcat humo.

Pacem etiam mortuis precabantur eodem ferè ſenſu. Valentinianus novella de ſepulchris *Pax ſepultis.* Valerius Probus has notas ſeu caracteres H. R. I. P. interpretatur, *Hic requieſcat in pace.*

50. *Terraque ſecura ſit ſuper oſſa levis.*] Humatis cadaveribus, vel reliquiis amicorum conditis terram levem & mitem adprecabantur, quo nihil frequentius in Veterum ſcriptis, & monumentis. *Sit tibi terra levis*, quæ plerumque litteris hiſce initialibus S. T. T. L

Vera

Vera quidem moneo: ſed proſunt quid mihi vera?
Illius eſt nobis lege colendus Amor.
Quinetiam ſedes jubeat ſi vendere avitas:
Ite ſub imperium, ſub titulumque Lares.
Quicquid habet Circe, quidquid Medea veneni;
Quidquid & herbarum Theſſala terra gerit.
Et quod, ubi indomitis gregibus Venus afflat amores;
Hippomanes cupidæ ſtillat ab inguine equæ:

INTERPRETATIO.

certa admoneo; at quid me juvant certa. Amor mihi exercendus eſt ejus arbitrio. Imò verò etiam imperes venumdare paternam domum. O Penates, tranſite ſub jus & ditionem alterius. Imò ſi *Nemeſis me tantum benigno vultu aſpiciat, hauriam* libenter *quodcumque veneni Circe, quodcumque Medea habet, & herbarum quodcumque Theſſala regio producit, & Hippomanes, quod*

ANNOTATIONES.

ſolebat denotari. In antiquo quodam lapide Romano hoc diſtichon legitur:

Opto, ſi qua fides remanet, telluris amica,
Sit tibi perpetuò terra levis tumulo.

Contra verò iis quibus malè vellent, terram gravem imprecabantur.

52. *Illius eſt nobis lege colendus Amor.*] Ejus arbitrio, eâque conditione, ut munera ſcilicet accipiat, ſi ſibi dari velit.

54. *Sub titulumque Lares.*] Ita ut alterius juris eſſe dicamini. Hoc Poëta dicit quaſi domina pretium ædium ſuarum in ornamentis, & veſtibus expendere velit. Nam tunc temporis ſicut noſtrâ ætate mulieres ſumptuoſæ erant. Plautus in Epidico. *Quid iſtuc mirabile eſt, quaſi non fundis exornatæ multæ mulieres incedant per vias?* De dominæ avaritia apud ſe & Muſas ſuas, familiari amantibus querelâ, invidiosè expoſtulat Ovidius ad mentem ferè Tibulli:

Illud & illud habet, nec eâ contenta rapinâ eſt.
Sub titulum noſtros miſit avara Lares.

55. *Circe.*] Filia Solis ex Perſa Nympha, veneficiorum artifex peritiſſima, quæ veneno Rege Sarmatarum conjuge ſublato, regnoque per ſcelus parto, cùm crudeliùs imperaret, ab incolis pulſa, in Italiam profugit, quæ Ulyſſem vi tempeſtatis ad ſe delatum hoſpitio ſuſcepit, ſocioſque ejus, quos in porcos converterat, ipſi reſtituit, cui & Telegonum filium dicitur peperiſſe.

Medea.] Alia etiam venefica peritiſſima, Oëtæ Colchorum Regis filia, quæ Jaſonem Colchos cum reliquis Argonautis profectum ſuſcepit hoſpitio, quamque Jaſon adduxit in Theſſaliam, ubi Æſonem conjugis Jaſonis patrem annis decrepitum in robuſtiorem ætatem retraxit.

56. *Theſſala terra gerit.*] Theſſalia pars Græciæ eſt inter Bœotiam, & Macedoniam ad mare, olim Æmonia dicta, quæ tum gramina, tum ſaxa profert veneficiis aptiſſima: unde & à Poëtis eo nomine paſſim celebratur. Lucanus lib. 6.

Theſſala quinetiam tellus herbaſque nocentes
Rupibus ingenuit, ſenſuraque ſaxa caventes
Arcanum ferale magos, ibi plurima ſurgunt
Vim factura, &c.

58. *Hippomanes cupidæ.*] Quid ſit *Hippomanes* non ſatis convenit. Servius cum noſtro Tibullo ſcribit eſſe virus ex equarum libidine incenſarum inguinibus defluens, quod ſi homini propinetur, protinus agitur in furorem.

Si modò me placido videat Nemeſis mea vultu,
Mille alias herbas miſceat illa: bibam.

INTERPRETATIO.

à vulva equa equientis, quando Venus amorem inſpirat armentis effrænatis, *tametſi mille alia gramina confundat.*

ANNOTATIO.

Theophraſtus verò & Plinius aſſerunt eſſe carunculam in fronte pulli equini, quam edito partu ſtatim devorat fœta mater, quòd ſi quis præripiat pullum ad ubera non admittit. Cum Tibullo ſentit Virgil lib. 3. Georgic.

Hinc demum hippomanes vero quod nomine dicunt
Paſtores, lentum diſtillat ab inguine virus.

Hippomanes porrò dicitur ἀπὸ τῆς ἵππου μανίας, quòd hoc equæ furente libidinis ardore profundant.

ELEGIA V.

PHOEBE, fave, novus ingreditur tua templa Sacerdos:
Huc age cum cithara, carminibuſque veni.
Nunc te vocales impellere pollice chordas,
Nunc precor ad laudes flectere verba mea.
Ipſe triumphali devinctus tempora lauro,
Dum cumulant aras, ad tua ſacra veni.
Sed nitidus, pulcerque veni: nunc indue veſtem
Sepoſitam: longas nunc benè pecte comas.

INTERPRETATIO.

*ADes, ô Apollo, novus Sacerdos ſubit ædem tuam; huc ades, cum teſtudine tua & cantibus. Jam oro te pulſare digitis fides ſonoras, & voces deducere ad præconia mea. Tu ipſe, ô Apollo, coronatus caput laureâ triumphali, accede ad tuos honores, cum altaria tua onerant donis. At verò ades ſplendidus, & formoſus. Jam indue to*gam tuam magnificam diebus feſtis re*ſervatam. Jam eleganter compone prolixam cæſariem* tuam. Et exhibe te ta-

ANNOTATIONES.

1. *PHœbe, fave.*] Apollinis nomen invocat Meſſalinum laudaturus Meſſallæ filium, qui fuerat cooptatus in collegium Quindecimvirorum, ad quos cura librorum Sibyllinorum pertinebat.

Novus Sacerdos.] Meſſalinus Augur vel Poëta: Muſarum nempè, & Apollinis Poëtæ dicuntur Sacerdotes. Horat. lib. 3. Od. 1.

—— *Carmina non priùs*
Audita Muſarum Sacerdos
Virginibus, pueriſque canto.

4. *Flectere verba.*] Orat Phœbum, ut ad laudes ſuas, quas Meſſalino dicet, cantum flectat, ut dignè virum hunc celebret.

7. *Veſtem ſepoſitam.*] Eam nempè ſignificat *veſtem*, quâ Apollinem indui nonniſi diebus feſtis ſomniavit Antiquitas.

Qualem te memorant Saturno rege fugato
Victori laudes concinuiſſe Jovi.
Tu procul eventura vides: tibi deditus augur
Scit benè quid fati provida cantet avis.
Tuque regis ſortes: per te præſentit aruſpex,
Lubrica ſignavit cum Deus exta notis.
Te duce Romanos nunquam fruſtrata Sibylla eſt;
Abdita quæ ſenis fata canit pedibus.

INTERPRETATIO.

Item *qualem referunt te Jovi victori preconia celebraſſe Saturno rege pulſo. Tu futura longè antè proſpicis; auſpex tibi addictus probè novit quid præſagiat ales fati præſcia. Tu etiam diriges Oracula. Auſpex per te vaticinatur, quando Deus* hoſtiarum *viſcera ſignis notavit. Te auctore Sibylla, quæ ſenis pedibus deſcribit occulta fata, nunquam Romanos fefellit. O Apollo, permitte*

ANNOTATIONES.

9. *Qualem te memorant Saturno rege, &c.*] *Saturnum* Deorum antiquiſſimum fabulantur, qui ex oraculo edoctus fore, ut a filiis regno pelleretur, cùm ob hoc Jovi inſidias ſtrueret, ab ipſo regno pulſus in Italiam profugit, ubi diu apud Janum regem latitavit. Dicitur autem Apollo Jovi patri laudes celebraſſe de triumpho, quem aſſecutus eſt de *Saturni* fugâ; tuncque Phœbum tantæ elegantiæ fuiſſe referunt, ut Deos omnes in ſe converterit.

11. *Debitus Augur.*] Alii legunt, *deditus.* Apud Horat. *Augur* Apollo dicitur.

12. *Provida cantet avis.*] Augurium ab avium garritu, & guſtu dictum eſt.

13. *Tuque regis ſortes.*] Quatuor maximè refert Macrobius Apollinis poteſtates. Eſt enim Carminis, & Muſices auctor, ut ſuprà:

—— *Nec carminis auctor Apollo.*

Sagittandi peritiam habuit ſummam; divinam Medicinæ Artem percalluit, quam & dicitur inveniſſe; ſed imprimis Oraculis & ſortibus præfuit, ut vaticinii præſes: unde *fatidicus & ſortilegus* dictus eſt.

Lucan. lib. 5. Pharſal. Verſu 67.

Delphica fatidici reſerat penetralia Phœbi.

Per te præſentit Aruſpex.] Veteres pravis erroribus imbuti credebant in extis eſſe vim aliquam, quæ Apollinis beneficio declararet futura vel pericula, vel commoda ex viſcerum victimarum habitu, colore, & notis; quàm autem diligenter inſpicerentur divinationis cauſâ docet Cicero lib. 1. & 2. de divinat. & Valer. Maxim. lib. 1. cap. 6.

15. *Sibylla.*] Cumanam intelligit, quam ferunt vaticiniorum libros novem attuliſſe ad Tarquinium Priſcum, pro quibus poſtulavit trecentos Philippæos. Rege verò ejus inſaniam illudente, ſex ex iſtis ſemel, atque iterùm combuſſit; motus tandem Rex perſeverantiâ mulieris in pretio exigendo, tres reliquos libros, quo volebat fœmina pretiô, emit, in quibus Romanorum fata heroïco Carmine deſcripta continebantur.

16. *Quæ ſenis fata canit pedibus.*] Oracula ſua Sibyllæ heroïcis verſibus vulgaviſſe dicuntur. Et certè liquet ea, quæ circumferuntur Sibyllina carmina eſſe heroica. Cujus autem Sibyllæ ea fuerint, non liquet; alii Sibyllinos libros Cumanæ Sibyllæ tribuunt; ut Claudianus lib. 1. in Eutrop.

Pandite Pontifices Cumanæ Carmina Vatis.

Alii Cumææ, ut Lactantius: alii aliis.

Phœbe ſacras Meſſalinum ſine tangere chartas
Vatis: & ipſe, precor, quód canat illa, doce.
Hæc dedit Ænææ ſortes, poſtquàm ille parentem
Dicitur, & raptos ſuſtinuiſſe Lares.
Hæc fore credebat Romam, cum mœſtus ab alto
Ilion, ardentes reſpiceretque Deos.

INTERPRETATIO.

*Meſſalinum tangere ſanctos libros Sibyllæ; & tu ipſe, quæſo te, aperi ipſi, quid ipſa prædicat. Eadem ipſa Æneæ reſponſum dedit, poſteaquàm ille tradi*tur patrem, & ablatos Penates ſuſtuliſſe. Ea ipſa ſentiebat Romam futuram eſſe *jam tum cum* Æneas *triſtis è mari ſpectaret Troiam, & Divos con-*

ANNOTATIONES.

17. *Sacras tangere chartas.*] Libros nempè Sibyllinos, quos Tarquinius emptos à Sibylla in Capitolio in ſacrario templi Jovis Optimi, Maximi, arcâ lapideâ incluſos repoſuit: horum cuſtodia Duumviris primo ex Ordine Patricio, commiſſa eſt: deinde Decemviris, quorum quinque erant Patricii. & quinque ex plebe deligebantur. Poſtremò Qoindecimiviri electi ſunt, quibus ſacra facere, & libros Sibyllinos aſſervare, & conſulere Senatus autoritate, quoties opus eſſet, eoſque interpretari, & ut quæ præciperent perficerentur, curare incumbebat. Dicuntur hi libri integri ſervati ad Olympiadem uſque 172. nempè uſque ad belli Marſici. ſeu ſocialis tempus, quo Cn. Norbano, & P. Scipione Coſs. crematum eſt Capitolium, ſimulque & hæc Oracula igne conſumpta ſunt. Paulò autem poſt Capitolio à L. Syllâ reſtituto, á Q. Catulo templum Jovis Capitolini dedicatum eſt. Tuncque C. Scribonius Curio, & Cn. Octavius Conſules retulerunt ad Senatum, ut, Legati Erythras, & ad cætera Italiæ, Græciæ, & Aſiæ oppida mitterentur, qui Sibyllarum Carmina undique conquiſita tranſcriberent, & Romam reportarent, maximè verò Erythrææ, quæ cæteris nobilior habebatur. Miſſi ſunt itaque P. Gabinius, M. Octacilios Craſſus, & L. Valerius Flaccus in Aſiam ad Attalum regem Pergami, cujus favore, & auxilio ex Aſiæ urbibus maximè Erythris circiter mille verſus à privatis deſcriptos exceperunt, Romamqoe cum cujuſque Sibyllæ nomine reportarunt. Quæ cum à viris Græcarum Litterarum rudibus deſcripta eſſent, multa in iis ſuperflua, multa mutila, & manca invenirentur, ut eorum lectio correctior eſſet, ſcripta illa tradita ſunt *Quindecimviris*, qui hæc emendarent. Quamvis autem plurium Sibyllarum allata eſſent oracula, unius tamen Cumanæ vel Cumææ nomine appellata ſunt. Hi libri permanſerunt Romæ ſacroſancti à *Quindecimviris*, inter quos cooptatos fuerat Meſſalinos, aſſervati diligenter uſque ad Honorii & Theodoſii Junioris Imperatorum tempus, quo Stilico Honorii ſocer defectionem parans, hos libros concremavit, tuncque abſumptis Sibyllinis libris Theodoſius *Quindecimvirorum* collegium & Sacerdotium abrogavit, penituſque abſtulit.

19. *Hac dedit Ænea ſortes.*] Quæ cecinerit *Ænea* Sibylla pluribus explicat divino ſuo opere lib. 6. Æneid. Virgilius.

20. *Raptos ſuſtinuiſſe Lares.*] Æneam refert Maro, cum Troia ab hoſtibus capta arderet, admonitom eſſe ab Hectore in ſomnis, ut fugeret, & ipſum è mediis hoſtibus patrem humeris ſublatom, ac Deos Penates in Italiam aſportaſſe.

21 *Hac fore credebas Romam.*] Sibylla, utpote futori præſcia, jam tum *Romam credebas fore*, cum adhuc ar-

Romulus æternæ nondum formaverat urbis
 Mœnia conſorti non habitanda Remo.
Sed tunc paſcebant herboſa palatia vaccæ,
 Et ſtabant humiles in Jovis arce caſæ.

INTERPRETATIO.

flagrantes. Necdum Romulus urbis immortalis condiderat muros non incolendos Remo fratri ſuo *conſorti. Tunc verò boves depaſcebant herbida palatia, & erant conſtructa vilia tuguria in Iovis arce. Ibi Pan lacte perfuſus poſitus*

ANNOTATIONES.

dentem Troiam, Deorumque templa, & ſimulachra fumantia è mari cerneret triſtis Æneas.

23. *Romulus æterna nondum formaverat urbis.*] Alii legunt, *firmaverat*, alii, *fundaverat*. Roma porrò in vetuſtis monumentis *Urbs æterna* dicitur. Vide Inſcriptionum Gruteri theſaurum 1017. 7. Ammian. Marcellin. lib. 14. *Orphitus Præfecti poteſtate regebat Urbem æternam.* Lib. 16. *Aliaque inter hæc decora Urbis æterna.*

24. *Conſorti non habitanda Rhemo.*] *Rhemus* fuit frater Romuli primi Romanorum Regis, qui quòd nova urbis Romæ mœnia per ludibrium tranſiliiſſet, à fratre Romulo interfectus eſt, ut Livio placet, aut, ut ait Ovidius, à celere quodam Tribuno, Fabio dicto, raſtro paſtorali percuſſus occubuis. Lucan. 1.

Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Conſors dicitur ejuſdem ſortis ſeu generis & conditionis in omni ferè negotio.

Ovid. 11. Metamorph.

Quæ dum Luciſero genitis miracula narrat
De conſorte ſuo, ——

25. *Herboſa palatia.*] Loca graminibus obſita, ubi Romana *palatia* ponenda erant. Varro lib. 4. Ling. Lat. ſcribit *palatium* dictum, quòd *Palantes* cum Evandro in illum locum venerint; aut quòd *Palatini*, qui & Aborigines ibi conſederint; additque alios à *Palatia* uxore Latini dictum eum montem tradidiſſe; alios à *pecore balante*. Solinus ſcribit quoſdam *palatium* à *Pale* Dea Paſtorali nomen adeptum credidiſſe. Conſtat Romulum montem hunc *Palatinum* primum omnium muro cinxiſſe, & in eo Romam quadratam condidiſſe, quæ poſteà additis aliis & aliis montibus, & collibus pomærio prolato ampliata fuit. *Palatium* a Septentrione clauditur foro Romano, & antiquo Velabro, ſeu valle ipſum interjacente, & Capitolium. Ab occaſu valle inter *Palatium* & Aventinum ſitâ, ubi olim circus maximus. A meridie valle inter ipſum *Palatium*, & Cœlium intermediâ. Ab ortu viâ ſacrâ, & planitie, quæ *Palatio* adjacet, Cœlio & Quirinali.

26. *In Jovis arce.*] *Arx* Veteribus dicebatur munitior pars & excelſior Tarpeii montis, ubi templum auguſtiſſimum Jovis Optimi, Maximi, quod etiam templum *Arx* ſolebat vocari. Ovid. in Faſt.

Iuppiter Arce ſuâ totum cum ſpectet in orbem,
Nil niſi Romanum quod tueatur habet.

Capitolium verò pars ea montis maximè appellabatur, quæ in Boream vergens planior, & ſpatioſior erat, & Quirinalem verſus extra ipſius *Arcis* mœnia protendebatur.

Caſa.] Primis temporibus exiguas, rudeſque domos habuit Roma. Iſque ampliſſimè laudari putabatur, qui dicebatur bonus agricola, bonuſque colonus, & poterat agro colendo familiam, & impendia bellorum, quæ ſine publico ſtipendio gerebantur, ſuſtinere. Romulus porrò domum in Capitolio ſtraminibus tectam dicitur incoluiſſe.

Lacte madens illic ſuberat Pan ilicis umbræ,
Et facta agreſti lignea falce Pales:
Pendebatque vagi paſtoris in arbore votum
Garrula ſilveſtri fiſtula ſacra Deo.
Fiſtula, cui ſemper decreſcit arundinis ordo.
Nam calamus cerâ jungitur uſque minor.
Aut quâ Velabri regio patet, ire ſolebat
Exiguus pulsâ per vada linter aquâ.

INTERPRETATIO.

erat ſub umbraculo quercûs, aderat & Pales ligneâ falce ruſticâ fabricata, & ſuſpenſa erat in arbore arguta fiſtula Deo agreſti dicata, votum paſtoris errantis: fiſtula, cui calamorum ſeries ſemper deminuitur, nam arundo ſemper impar, & minor cerâ compingitur. Aſt ubi Velabri tractus aperitur, parva ra-

ANNOTATIONES.

Ovidius inducit Martem ſic admonentem,

Quæ fuerit noſtri, ſi quæris, regia nati,
Aſpice de canna ſtraminibuſque domum.
In ſtipula placidi capiebat munera ſomni,
Et tamen ex illo venit in aſtra thoro.

Valerius Maximus lib. 4. cap. 4. *Per Romuli caſam, perque veteris Capitolii humilia tecta*, &c.

27. *Lacte madens illic ſuberat Pan.*] Dii Paſtorales, qualis erat *Pan*, & Pales *lacte* ſpargi ſolebant, ut ait ſupra de Pale Tibullus:

Et placidam ſoleo ſpargere lacte Palem.

29. *Pendebatque vagi Paſtoris.*] Qui artem aliquam ſive militarem, ſive aliam deſinebant, ejus inſtrumenta Diis ſuſpendebant, ſacrabantque ipſius potiſſimùm artis præſidibus. Sic Timon Dives repentè factus apud Lucianum, *Pani* ligonem, & ſagum ſuſpendit; Entellus apud Virgil.

—— *Hic victor caſtus artemque repono.*

Horat. de ſuo Barbito velut emeritus Od. 26. lib. 3.

Nunc arma defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit.

Gladiatores meriti arma Herculi conſecrabant.

Horat. lib. 1. Epiſt. 1.

———— *Vejanius armis*
Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro.

Milites arma relinquentes ea Laribus dicabant, ut ait Ovid.

Miles ut emeritis non ſatis utilis armis:
Ponit ad antiquos quæ ponit arma Lares.

Sic puellæ nubiles factæ Veneri pupas donabant. Unde Perſ. Satyr. 2.

———— *Veneri donata à virgine pupa.*

Sic paſtores Diis paſtoralibus fiſtulam ſacrabant.

Virgil. Ecloga 7.

Hic arguta ſacrâ pendebit fiſtula pinu.

Ut & in hoc loco Tibulli eadem fiſtula Pani Deo ejus inventori dedicatur.

32. *Calamus cerâ jungitur.*] Quâ ratione, quâve arte conficeretur fiſtula, non conſtat, nec quomodo diſtantia tubulorum, ora tam citò percurrerent pulſando. Conſtat tamen calamos omnes magnitudine inter ſe fuiſſe impares.

Virgil. Eclog. 2. Verſu 36.

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula. ————

33. *Aut quâ Velabri regio patet.*] *Velabrum* vel à *velis*, quæ inibi obtendebantur, vel à *vehendo* dictum, locus erat in undecima urbis regione,

Illa ſæpè gregis ditis placitura magiſtro
Ad juvenem feſtâ eſt vecta puella die.
Cum qua fœcundi redierunt muneta ruris
Caſeus, & niveæ candidus agnus ovis.
Impiger Ænea, volitantis frater Amoris,
Troïca qui profugis ſacta vehis ratibus,
Jam tibi Laurentes aſſignat Juppiter agros,
Jam vocat errantes hoſpita terra Lares.
Troia quidem tum ſe mirabitur, & ſibi dices
Vos benè tam longâ conſuluiſſe viâ.

INTERPRETATIO.

tis agitatâ aquâ ferri conſueverat per undas. Hac frequenter puella placitura domino pecoris opulenti ad juvenem ſolemni luce delata eſt. Cum qua relata ſunt dona locupletis villa, caſeus, & agnus albus ovis alba. O ſtrenue Ænea, frater Cupidinis vagantis, qui Deos Troianos portas exulibus navibus; nunc tibi Iuppiter adſcribit Laurentes campos, modò peregrina regio invitat Penates vagos. Tunc certè Troia admirabitur ſe, & inquies vos benè ſecum egiſſe tam longâ viâ. Ibi ſacer ortis, ubi te reverenda aqua Nu-

ANNOTATIONES.

inter forum Romanum, Palatium, & Aventinum: & ut ait Varro, olim ex urbe in Aventinum à reliqua urbe paludibus diſcluſum ad commune ſacrificium, quod ibi fiebat in Dianæ templo, Latini ratibus vehebantur per *velabrum*, & quadrantem ſolvebant.
Propert. Eleg. 10. lib. 4.

Quâ Velabra ſuo ſtagnabant flumine, quàque
Nauta per urbanas velificabat aquas.

Erat autem *Velabrum* majus & minus. Ibi multa vendebantur, imprimis caſeus optimus; unde apud Martialem *Velabrenſis caſeus*. In hac etiam regione habitabant unguentarii non longè à Circô maximo. Vid. Ovid. lib. 6. Faſt. Ad lacum porrò *Velabrenſem* exponebantur & abjiciebantur ſpurii: unde nobiles Matronæ pueros inventos petebant, & pro ſuo partu maritis ſupponebant, qui poſteà tanquam Nobiles ad honores evehebantur, fiebantque Pontifices Maximi.
Unde Juvenal. Satyr. 6.

Tranſeo ſuppoſitos, & gaudia, votaque ſæpè
Ad ſpurcos decepta lacus, atque inde petitos
Pontifices Salios, Scaurorum nomina falſo
Corpore laturos. ———

39. *Volitantis frater Amoris.*] Veteres Editiones ab hoc Verſu: *Impiger Ænea*, Elegiæ principium faciunt ridiculè Cupidinis autem frater *Æneas* dicitur, quòd cùm *Æneas* ex Venere & Anchiſe natus ſit, Cupido ex eadem Venere, & Marte genitus eſſe referatur. Virgil. lib. 1. Æneid. Verſu 671.

Frater ut Æneas pelago tuus, omnia circum
Littora jactetur. ——

Volitans autem *Amor* dicitur ob levitatem & inconſtantiam; unde etiam ipſi pennas attribuerunt.

40. *Sacra vehis.*] Deos nempè Penates, quos Virgilius Æneidos ſecundo vocat,

—— *Patrios Teucroſque Penates.*

41. *Iam tibi Laurentes.*] *Laurentes* agri ſunt ea pars Latii, ubi *Laurentum* oppidum, ut vult Servius à Latino, ut volunt alii, à Pico rege conditum.

—— *Laurentis regia Pici.*

Illic ſanctus eris, cum te veneranda Numici
Unda Deum cœlo miſerit Indigetem.
Ecce ſuper feſſas volitat Victoria puppes.
Tandem ad Trojanos Diva ſuperba venit.
Ecce mihi lucent Rutulis incendia caſtris;
Jam tibi prædico, barbare Turne necem.

INTERPRETATIO.

micii fluvii te intulerit ſideribus Divum Indigetem. Ecce Victoria fertur ſupra fatigatas naves. Demùm ferox Dea tranſit ad Troianos. En mihi coruſcant ignes in Rutulis caſtris. O Turne truculente, mox tibi prænuntio mortem.

ANNOTATIONES.

45. *Numici unda.*] *Numicius* fuit fluvius Latii, in quo cadaver Æneæ dicitur ab Aſcanio repertum.

46. *Indigetem.*] *Indigetes* Dii Servio dicuntur, qui nullius rei egent, vel quorum ope nos indigemus: unde vult omnes Deos appellari *Indigetes*. Aliis *Indigetes*, Dii tantùm Patrii dicuntur, quaſi in loco geniti, vel degentes. Alii *Indigetes* dictos volunt, qui invocati faciles ſint, & præſto adſint, quòd *indigitare* ſit idem quod *precari*, & *invocare*. Vel certè *Indigetes* ſunt Dii ex hominibus facti, & ita dicti quaſi in Diis agentes; utpote qui ex hominibus ad divinitatem pervenerunt. De Ænea ſanè fabula talis eſt: Cùm Turno occiſo, & accepta in conjugem Laviniâ, & conditâ urbe, in Numicium fluvium, ut alii volunt, ſacrificans, ut alii, Mezentium, ut alii, Meſſapum fugiens, cecidiſſet, ſubmerſus eſt, cui poſtea templum conſtruxit Aſcanius, eumque Deum *Indigetem* voluit appellari. Livius lib. 1. Hiſtor. de Ænea. *Secundum inde prælium Latinis, Æneæ etiam ultimum eperum mortalium fuit. Situs eſt, quemcumque eum dici jus faſque eſt, ſuper Numicium flumen, Jovem Indigetem appellant.*

Ovidius libro decimo quarto Metamorphoſeon.

Luſtratum genitrix divino corpus odore
Unxit, & ambroſiâ cum dulci nectare mixtâ
Contigit os, fecitque Deum, quem turba Quirini
Nuncupat Indigetem, temploque ariſque recepit.

48. *Diva Superba.*] Fuit etiam in Diis Victoria, quam vocat *Superbam*, ob faſtum, magnificentiam, & gloriam, quam ſecum defert. Hujus imago fuit in Senatu: alata, & pennata ſemper depingebatur, ut in antiquis Auguſtorum numiſmatis viſitur.

49. *Rutulis incendia caſtris.*] *Rutuli* fuerunt antiquiſſimus Italiæ populus, qui partem illam Latii tenuit, in qua fuit Ardea. *Rutuli* duce Turno bellum adverſus Æneam geſſerunt, ut latè ſcribit divinus Maro poſterioribus ſex Æneidos libris.

50. *Barbare Turne.*] Hoc eſt, Latini; Latini enim quondam & Itali dicti ſunt *barbari*, maximè Græcis. Feſtus Anianus de Oris maritimis. *Gens Punicorum mons quòd altus barbaro, id eſt, Latino, dicitur, ut auctor Plautus eſt.*

Plautus in Prologo Aſinariæ.

Huic nemon Græca Onagros eſt fabulæ.
Demophilus ſcripſit. Marcus vertit barbarè: hoc eſt, *Latinè.*

Plautus in Captivis.

Quid tu barbaricas urbes juras? hoc eſt, *Italas.*

Ante

Ante oculos Laurens caſtrum, muruſque Lavini eſt,
Albaque ab Aſcanio condita longa duce.
Te quoque jam video, Marti placitura Sacerdos
Ilia, Veſtales deſeruiſſe focos;
Concubituſque tuos furtim, vittaſque jacentes,
Et cupidi ad ripas arma relicta Dei.
Carpite nunc tauri de ſeptem montibus herbas;
Dum licet: hic magnæ jam locus urbis erit.
Roma tuum nomen terris fatale regendis,
Quâ ſua de cœlo proſpicit arva Ceres:

INTERPRETATIO.

Ante oculos Laurens propugnaculum, & Lavinii mœnia ſunt, & Alba longa ædificata ab Aſcanio Principe. O Veſtalis Ilia, grata Marti Deo futura, te etiam proſpicio reliquiſſe ignes ſacros: proſpicio quoque congreſſum tuum clam cum Marte, & tuas *vittas neglectas, & tela amantis Dei* illius *ad Tybris ripas derelicta. O boves depaſcite jam, quamdiu conceditur, gramina de ſeptem collibus. Mox hac erit ſedes ingentis civitatis. O Roma, nomen tuum fato deſtinatum eſt orbi adminiſtrando, quacumque Ceres ab æthere proſpectat agros*

ANNOTATIONES.

51. *Laurens Caſtrum.*] *Laurentum* Latii oppidum Pici regis opus à ſilva *Laurea* ſic dictum Virgilius vocat lib. 8. Æneidos *arcem Laurentum*

Ut belli ſignum Laurenti Turnus ab arce.

Muruſque Lavini.] *Lavinum*, ſeu *Lavinium* civitas fuit Latii ab Ænea condita, & a nomine Laviniæ conjugis Latini regis filiæ ſic dicta.

52. *Albaque ab Aſcanio.*] *Aſcanius* Æneæ filius abundante Lavinii multitudine, florentem, atque opulentam civitatem novercæ Laviniæ reliquit, novamque aliam ſub Albano monte condidit, quam *Albam* à ſue *albâ* ibidem olim cum triginta fœtibus repertâ vocavit, & longam ab ſitu porrectæ in dorſo urbis appellavit, illucque regni ſedem tranſtulit.

Virgil. Æneid. lib. 1.

——— *Regnumque à ſede Lavini*
Transferet, & longam multâ vi muniet Albam.

53. *Marti placitura Sacerdos Ilia.*] *Ilia*, quæ & *Rhea*, & *Silvia*, filia Numitoris fuit, & Rhemi, ac Romuli mater, quam Amulius Numitore fratre pulſo, & interfecto ejuſdem filio Lauſo, Virginem Veſtalem fecit, ut per hoc ipſi ſpem partûs adimeret. At illa in ſomnis à Deo *Marte* compreſſa geminos edidit fratres, qui poſteà Romam condiderunt.

55. *Vittaſque jacentes.*] Dum enim vult aquari Rhea, ſomno urgente, ad ripas Tiberis à Marte comprimitur, unde comarum turbata, & ſoluta *vitta* concidit.

57. *De ſeptem montibus.*] A quibus nempè Roma ſeptencollis, & ſepticollis eſt appellata. Montium nomina ſunt hæc. Capitolinus, qui & Tarpeius, Aventinus, Palatinus, Cœlius, Eſquilinus, Viminalis, Quirinalis.

58. *Magna locus Urbis.*] Diximus ſuprà Romam *Urbem Magnam* vocari ſolere: fuit enim *magna loci* amplitudine, & imperio.

Propert. lib. 3. Eleg. 9.

Septem urbs alta jugis, toto quæ præſidet orbi.

59. *Roma tuum nomen terris fatale regendis.*] Virgil. lib. 6. Æneid.

Tu regere imperio populos, Romane, memento.

Ovidius.

Montibus his olim totus promittitur orbis.
Juraque ab hac terrâ cætera terra petet.

60. *Proſpicit arva Ceres.*] *Arva Ce-*

Quâque patent ortus, & quâ fluitantibus undis
  Solis anhelantes abluit amnis equos.
Vera cano: ſic uſque ſacras innoxia lauros
  Veſcar, & æternum ſit mihi virginitas.
Hæc cecinit Vates, & te ſibi, Phœbe, vocavit;
  Jactavit fusâ ſed caput antè comâ.
Quidquid Amalthea, quidquid Marpeſſia dixit,
  Herophile Phœbo grata quòd admonuit:
Quodque Albuna ſacras Tiberis per flumina ſortes
  Portarit ſicco perlueritque ſinu:

INTERPRETATIO

ſuos: & quâ Oriens aperitur, & quacumque Oceanus agitatis fluctibus lavat ſolis equos anhelos. Prædico certa. Ita ſemper illæſa ſanctas lauros comedam, & perpetuò adſit mihi virginitas. Sibylla *vaticinatrix prædixit iſta, & te ſibi invocavit, ô Apollo: At prius effuſis capillis rotavit caput. Quodcumque Amalthea, quodcumque Marpeſſia prædixit, quodcumque Herophile Apollini dilecta præmonuit, & quod Albunea detulerit ſancta Oracula per aquas Tiberis, & arido gremio riga-*

ANNOTATIONES.

Ortus hic debent ſumi pro toto terrarum orbe, non pro Sicilia, cùm longè extra Siciliam undequaque ſuum Roma protulerit imperium: quod patet ex ſequentibus, quibus per Ortum & Occaſum totum orbem ſignificat Poëta.

62. *Amnis equos.*] *Amnis* hic ſumitur pro Oceano, quo per noctem ablui, & recipi fabulabantur Solis equos.

63. *Innoxia lauros.*] Teſtatur Lycophron in Caſſandra Vates conſueviſſe *lauri* folia comedentes vaticinari. Unde & Juvenal. Satyr. 7.

——— Nollit quicumque canoris
Eloquium vocale modis, laurumque momordit.

66. *Jactavit fusâ ſed caput antè comâ.*] Fanaticorum, Vatum, & Divinaculorum eſſe nemo neſcit, ut paſſis & effuſis capillis caput rotarent, dum vaticinarentur.

67. *Quidquid Amalthea.*] Ex Varrone decem numero Sibyllæ fuerunt. 1. Perſica. 2. Libyca. 3. Delphica. 4. Cumæa. 5. Erythræa, Herophile dicta. 6. Samia. 7. Cumana, quæ *Amalthea.* 8. Helleſpontiaca, quæ & Marpeſſia, Marmeſſia, & Marineſſia, è Marpeſſo, ſeu Marmeſſo, ſeu Marineſſo Troadis vico nata. 9. Phrygia. 10. Tiburtina, Albuna, ſeu Albunea vocitata. Plures Cumanam, Cumæam, & Erythræam confundunt, alii alias: ut nihil certi de his dici poſſit, ut ait Lactantius. Vide Salmaſ. Plin. exercit. *Amalthea* porrò, quæ & *Cumæa*, aliis *Demophile*: dicitur à quibuſdam ad Tarquinium libros novem detuliſſe vaticiniorum. Noſter tamen Tibullus docet Albunam ſeu Sibyllam Tiburtinam, non verò *Amaltheam* libros ſuos Romam portaſſe, & Tarquinio vendidiſſe.

Marpeſſia.] Alii legunt, *Marmeſſia*; & *Marineſſia.*

68. *Herophile.*] Alii legunt, *Heryphile*. alii *Erophile*, Sacerdos Apollinis Sminthei dicitur fuiſſe.

69. *Albuna.*] Sibylla fuit Tiburtina: alii legunt, *Albana*. Hanc Romam libros vaticiniorum detuliſſe docet Tibullus per undas Tiberis, quas ſortes ſeu libros vaticiniorum etſi aqua perluebat, ſiccas tamen & ſicco pectore geſtaſſe traditur, & regi Tarquinio Priſco vendidiſſe.

70. *Perlueritque.*] Plures legerunt, *pertulerit*, quod nec malè.

Hæ fore dixerunt belli mala ſigna cometen,
  Multus ut in terras deplueretque lapis:
Atque tubas, atque arma ferunt, ſtrepitantia cœlo
  Audita, & lucos præcinuiſſe fugam.
Ipſum etiam Solem defectum lumine vidit
  Jungere pallentes nubilus annus equos.

Interpretatio.

verit. Illæ prænuntiaverunt Cometen futurum eſſe infauſtum omen belli, ut etiam in terram depluerent crebra ſaxa. Aiunt etiam auditas eſſe in aëre buccinas, & tela reſonantia, & lucos prædixiſſe fugam. Quinetiam caliginoſus annus ſpectavit Solem luce deſtitutum equos pallidos jugare, & Deorum imagines calidos fle-

Annotationes.

71. *Hæ fore dixerunt.*] Multi legunt, *hac*, ſed melius *hæ*, nempe omnes illæ Sibyllæ.

72. *Multus ut in terras deplueretque lapis.*] Alii legunt, *multus & in terris*: alii, *plurimus in terris*: non, *terras*: & *depluerit*, non *deplueret*, ſed malè. Rectè enim legitur, *Multus ut in terras deplueretque lapis. Lapidum* porrò pluvias frequentiſſimas ſuis temporibus Antiqui commemorant, quæ noſtra, patrum, avorumque noſtrorum ætate, vel nullæ, vel ſaltem pauciſſimæ commemorantur. Livius ſingulis pœnè annis lapidatum eſſe de cœlo, ſeu lapides pluiſſe paſſim refert. Hæc legenti mihi, ac ſæpiùs mecum reputanti venit in mentem eos *lapides* non verè *lapides*, ſed grandines ut plurimùm fuiſſe grandioris magnitudinis, inſignique duritie *lapidum* naturam repræſentaviſſe, proindeque *lapidum* nomine fuiſſe donatas. Exempla pono. Julio Cæſare contra Pompeium pugnante legimus exercitum Cæſaris lapideâ ſaxorum grandine pœnè obrutum eſſe. Anno Chriſti 823. *lapidibus* grandinavit circa ſolſtitium æſtivale in Burgundia. Anno 1567. in Helvetia potiſſimùm in agro Tigurino ingens grando, cujus *lapides* gallinarum ova ſuperabant longè latéque devaſtavit omnia. Ex quibus conſtat illas frequentiſſimas *lapidum* pluvias à Veteribus diffamatas, non verè *lapidum* fuiſſe, ſed grandinis amplioris magnitudinis. Recentiores porrò Litteratores nonnulli malè cenſuerunt verbum, *pluo*, carere ſuppoſito, ſemperque habere ablativum, ut Titus Livius lib. 6. de bello Macedonico; *Terracinæ, & Amiterni nunciatum eſt aliquoties lapidibus pluiſſe.* Sed præter uſitatum Titi Livii in dicendo morem, Valerius Maximus de Prodigiis *in Piceno lapides pluiſſe* ait, ſicut & hîc, *deplueretque lapis.* Livius ipſe lib. 10. de bello Macedonico ait: *in area Vulcani & Concordiæ ſanguis pluit.*

73. *Atque tubas, atque arma ſtrepitantia.*] Alii legunt, *crepitantia. Armorum* crepitus, & *tubæ* ſonitus auditos è cœlo Cimbricis bellis teſtatur Plinius lib. 2. cap. 57.
Ovidius lib. 15. Metamorphoſ.

Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes,
Terribileſque tubas, auditaque cornua cœlo
Præmonuiſſe nefas.

74. *Lucos præcinuiſſe fugam.*]
Ovidius.

—— Cantuſque feruntur
Auditi, ſanctis & verba minantia lucis.

75. *Ipſum etiam Solem.*] Ejuſmodi *Solis* defectum, ſicut & pleraque alia, hic relata prodigia, accidiſſe aiunt eo anno, quo Cæſar Dictator occiſus eſt. Refert imprimis Plinius prodigioſum, & longiorem *Solis* defectum illo anno contigiſſe totius pœnè anni pallore continuo inſignem.

Et ſimulachra Deûm lachrymas fudiſſe tepentes;
Fataque vocales præmonuiſſe boves.
Hæc fuerunt olim: ſed tu jam, mitis Apollo,
Prodigia indomitis merge ſub æquoribus.
Ut ſuccenſa ſacris crepitet benè laurea flammis;
Omine quo felix, & ſacer annus eat.
At laurus bona ſigna dedit: gaudete coloni,
Diſtendet ſpicis horrea plena Ceres.
Oblitus & muſto feriet pede ruſticus uvas,
Dolia dum, magni deficiuntque lacus.
At madidus Baccho ſua feſta Palilia paſtor
Concinet: à ſtabulis tunc procul eſte lupi.

INTERPRETATIO.

tus emiſiſſe, & boves locutas prænuntiaſſe fata. Iſta omnia *aliàs acciderunt. Tu verò modò, ô benigne Apollo, obrue mari invicto portenta; ut laurus ſanctis ignibus cremata fauſtè ſtrideat, quo præſagio fauſtus, & ſacer annus effluat. Sed laurus proſpera omina edidit. Lætamini, ô agricolæ, Ceres complebit horrea referta frugibus; & vinitor vino novo inquinatus botros plantis calcabit, quoad cadi, & lacus capaces deſint. At paſtor vino ebrius feſta ſua Palilia celebrabit: tunc, ô lupi, longè recedite ab ovilibus. Ipſe vino madens te-*

ANNOTATIONES.

77. *Et ſimulachra Deûm,*] Livius lib. 43. cap. 13. ait: *Cumis in arce Apollo triduum ac tres noctes lachrymavit.* Lucan. de prodigiis bellorum civilium.

Indigetes fleviſſe Deos, urbiſque laborem
Teſtatos ſudore Lares.

78. *Fataque vocales præmonuiſſe boves.*] *Boves* locutos ſæpiſſimè referunt Scriptores. Valer. Max. lib. 1. cap. 6. ait: *C. Volumnio & Servio Sulpicio Conſulibus in urbe bos mugitu ſuo in ſermonem humanum converſo, novitate audientium animos exterruit.* Paulò pôſt: *Bello etiam Punico ſecundo conſtitit Cn. Domitio bovem dixiſſe: Cave tibi, Roma.* Livius, & Plinius frequenter *boves* locutos commemorant.

80. *Prodigia,*] *Prodigium* Signum eſt inuſitatum, quo aliquid prædicitur, & portenditur, ſeu indicatur futurum. *Oſtentum* eſt quod præter conſuetudinem apparet, ut, ſi videatur cœlum ardere, aut quando aliquod ſpectrum ſe oſtendit. *Portentum*, quod porrò, & diutiùs tendit, & futurum aliquid poſtea indicat, ut ululatus canum, & ſtatuarum dejectiones. *Monſtrum eſt* id quod contra naturam eſt, & eo monet futura, ut homo tripes.

81. *Crepitet benè laurea.*] Veteres exiſtimabant *laureæ* ineſſe vim quamdam, quâ futura demonſtrarentur, & rerum exitum ex crepitantis modo, ſi igni adureretur. Si enim combuſta clariùs reſonaret, felicitatem portendi putabant: contrà verò ſi tacita deflagraſſet. Propertius.

Et tacet extincto laurus aduſta foco.

85. *Oblitus & muſto.*] *Muſtum* vinum novellum eſt, & recenter è calcatis uvis, aut lacu defluens. Non ſolùm autem vinum, ſed novellum quidquid eſt rectè dicitur *muſtum.* Nævius Gymnaſtico. *Utrum eſt melius, virginemne, an viduam uxorem ducere? Virginem, ſi muſta eſt.* Vide Nonium.

87. *Palilia Paſtor.*] *Palilia*, quæ & *Parilia* aliis dicuntur, *Palis* Deæ feſta

Ille levis ſtipulæ ſolennes potus acervos
Accendet, flammas tranſilietque ſacras.
Et fœtus matrona dabit, natuſque parenti
Oſcula comprenſis auribus eripiet.
Nec tædebit avum parvo advigilare nepoti,
Balbaque cum puero dicere verba ſenem.
Tunc operata Deo pubes diſcumbet in herba;
Arboris antiquæ quâ levis umbra cadet.

INTERPRETATIO.

nuic paleæ cumulos feſtos inflammabit, & illos ignes ſacratos tranſiliet. Et matrona liberos pariet & filius patri baſia auferet arreptis auribus. Nec pigebit avum tenero nepoti advigilare, & vetulum blæſas voces proferre cum puero. Tunc juventus re divinâ Deo factâ ſuper herbam recumbet, quâ parte tenue umbraculum arboris annoſæ feretur. Aut illi ſuis indumentis ob-

ANNOTATIONES.

ſunt, quæ à paſtoribus in agris fiebant undecimo Kal. Maii, quo die Romulus urbem fundavit, ad lupos arcendos, morboſque à pecore pellendos. Propert. lib. 4. Eleg. 4.

Urbi feſtus erat, dixêre Palilia Patres.
Hic primus cœpit mœnibus eſſe dies.

90. *Flammas tranſiliet.*] *Palilia*, ait Varro, *tam publica, quàm privata ſunt apud ruſticos, ut congeſtis cum fœno ſtipulis ignem magnum, & flammas tranſiliant, his Palilibus ſe expiari credentes.* Ob hoc etiam Perſius *fumoſa Palilia* dixit.
Ovidius lib. 4. Faſtor.

Moxque per ardentes ſtipulæ crepitantis acervos
Trajicias celeri ſtrenua membra pede.

Inde ſanè videtur ortus mos, quo Veteres quidam Chriſtiani leguntur uſi, ignem tranſiliendi certâ anni die è fœno, & ſtipulis excitatum, expiationis causâ, & divinationis.

92. *Oſcula comprenſis auribus.*] Alii legunt, *compreſſis.* Hunc omnium primus locum emendavit Lilius Giraldus; quod tamen quaſi ſuum opus uſurpavit Scaliger. Vide Lil. Girald. dialogo 6. Morſum puellorum in libando patris oſculo luculenter exprimit Tibullus. Alludit & Plautus huic conſuetudini in Pœnulo cùm Milphionem ita loquentem inducit.

Sine te exorem, ſine te prehendam auriculis,
Sive dem ſuavium.

Idem Plautus alibi.

Prehende auriculas, compara labella cum labellis.

95. *Operata Deo pubes.*] Rem divinam Deo facere, & *operari Deo*, idem erat apud Veteres. Vide notas ad hujus libri primam Elegiam.
Virgil. lib. 1. Georgic.

Sacra refer Cereri lætis operatus in herbis.

96. *Arboris antiqua.*] Conviviis lætis & feſtivis rivi & umbra rectè conveniunt
Horat. lib. 1. Ode. 1.

——— Nunc viridi membra ſub arbuto
Stratus; nunc ad aquæ lene caput ſacræ.

Aut è veſte ſua tendent umbracula ſertis
Vincta: coronatus ſtabit & ipſe calix.
At ſibi quiſque dapes, & feſtas exſtruet altè
Ceſpitibus menſas, ceſpitibuſque torum.
Ingeret hic potus juvenis maledicta puellæ,
Poſtmodo quæ votis irrita facta velit.
Nam ferus ille ſuæ plorabit ſobrius idem,
Et ſe jurabit mente fuiſſe malâ.
Pace tuâ pereant arcus, pereantque ſagittæ,
Phœbe: modò in terris erret inermis Amor.

INTERPRETATIO

tendent ſibi umbellas ſertis colligatas. Ipſa quoque collocabitur patera in medio *redimita. Vnuſquiſque verò epulas & menſas geniales, atque lectum ceſpitibus conſtruet. Ibi juvenis ebrius dicet puellæ convitia, quæ tamen poſteà votis facta cupiat inania. Etenim ferox ille idem ſiccus flebit, & jurabit ſe fuiſſe animo malò ſane. Tuâ veniâ, O Apollo, nulli ſint arcus, nullæ ſint ſagittæ, dum Cupido nudus in terris vagetur. Ars* amandi fuit olim *bona; at*

ANNOTATIONES.

97. *Tendent umbracula ſertis.*] Per illud vocabulum, *ſertis*, hic non intelligi debere faſciculos florum contendit Scaliger. *Serta* enim idem ipſi eſt, quòd funiculus & reſtis: unde putat apud Varronem, *ſertam ducere*, idem ſit, quòd funem, ſeu reſtim ducere: & ſanè longè meliùs colligantur tentoria & *umbracula* funibus, quam florum faſciculis. Adde quòd apud Varronem lib. 5. de Lingua Lat. *ſerta*, funem ſignificare videatur, ſicut & apud Palladium pluribus in locis. Sed forſan ingenioſiſſimus, & acutiſſimus Poëta herbam quandam maximè vulgarem intelligit, quæ Catoni de re ruſtica cap. 107. *ſerta* dicitur, quam Plinius, & alii vocant *ſertam & ſertulam Campanam*. quòd in Campaniâ frequens maximè ſit, vulgò melilotus appellatur. Gramen quidem eſt ruri paſſim obvium, & ad tentoria ornanda. & umbracula obliganda non prorſus ineptum.

98. *Coronatus ſtabit & ipſe calix.*] *Calices* in conviviis *coronari*, hoc eſt, *floribus redimiri*, priſcus mos fuit. Et qui è talibus poculis bibebant tantiſper dum ori *calix* admotus fuerat, *coronati* dicebantur. hoc eſt, *umbrari* Sic etiam ipſum vinum *coronatum*, & *redimitum* dicitur. ut apud Virgilium:

——— *Et vina coronant*

Interdum etiam laſciviâ quâdam convivali in ipſum poculum ſpargebantur flores. Teſtis Tertullianus de carnis reſurrectione. *At enim*, inquit. *& calix benè ſibi conſcius. & de diligentia miniſterii commendatus, de coronis quoque potatoris ſui inornabitur. aut aſpergine florum honorabitur.* Teſtis etiam & præſto aderit Propert. lib. 2. Elegiâ 24.

—— *Nil tibi vina nocent,*
Cum tua præpendent demiſſa in pocula ſerta.

99. *Feſtas exſtruet menſas.*] *Menſas feſtas* appellat epulas publicas. & ſolemnes, quas ex ſtatis pecorum, frugumque proventibus dapaticè, & baſilicum in morem, feſtorum dierum, aut ſacrificiorum causâ à ruſticis concelebrari mos erat.

103. *Plorabit ſobrius idem.*] Qui potus & ebrius puellam convitiis, & maledictis inceſſerit, pœnitentiâ poſtmodum ductus, *ſobrius*, hoc eſt, *non potus*, *ſiccus & jejunus* gratiam delicti fieri poſtulabit ſibi. ſacramento etiam interpoſito diſcupere ſeſe id infectum indictumque fuiſſe, utpote quòd malâ & inſanâ mente fecerit.

Ars bona, ſed poſtquam ſumſit ſibi tela Cupido;
Eheu! quam multis ars dedit illa malum,
Et mihi præcipuè, jaceo cum ſaucius annum,
Et faveo morbo, cùm juvat ipſe dolor,
Vixque cano Nemeſim, ſine qua verſus mihi nullus
Verba poteſt, juſtos aut reperire pedes.
Acer Amor, fractas utinam tua tela ſagittas,
Si licet, extinctas aſpiciamque faces.
Tu miſerum torques, tu me mihi dira precari
Cogis, & inſanâ mente nefanda loqui.
At tu (nam Divûm ſervat tutela Poëtas)
Præmoneo, Vati parce, puella, ſacro,
Ut Meſſalinum celebrem cùm præmia belli
Ante ſuos currus oppida victa feret,
Ipſe gerens laurus, lauro devinctus agreſti
Miles io magnâ voce triumphe canam.

INTERPRETATIO.

ex quo tempore Amor armis ſe inſtruxit, heu! quot hominibus ars illa incommodum attulit, ac mihi potiſſimùm quandoquidem jam ab anno vulneratus langueo, & ægritudini indulgeo, quia morbus ipſe delectat me, Ægrè etiam celebro Nemeſin, abſque qua nullum carmen poteſt mihi aut voces, aut aptos numeros invenire. O aſper Cupido, utinam videam arma tua, ſcilicet tuas *ſagittas diſruptas, ſi fas eſt, & tædas* tuas *extinctas. Tu* me *infelicem crucias*, ipſe *tu impellis me imprecari mihi execranda, & furenti animo nefaria proferre. Tu verò, ô puella, ignoſce ſancto Vati, prædico tibi, Deorum enim præſidium Poëtas tuetur, ut prædicem Meſſallinum, ubi portabit ante currum ſuum urbes debellatas, armorum fructus:* Ego *ipſe geſtans laureos, ſilveſtri lauro obſtrictus miles clarâ voce cantabo, io triumphe. Tunc meus Meſſalla genitor præ-*

ANNOTATIONES.

111. *Vixque cano Nemeſin.*] De *Nemeſi* Tibulli amica jam ſuprà, de qua etiam Martial. lib. 1.

Fama eſt arguti Nemeſis formoſa Tibulli.

117. *Divûm ſervat tutela Poëtas.*] Vatibus nimirùm ſunt cum cœlo commercia, Numiniſque divinitatem participant.
Ovidius.

At ſacri Vates, & Divûm cura vocamur.

120. *Oppida victa feret.*] In triumphis præferri ſolebant tabulæ, ſive fercula, in quibus exhibebantur ſimulachra urbium victarum, montium & fluminum, atque etiam prœliorum, quæ adverſus hoſtes geſta fuerant. Hujuſmodi pompæ meminit Cicero Orat. in Piſon, Meminit Livius lib. 37. ubi ſcribit: *Scipio Aſiaticus centum triginta ſeptem urbium ſimulachra in triumpho duxit.* Tacitus lib. 2, Annal, *Vecta ſpolia, captivi, ſimulachra montium, fluminum, prœliorum*, &c. illa ſimulacra ex argento fuerunt in triumpho Tiberii, ut refert Ovid. lib. 2. de Ponto Eleg. 1, in triumpho Julii Cæſaris de Galliis fuerunt ex citro: in ejuſdem triumpho Pontico, ex acantho: in Alexandrino, ex teſtudine, in Hiſpanienſi, ex argento raſili. Alias ex aliis, atque aliquando ex auro.

121. *Ipſe gerens laurus.*] Victoriæ inſigne *laureos* ramos ſibi milites præferebant currum triumphantis ſequentes. Feſtus ait: *Laureati milites ſequebantur currum triumphantis, ut quaſi purgati à cæde humana intrarent urbem.* &c.

122. *Io magnâ voce triumphe canam.*]

Tunc Meſſalla meus pia det ſpectacula turbæ,
Et plaudat curru prætereunte pater.
Annue, ſic tibi ſint intonſi, Phœbe, capilli;
Sic tua perpetuò ſit tibi caſta ſoror.

INTERPRETATIO.

beat populo pia ſpectacula, & gratuletur curru tranſeunte: exaudi vota noſtra, *ô Phœbe, ita tibi ſint crines in*[illegible]*, ita tua ſoror tibi ſemper pudica permaneat.*

ANNOTATIONES.

Milites ita ramis laureis ornati *io triumphe* inclamabant, quâ vociferatione fauſtâ omnia bona augurabantur, & victori Duci, & Reipublicæ. Nonnulli porrò legunt, *canet*, hoc eſt, *ego ipſe canam*, &c

125 *Annue, ſic tibi ſint.*] Poſt preces factas Poëtis familiare eſt blanditias aliquas addere, quibus Deos demulceant, & ad preces exaudiendas alliciant, per earum rerum, quas illis gratas eſſe norunt, obteſtationem. Quod quidem hac particulâ, *ſic*, fieri ſolitum obſervavi. Tibullus Eleg. ultimâ lib. 3.

Candide Liber ades, ſic ſit tibi myſtica vitis
Semper, ſic hederâ tempora vincta feras.

ELEGIA VI.

CASTRA Macer ſequitur, tenero quid fiet Amori?
Si comes, & collo fortiter arma geret.

INTERPRETATIO.

MACER *militiam ſectatur, quid eveniet blando Cupidini? Si, ut* cacula, militis ille *erit aſſecla, & impigrè cervice portabit arma, & cum ja*

ANNOTATIONES.

1. *CAſtra Macer ſequitur.*] *Macrum* familiarem ſuum in militiam relictâ puellâ proficiſcentem a propoſito deterreri per Amorem cupit Tibullus. Tum in corruptos ſui ſæculi mores & luxum invehitur.

Macer.] Fuit ille *Macer* Veronenſis, qui libros ſcripſit de Avibus, de Serpentibus, & de Herbis. Teſtatur id Ovidius lib. 2. Triſt.

Sæpè ſuas volucres legit mihi grandior ævo,
Quæque nocet ſerpens, quæ juvet herba, Macer.

Tenero quid fiet Amori.] Sic frequentiſſimè dixerunt optimi lectiſſimæ Latinitatis Autores. Plaut. *quid fiet mihi poſteà?* Cicero *Diodoto quid faciam?*

2. *Si comes.*] Alii legunt: *ſit comes, & collo fortiter arma gerat*, non *geret*: huncque ſenſum efficiunt: *Macer dedit militiæ nomen, quid interim fiet Amori, cui videtur renuntiaſſe? Sit omninò miles, & impigrè militiæ labores omnes toleret. Amor interim individuus comes ab eo nunquam diſcedat, & contemptum ſui in errone probè ulciſcatur.* Nos verò ſic Poëtæ ſententiam procedere putamus: *Si Macer vult eſſe armiger, & comes, & aſſecla, & velut cacula cum telis ſequi militem, vel ducem herum, ô Amor, ure eum*, &c. Hoc nempè

Et, ſeu longa virum terræ via, ſeu vaga ducent
Æquora, cum telis ad latus ire volet:
Ure, puer, quæſo, tua qui ferus otia liquit;
Atque iterùm erronem ſub tua ſigna voca.
Quod ſi militibus parces, erit hic quoque miles
Ipſe, levem galeâ qui ſibi portet aquam:
Caſtra peto, valeatque Venus, valeantque puellæ.
Et mihi ſunt vires, & mihi facta tuba eſt.
Magna loquor: ſed magnificè mihi magna locuto
Excutiunt clauſæ fortia verba fores.
Juravi quoties rediturum ad limina nunquam?
Cum benè juravi, pes tamen ipſe redit.

INTERPRETATIO.

culis ad latus heri *incedere cupiet, ſive longum terra iter, ſive maria fluctuantia agent hominem: ô puer, ure, inflamma* eum, *qui inhumanus deſeruit otium tuum, & rursùs reduc vagum illum ſub tua vexilla, quod ſi militibus indulgebis, & is ipſe miles erit, qui ſibi aquam vilem caſſide gerat.* Ego *etiam militiam ſequor: faceſſat Venus; faceſſant & puellæ. Mihi quoque robur eſt, mihi etiam buccina apta eſt. Magnifica dico: at mihi magnifica ſuperbè locuto janua obſerata dejicit magna dicta. Quàm ſæpè juravi me nunquam reverſurum ad ædes* puellæ? *Nihilominus poſtquàm multùm juravi, pedes ipſi*

ANNOTATIONES.

ſcripſit Tibullus in invidiam vitæ militaris; Macrumque eſſe caculam potiùs quam militem facetè dixit

4. *Ad latus ire volet.*] Milites ad bellum proficiſcentes ducebant ſecum ſervos, quos caculas vocant, fuſtibus & clavis ligneis armatos ad ipſorum tutelam, qui etiam ad latus heri ſui arma ferebant.

Plautus.

Video caculam militarem me futurum.

5. *Puer.*] Cupido Deus Amoris, qui *puer* nudus, alatus, cœcus, & pharetratus fingitur, juxta illud vulgare:

Cæcus, & alatus, nudus puer, & pharetratus.

Catullus in Argonauticis, ſeu in Epithalamio Pelei & Thetidis.

Sancte puer, curis hominum qui gaudia miſces.

5. *Otia.*] Venus enim & Amor amant *otia*, præcipuumque Amoris remedium, militare eſt, & res agere.

Ovid. de Remedio Amoris.

Otia ſi tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemptæque jacent, & ſine luce faces.

6. *Erronem.*] Alii legunt, *hereem*; alii, *extorrem*, quod non eſt aſpernabile.

Sub tua ſigna voca.] Amatorum, & Amoris otium, & nugæ militiæ quoddam genus eſt: unde & Ovid. lib. 3. de Arte amandi.

Militiæ ſpecies Amor eſt, diſcedite ſegnes,
Non ſunt hæc timidis ſigna tuenda viris.

8. *Qui ſibi portet aquam.*] Plures legunt, *potet*, galeamque dicunt eſſe militis poculum.

Unde Propertius:

Potabit galeâ feſſus Araxis aquam.

Puto tamen cum antiquis Codicibus legendum, *portet*, juxta illud Claudiani de 3. Conſulat. Honorii,

In galeâ portare nives.

10. *Mihi facta tuba eſt.*] Alii legunt, *mihi grata tuba eſt.*

12. *Clauſæ fortia verba fores.*] Aman-

At tu quiſquis is es, cui triſti fronte Cupido
Imperitat, noſtra ſint tua caſtra domo.
Ferrea non Venerem, ſed prædam ſæcula laudant;
Præda tamen multis eſt operata malis.
Præda feras acies cinxit diſcordibus armis;
Hinc cruor, hinc cædes, mors propiorque venit.
Præda vago juſſit geminare pericula ponto,
Bellica cùm dubiis roſtra dedit ratibus.
Prædator cupit immenſos obſiſtere campos,
Ut multa innumerâ jugera paſcat ove.
Cui lapis externus curæ eſt, urbiſque tumultu
Portatur validis mille columna jugis:
Claudit & indomitum moles mare, lentus ut intra
Negligat hibernas piſcis adeſſe minas.

Interpretatio.

illuc *regrediuntur. Tu verò, ò quicum que ille es, cui Amor gravi ſupercilio dominatur*, fac, ut *militia tua ſit in contubernio noſtro. Ferrea ætas non amorem probat, ſed prædam; nihilominus rapina functa eſt innumeris incommodis. Præda circumfudit crudeles exercitus diſſentientibus armis: Inde cruor, & occiſio, & lethum vicinius oritur. Præda impulit duplicare diſcrimina mari incerto, quando roſtra militaria tribuit navibus periclitantibus. Prædo optat* ſibi *objici vaſtos agros, ut depaſcat infinito pecore arva lata. Cui peregrinum ſaxum ſtudio eſt, & perturbatione civitatis advehitur* una *columna mille robuſtis paribus boum; & aggeres invictum pelagus coercent, ut piſcis quietus intra*

Annotationes.

tibus uſque adeo moleſta eſt excluſio, ut nihil putetur in amore gravius. Hîc verò notatur amantium inſtabilitas, qui nunc aliud ſibi proponunt, nunc aliud eligunt.

18. *Eſt operata.*] Quidam habent, *eſt adoperta*, ut ſenſus ſit: *præda multorum eſt cauſa malorum.*

20. *Hinc cruor.*] Quidam habent, *hinc furor.*

21. *Geminare pericula.*] *Geminatur periculum*, cùm pugnatur in mari, cùm ipſa per ſe navigatio periculoſa ſit.

22. *Roſtra dedit ratibus.*] *Roſtrum* eſt pars altior proræ ferrea, à *roſtri* avis ſimilitudine ſic dicta. *Ratis* autem eſt ipſius navis utrumque latus.

23. *Obſiſtere.*] Nonnulli legunt, *obſidere*, nos antiquiorem ſequimur lectionem.

Ut multa innumerâ jugera paſcat ove.] Alii codices meliùs habent, *Ut multo innumeram jugere paſcat ovem.*

25. *Cui lapis externus cura eſt.*] Qui nempè ad voluptatem ſtruit ædificia, huic *lapis exoticus, & peregrinus cura eſt*; nam advehebantur ex Phrygia, Numidia, Paro, & aliis regionibus marmora.

26. *Mille columna jugis.*] *Columna* lapis eſt oblongus & magnus, qui ob magnitudinem & gravitatem advehitur per urbem magno cum tumultu, & magno labore plurimorum parium boum.

27. *Claudit & indomitum moles mare.*] Excipiuntur magnificis ædificiorum molibus maris inundationes, ut piſcium fiat quaſi receptaculum, in quo tuti & læti negligant tempeſtates. Horat.

Contracta piſces æquora ſentiunt
Factis in altum molibus; huc frequens

At tibi læta trahant Samiæ convivia teſtæ,
Fictaque Cumanâ lubrica terra rotâ.
Heu, heu, divitibus video gaudere puellas!
Jam veniant prædæ, ſi Venus optat opes:
Ut mea luxuriâ Nemeſis fluat: utque per urbem
Incedat donis conſpicienda meis.
Illa gerat veſtes tenues, quas fœmina Coa
Texuit, auratas diſpoſuitque vias.
Illi ſint comites fuſci, quos India torret,
Solis & admotis inficit ignis equis.
Illi ſelectos certent præbere colores,
Africa puniceum, purpureumque Tyros.
Nota loquor: regnum ipſe tenet, quem ſæpè coëgit
Barbara gypſatos ferre cataſta pedes.

INTERPRETATIO.

adeſſe contemnat procellas hyemales. Tibi verò, Samia vaſa jucundas epulas producant, & argilla fluxa Cumanâ rotâ formata. Eheu! ſentio fœminas delectari locupletibus amatoribus. *Jam rapinæ ſubveniant, ſi Venus requirit divitias: ut Nemeſis mea luxu diffluat, & in publicum prodeat ſpectanda muneribus meis; ut ipſa geſtet ſubtilia*, & levia *indumenta, quæ Coa mulier texuit, &* in quibus *aureum iter deſcripſit. Iſti ſint aſſeclæ atri, quos urit India, & Solis ardor equis appoſitis infuſcat. Ipſi colores exquiſitos dare contendant, puniceum Africa, & Tyrus purpureum.* Omnibus *explorata dico: ipſe principatum obtinet, quem cataſta peregrina frequenter compulit gerere pedes cretatos.*

ANNOTATIONES.

Cæmenta demittit redemptor.
Cum famulis dominuſque terræ
Faſtidioſus.

29. *Samia convivia teſta.*] *Samos* Inſula eſt maris Ægæi, quæ vaſis olim fictilibus egregiè fabricatis inſignis fuit.

30. *Fictaque Cumanâ lubrica terra rotâ.*] Eadem, quâ Samos Inſula, laude floruerunt *Cumæ* civitas Campaniæ, unde *Cumani* calices. de quibus Varro apud Nonium in verbo *Obba*.

35. *Fœmina Coa.*] *Cos* eſt Inſula maris Ægæi, quæ arte lanificii ita claruit, ut κατ' ἐξοχὴν quaſi ſubtili, & artificioſo opere textus amictus, *Coa* dicatur.

36. *Auratas diſpoſuitque vias.*] Hoc eſt, *fila aurea cum tela ſubtili intexuit*: unde auro chlamys intertexta dicitur.

37. *Quos India torret.*] *India* regio eſt Aſiæ vaſtiſſima, ad Solis ortum poſita, quæ perpetuo calore torretur, utpote quæ ad Solem proximè accedit.

40. *Africa puniceum, purpureumque Tyros.*] Duplicem purpuræ colorem tangit; *Puniceum* enim quaſi violaceum *Africa* procreat; *purpureum* quaſi rubeum *Tyrus* Phœniciæ in Syria civitas præbet, ubi omnium optima purpura.

42. *Gypſatos ferre cataſta pedes.*] Venalium ſervorum *pedes* Antiqui cretâ, vel *gypſo* denotabant, eratque hoc inſigne venalitiis gregibus, ut cretatis, ſeu *gypſatis pedibus* vænirent.
Ovid. lib. 1. Amorum Eleg. 8.

Nec tu ſi quis erit capitis mercede redemptus,
Deſpice gypſati nomen inane pedis.

Juvenalis Satyr. 1.

Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.

Cataſta.] Pegma quoddam ligneum,

ANNOTATIONES.

Scaliger vult etiam aliquando fuiſſe ferreum, in quo venales exponebantur, ſervi, ut eorum poſſent omnia membra inſpici. Aliis, *cataſta*, locus eſt, in quo iidem venales ſervi ſervabantur.
Martialis in Mamurram.

Sed quos arcana ſervant tabulata cataſtæ,
Et quos non populus, nec mea turba videt.

In Martyrologiis autem & Hiſtoriis Sanctorum *cataſta* ſumitur pro equuleo, atque etiam pro quovis pegmate ligneo. cui imponi ſolebant qui variis ſuppliciis afficiebantur.

ELEGIA VII.

FINIRENT multi letho mala: credula vitam
Spes fovet, & melius cras fore ſemper ait.
Spes alit agricolas, ſpes ſulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine piſces,
Cùm tenues hamos abdidit antè cibus.
Spes etiam validâ ſolatur compede vinctum,
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.

INTERPRETATIO.

PLERIQUE vitæ *miſerias morte terminarent, ſed credula ſpes alit vitam, & dicit continuò cras melius futurum eſſe. Spes fovet aratores, ſpes committit cultis agris ſementem, quam terra largâ cum uſurâ reſtituat. Ipſa ſpes capit aves laqueo, & piſces calamo, ubi antea exiguos uncos eſca occultavit. Spes quoque ſublevat conſtrictum firmis compedibus. Crura ipſi catenis reſonant, tamen cantat inter laborem. Spes Nemeſim mihi benignam*

ANNOTATIONES.

1. *Finirent letho multi mala.*] Plures legunt: *Jam mala finiſſem letho: ſed credula vitam ſpes fovet*, &c. Nemeſin ſuam, ne ſe præſtet inexorabilem rogat, & Phrynes lenunculæ calliditatem deteſtatur.

2. *Spes fovet.*] Ad Tibulli ferè mentem Ovidius.

Spes bona dat vires, animus quoque paſcitur illâ.

Nam ſolâ *ſpe* lactantur mortales, quæ juſtitiâ, fide, pietate, exteriſque virtutibus in Cœlum fugientibus inter homines ſola remanſit.
Unde illud ex Theognide.

Spes Dea, quæ gentes falsâ dulcedine ſemper
Paſceris in terris ſola relicta fuis.

Spes autem *credula* dicitur, quòd amatores faciat *credulos* de meliori fortunæ eventu.

4. *Fœnore.*] Id eſt, *reditu*: *fœnus* enim hîc eſt terræ proventus.

4. *Arundine.*] Hamis calamo infixis. Hamus autem eſt ſpecies unci curvi & parvi, cui eſca piſcibus objicienda affigitur.

7. *Compede vinctum.*] *Compes* vinculi genus eſt, cujus arctura vinciebantur rei, captivi, & ſervi ad ergaſtula miſſi, atque etiam foſſores, qui ſemper vincti, & compediti erant.
Juvenalis Sat. 2.

Squallidus in magna faſtidit compede foſſor.

Spes facilem Nemeſim ſpondet mihi, ſed negat illa:
Hei mihi! ne vincas, dura puella, Deam.
Parce, per immatura tuæ, precor, oſſa ſororis,
Sic benè ſub tenerâ parva quieſcat humo.
Illa mihi ſancta eſt, illius dona ſepulchro,
Et madefacta meis ſerta feram lacrymis.
Illius ad tumulum fugiam, ſupplexque ſedebo,
Et mea cum muto fata querar cinere.
Non ſinet uſque ſuum te propter flere clientem.
Illius ut verbis ſis mihi lenta, veto.
Ne tibi neglecti mittant nova ſomnia Manes,
Mœſtaque ſopitæ ſtet ſoror ante torum.

INTERPRETATIO.

promittit: at illa detrectat. Heu me! ò puella ſæva, ne ſuperes Divam. Indulge, rogo te, per oſſa prematura tua ſororis. Ita placidè tenera requieſcat ſub molli terrâ. Ipſa mihi veneranda eſt, munera ipſius tumulo inferam, & flores irrigates lachrymis meis. Ad ipſius ſepulchrum confugiam, & venerabundus aſſidebo, & deflebo cum illius Manibus tacitis ſortem meam. Non patietur me ſuum clientem ſemper plorare tuè cauſâ. Ut mihi lenis ſis ipſius verbis deprecer; ne ejus *umbra à te contempta immittat tibi nova inſomnia, ac ſoror* tua *dormienti tibi obverſetur ante lectum, qualis ruens preceps ex altâ*

ANNOTATIONES.

10. *Deam.*] Spem nempè, quam non ſecùs ac Fortunam Deam fecerunt. Ædis Spei in foro Olitorio meminit Cicero, quam fulmine dicit ictam.

Ovid. de illa Dea.

Hac Dea, cùm fugerent ſceleratas Numina terras.
In Diis inviſâ ſola remanſit humo.

11. *Per immatura oſſa.*] Hoc eſt, per ſororem tuam ante tempus in *oſſa* & cadaver converſam; ſeu per mortem ſororis tuæ intempeſtivam, & ante diem venientem.

Sic Propert. lib. 3. dixit,

Per te immaturum mortis adimus iter.

12 *Sic benè ſub tenerâ parva quieſcat humo.*] Vitâ functis placidam quietem, terramque levem, & mollem precabantur. Vetuſtæ teſtantur Inſcriptiones, paſſimque Poëtæ, aliique Scriptores. Ovid. de Tibulli obitu.

Oſſa quieta, precor, tutâ requieſcite in urnâ,
Et ſit humus cineri non oneroſa tuo.

Vide Notas in Elegiam IV. hujus libri.

13. *Dona ſepulchro.*] Quæ tumulis mortuorum offerebant, vel rogo cum cadavere comburenda injiciebant, munera dicebant. Vide Notas in Elegiam IV. hujus libri.

15. *Supplexque ſedebo.*] Solemne erat & uſitatum lugentibus mortuos, ad ſepulchrum *ſedere*. In ſacris Codicibus Ezechielis cap. 8. *Ecce mulieres ſedebant plangentes Adonidem.*

Propert. lib. 3. Eleg. XIV.

Afferet huc unguenta mihi, ſertiſque ſepulchrum
Ornabit cuſtos ad mea buſta ſedens.

17. *Te propter flere clientem.*] Cultorem: *Cliens* eſt, quaſi *colions*, à *colens* dictus. Se *clientem* vocat ſororis Nemeſis, quòd ejus olim amoribus, ſicut Nemeſi fuerit deditus, & quòd eam præthereà jam fato functam veneretur, maximiſque proſequatur honoribus.

19. *Inſomnia.*] Nocturnæ ſunt apparitiones & ſpectra, quæ homines perterrefaciunt.

20. *Stet ſoror ante torum.*] Nemeſis quippe *ſoror*, de qua noſter Poëta, cùm

Qualis ab excelsâ præceps delapſa feneſtrâ
Venit ad infernos ſanguinolenta lacus.
Deſino, ne dominæ luctus renoventur acerbi.
Non ego ſum tanti, ploret ut illa ſemel.
Nec lacrymis oculos digna eſt fœdare loquaces.
Lena nocet nobis, ipſa puella bona eſt.
Lena vetat miſerum Phryne, furtimque tabellas
Occulto portans itque reditque ſinu.
Sæpè, ego cum dominæ dulces à limine diro
Agnoſco voces, hæc negat eſſe domi.
Sæpè, ubi nox promiſſa mihi eſt, languere puellam
Nunciat, aut aliquas extimuiſſe minas.
Tunc morior curis: tunc mens mihi perdita fingit,
Quiſve meam teneat, quot teneatve modis.
Tunc tibi, lena, precor diras: ſatis anxia vivas,
Moverit è votis pars quotacumque Deos.

INTERPRETATIO.

feneſtrâ cruenta adiit ad Stygios Lacus. Sed his *abſtineo, ne dolor ſævus amica recrudeſcat: non ego tanti ſum, ut ipſa vel ſemel fleat. Neque merita eſt argutos ocellos fletibus maculare Ipſa eſt benigna fœmina*, ſed *lena nobis obſtat. Phryne lena infelicem* me *prohibet, & ipſa clam ferens arcano gremio literulas it, & redit. Non rarò quando ego ſuavem amicæ vocem ab oſtio audio, inficiatur hæc* ipſam *eſſe domi. Frequenter, poſtquam pacta eſt mihi nox, monet puellam ægrotare, aut reformidaſſe aliquas comminationes. Tum angoribus exanimor, tum animus vecors mihi effingit, vel quis meam* puellam *teneat, vel quot modis teneat. Tum te, ò lena, diris devoveo. Abundè curis gravata*, & miſeriis afflicta *vitam degas*; utinam *quantulacumque portio è* meis *votis Divos commoverit.*

ANNOTATIONES.

è feneſtra præceps decidiſſet, è vita repentè exceſſit; ut ſtatim ſubjicitur: *Qualis ab excelsâ præceps delapſa feneſtrâ.*

22. *Venit.*] *Iuit, adiit.*

25. *Oculos fœdare loquaces.*] Internos animi ſenſus loquuntur *oculi* imprimis amantium, maximamque vim habent vocis, unde *loquaces*, ſeu arguti dicuntur. Cicero. *Nam & oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti ſimus, loquuntur.*

27. *Lena vetat miſerum Phryne.*] Quidam legunt, *necat: Phryne*, idoneum eſt *lena* nomen; *Phryne* enim quondam fuit ſcortum Athenis celebre, quæ cum amatoribus pacta eſt ſe labefacturam Xenocratis conſtantiam.

Furtimque tabellas.] Ancillæ, cæteræque fœminæ ſolebant ſicut & nunc *tabellas*, litterulas, ſeu libros amatorios, & alia ſcripta arcana ſinu ſuo geſtare, Ovid. lib. 3. de Arte amandi.

Conſcia cum ſcriptas poſſit portare tabellas.
Quas tegat in tepido faſcia lata ſinu.

FINIS LIBRI SECUNDI.

ALBII TIBULLI EQUITIS ROMANI

LIBER TERTIUS.

ELEGIA I.

MARTIS Romani feſtæ venêre Calendæ ;
Exoriens noſtris hinc fuit annus avis.
Et vaga nunc certâ diſcurrunt undique pompâ
Perque vias urbis munera, perque domos.

INTERPRETATIO.

CALANDÆ *celebres Romani Martis advenerunt*, *unde noſtris* quondam *majoribus annus incepit. Jam verò dona vaga hinc inde ſolemni ritu*

ANNOTATIONES.

1. *MArtis Romani Calendæ.*] In more fuit olim poſitum apud Romanos, ut Calendis Martiis ad invicem, maximè ad amicas mulieres dona, ſeu ſtrenæ mitterentur. Quæ quidem conſuetudo à Rege Tatio manaſſe dicitur, qui primùm Romuli hoſtis, deinde collega in regno Romano fuit Symmachus lib. 10 epiſtola 28. *Ab exortu penè urbis Martiæ ſtrenarum uſus adolevit, auctoritate Tatii regis, qui verbenas felicis arboris ex luco Streniæ anni novi auſpices primus accepit.* Idem ejuſdem lib. epiſt. 20. *Calendas anni auſpices, quibus menſium recurſus operitur, impertiendis ſtrenis dicavit Antiquitas.* Unde Poëta Muſas obſecrat & obteſtatur, ut ipſi velint aperire, quo potiſſimùm dono cariſſimam ſuam Neæram debeat munerari. Tum eaſdem Muſas enixè precatur, ut Verſuum ſuorum Libellum diligenter exornatum, & expolitum ad eam velint perferre, ipſumque apud eamdem in quam maximâ gratiâ ponere.

2. *Exoriens hinc fuit annus.*] Decem menſium annum Romulus fecit, quorum primus fuit Martius, ſic dictus vel à Marte, quòd nempè is Romuli pater crederetur, vel ab illius gentis in re militari alacritate & præſtantia. Macrobius lib. 1. cap. 12. *Romulus primum anni menſem genitori ſuo dicavit.* Feſtus verò de hoc ait : *Martius menſis initium anni fuit & in Latio & poſt Romam conditam, eo quòd gens erat*

Dicite, Pierides, quonam donetur honore
  Seu mea, ſeu fallor, cara Neæra tamen.
Carmine formoſæ, pretio capiuntur avaræ:
  Gaudeat, ut digna eſt, verſibus illa meis.
Lutea, ſeu niveum involvat membrana libellum,
  Pumex & canas tondeat ante comas:
Summaque prætexat tenuis faſtigia chartæ,
  Indicet ut nomen littera facta tuum.
Atque inter geminas pingantur cornua frontes:
  Sic etiam comptum mittere oportet opus.

Interpretatio.

Oncurſant per vicos & domos civitatis, O Pierides, docete quonam munere debeat à me honorari Neæra, quæ ſive mea eſt, ſive decipior, nihilominus eſt mihi verè dilecta. Mulieres *pulchræ verſibus deliniuntur*; ſed *avaræ pecuniâ* tantùm *& mercede capiuntur. Mea verò* Neæra *carminibus* meis *delectetur, ut meretur. At membrana crocea involvat librum* meum *nitidum*, quem ad illam mitto, *& pumex ante omnia exæquet albas comas; & littera picta obducat ſumma faſtigia levis chartæ, ut nomen meum oſtendat; atque etiam inter geminas frontes cornua deſcribantur: nam ita ornatum opus mittere oportet.* Ob-

Annotationes.

bellicoſiſſima. Numa verò Pompilius, qui poſt Romulum regnavit, duos menſes anno adjecit, Januarium nempè & Februarium; annumque à Calendis Januarii, non amplius à Calendis Martii initium habere voluit, quod poſtmodum Romani religiosè obſervarunt. *Calendæ* tamen *Martiæ* celebres maximè ſemper fuerunt, quod his ſtrenæ etiam, & munera mitterentur, & ignis novus Veſtæ aris accenderetur, cujus denuò ſervandi cura, incipiente velut anno inciperet.

5. *Pierides.*] Muſæ, quæ unde ita dictæ ſint, ſuprà ſæpiùs, & pluribus diximus.

7. *Carmine formoſæ.*] *Formoſæ* mulieres faſtuoſæ, & arrogantes, quæ laudari amant; unde laudibus maximè deliniuntur.

9. *Lutea ſed niveum involvat membrana.*] Præclarum hic Tibulli locus teſtimonium de Veterum cura in exornandis & compingendis libris exhibet. Membranæ porrò coloris *lutei*, ſeu crocei, aliquando etiam albi fiebant. Iſidorus. *Membrana aut candida, aut lutea, aut purpurea ſunt.*

13. *Inter geminas pingantur cornua frontes.*] *Cornua* librorum ſunt ornamenta, quæ variis plerumque coloribus pingebantur, erantque vulgò capitula quædam, cornea, oſſea, vel eburnea, in ſpeciem lunulæ cujuſdam efformata, & corniculata, quæ ad frontem, & calcem, ſeu finem, & umbilicum librorum affigi ſolebant. *Cornua* illa, ſeu lunulam corniculatam Auſonius *Menidem* vocat in Commemorat. Profeſſorum Burdigalenſ. 26.

Quos legis à prima deductos Menide libri,
Doctores patriæ ſcite fuiſſe meæ.

Cornua in fronte librorum fuiſſe deſignata docet hoc in loco noſter Poëta, cui concinit Ovid. lib. 1. Triſt.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur;
Candida nec nigrâ cornua fronte geras.

Ad umbilicum & calcem ſeu finem librorum appoſita etiam fuiſſe *cornua* conſtat ex Martial. lib. 11. Epigr. 108.

Explicitum nobis uſque ad ſua cornua librum,
Et quaſi perfectum, Septiciane, canis.

Frontes verò librorum dicuntur extre-

Per vos auctores hujus mihi carminis, oro,
  Caſtaliamque umbram, Pierioſque lacus,
Ite domum, cultumque illi donate libellum,
  Sicut erit; nullus defluat inde color.
Illa mihi referet, ſi noſtri mutua cura eſt,
  An minor, an toto pectore deciderim:
Sed primùm meritam longâ donate ſalute,
  Atque hæc ſubmiſſo dicite verba ſono:
Hæc tibi, vir quondam, nunc frater, caſta Neæra,
  Mittit, & accipias munera parva, rogat,

INTERPRETATIO.

Secro autem vos, ô Muſæ, *quæ mihi inſpiraſtis hos verſus, per vos ipſas, & per lucos Caſtalios, fonteſque Pierios. adite domum* Neæræ meæ, *& offerte illi nitidum* meum *librum, qualis erit; nullus ex eo color decidat. Ipſa mihi* tum *renuntiabit, utrum ſit ipſi mutuus amor mei, utrum minor, utrum* denique *ex ejus animo prorſus exciderim. Sed ante omnia multam illi dicite ſalutem, quam meretur, & hos* illi *voce humili referte ſermones.* O *Neæra pudica*, ille qui fuit tuus *olim maritus*, *modò* autem eſt tantùm *frater*, *hæc tibi paucula dona mittit, & orat*, ut *accepta habeas*,

ANNOTATIONES.

mitates membranarum in ſpiram complicatarum, quæ pumice poliebantur, dum in lucem emitterentur libri.

15. *Per vos auctores.*] Fœminino hic genere *Auctor* effertur. Is porrò dicitur *Auctor*, qui rei alicujus efficiendæ facultatem habet, vel cujus ductu res aliqua perficitur. Unde cum Muſæ Carminum Præſides fingantur, rectè Poëtæ noſtro *Auctores carminis* dicuntur.

16. *Caſtaliamque umbram.*] Amœnitas loci hic *umbra* dicitur: fontes enim & fluvii arboribus conſiti amœniores ſunt, & delectabiliores. *Caſtalius* autem fons eſt in Phocide ad radices Parnaſſi montis, Apollini conſecratus, & Muſis, quæ inde *Caſtalides* dictæ ſunt.

Pierioſque lacus.] An hic Tibullus fontem aliquem ad *Pierum* montem Theſſaliæ Muſis ſacrum; an aliquem alium in *Pieria* regione, an Aganippen, ſeu Hippocrenen Bœotiæ fontem iiſdem Muſis conſecratum, intelligat, omninò incertum eſt.

20. *Pectore deciderim.*] Hoc eſt, *utrum mei penitùs ſit oblita*; Curæ enim amantium in *pectore*, id eſt, in *corde* eſſe dicuntur: non in memoria; quia nempè amor affectus eſt voluntatis, quâ fertur amans in rem amatam; at memoria eſt etiam rerum, quæ nullo amore commendantur: malorum quippe præteritorum & miſeriarum meminimus, quas minimè volumus, aut amore proſequimur.

21. *Longâ donate ſalute.*] Tanquam *optimâ*. ſeu, *Jubete multis verbis ſalvere. Salutare* autem & *ſalutem dicere* non tantùm advenientibus, ut nonnulli putarunt, ſed abeuntibus etiam tribuitur. *Longum* enim *ſalvere*, *longum valere* dicebant Veteres.

Et longum, formoſe, vale, vale, inquit, Iola.

23. *Hæc tibi, vir quondam.*] Sic etiam ad mentem ſui, noſtrique Tibulli Ovidius Heroid. Epiſt. 8.

Alloquor Hermione nuper fratremque, virumque,
Nunc fratrem: nomen conjugis alter habet.

Iſtud vocabulum, *quondam*, hoc loco non præteritum, ſed futurum deſignat tempus, ut apud Virgilium:

——— *quondam tua dicere facta.*

Teque ſuis jurat caram magis eſſe medullis :
  Sive ſibi conjux , ſive futura ſoror :
Sed potiùs conjux ; hujus ſpem nominis illi
  Auferet extincto pallida Ditis aqua.

INTERPRETATIO.

Inſuper *etiam jurat te ſibi plus ſuis medullis eſſe dilectam , ſeu* velis eſſe *ipſi uxor , ſeu* ſis tantùm *futura ſoror ; at potiùs uxor. Hujus* quidem *nominis ſpem mortua ipſi eripiet* tantùm *lucida aqua Ditis.*

ANNOTATIONES.

Tempus erit. ———

Primum autem hunc verſum ſequens ille apertè interpretatur, *Sive ſibi conjux , ſive futura ſoror.* Non enim legitimo unquam matrimonio juncta fuit cum Tibullo Neæra , ſed tantùm de ejus amore ſperare ſe profitetur , ut poſteà relictis omnibus aliis uni ſibi adhæſura ſit. Tibullo enim , qui hîc ficto Lygdami nomine videtur adumbrari , promiſerat Neæra ſe futuram uxorem : at mutatâ deinde ſententiâ , ut eſt varium & mutabile genus fœmina , ad quemdam alium appulerat animum. Id verò eum comperiſſet Lygdamus , vel potiùs ſub Lygdami perſona Tibullus, amore incenſus omnem movit lapidem, ut nuptias iſtas divelleret , Neæræque animum ſibi reconciliaret. At in primis , ut eam flecteret , miſit ad eam ſuum hunc tertium Elegiarum librum , in quo viri & conjugis nomine utitur, ut in Neæræ memoriam revocet nuptiarum & vinculi ſponſionem , quâ ſe Tibullo obligârat. Iſte igitur ſenſus eſt horum verſuum : Accipies, ô Neæra , ab eo hoc munuſculum, qui quondam tuis adductus verbis , & lactatus promiſſis ſperavit fore ut tuo conjugio & amplexu frueretur , ideoque te amavit ut vir ; nunc verò cum ipſum deſerendo alterius eſſe vis , non abjicit ille quidem omninò conjugis ſpem , ſed eodem interim amore te complectitur , quo frater ſororem ſolet. Atque ita tibi perſuadeas , te mihi ſemper fore cariſſimam ; ſive ſoror tantùm mihi , ſive , quod longè vehementiùs opto , uxor futura ſis ; hujus enim nominis ſpem ſola mihi mors eripere poterit.

26. *Pallida Ditis aqua.*] Lethe , adeoque mors. *Pallidam* porrò dicit *aquam* , quam infrà dicit ignavam Elegiâ III.

Ditis in ignava luridus Orcus aqua.

Idem etiam infrà Eleg. V.

Parcite , pallentes undas quicumque tenetis.

Dis autem Deus Inferorum eſt , frater Jovis , & Neptuni , qui & *Pluto* dictus eſt , utroque nomine à divitiis deducto , quæ ab inferis , id eſt , ab intimis terræ viſceribus eruuntur.

ELEGIA II.

QUI primùm caram juveni, carumque puellæ
Eripuit juvenem, ferreus ille fuit.
Durus & ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
Vivere & ereptâ conjuge qui potuit.
Non ego firmus in hoc, non hæc patientia noſtro
Ingenio. Frangit fortia corda dolor.
Hæc mihi verba loqui pudor eſt, vitæque fateri
Tot mala perpeſſæ tædia nota meæ.
Ergo ego cum tenuem fuero mutatus in umbram;
Candidaque oſſa ſuper nigra favilla teget,
Ante meum veniat longos incompta capillos,
Et fleat ante meum caſta Neæra rogum.

INTERPRETATIO.

ILLE *fuit inhumanus, qui primò amabilem puellam viro ætate florenti, & puella juvenem dilectum abſtulit. Ille, etiam fuit ſtupidus & vecors, qui potuit tam magnum pati malum, & ablatâ ſibi puellâ in vivis ſupereſſe.* Non equidem ſim *ipſe* tam *conſtans; neque talis eſt animi mei durities. De*jicit etiam *dolor fortes animos. Iſta* quidem *dicere me pudet. & confiteri tædia cognita vita mea, qua tot mala paſſa eſt. Cum igitur fuero converſus in umbram inanem, & pulvis ater oſ*ſa mea *alba conteget, triſtis Neæra accedat effuſis comis inornata, & mœrens ad meum rogum ejuletur, Accedat*

ANNOTATIONES.

* ACriter invehitur Poëta noſter in eum, qui primus amantes, ſeu juvenem & puellam ſeſe mutuò diligentes ab invicem diſtrahendi rationem invenerit, tantumque dolorem dicit eſſe, quem cepit è ſuo, ſuæque Neæræ diſſidio, ut ex eo mortem ſibi vitæ pertæſo imminere præſentiat. Quidam tamen opinantur minimè ficto Lygdami nomine Tibullum adumbrari, ſed ipſum reverà pro Lygdamo puero loqui, cujus diſſidium cum Neæra ſuis carminibus dolet, aitque ejus tantum eſſe dolorem, ut brevi mors ipſi immineat.

4. *Vivere qui potuit.*] Res enim tam gravis & moleſta exigebat, ut dolore moreretur; quemadmodum referente Plinio, M. Lepidus facto cum uxore Apuleia divortio, nimio dolore extinctus eſt.

9. *Tenuem mutatus in umbram.*] Eodem dixit modo, quo dicturus eſt mox, *verſus in oſſa*, hujus Elegiæ verſu 26.

Sic ego componi verſus in oſſa velim.

21. *Longos incompta capillos.*] Ut omnia ad mœrorem & triſtitiam eſſent compoſita, Veteres capillamento etiam luctum teſtabantur. In fœminis quidem crines ſolutos, ac circum colla fluitantes obſervare licet, quemadmodum etiam in viris, qui comam alerent; ſed frequentiùs in fœminis, quibus ferè proprium hoc auctilis capillitii, & ad talos uſque promiſſi decus natura conceſſit. Plutarchus in Problematis, teſtatur fœminas *ſolutis crinibus* funus fuiſſe proſecutas. Idem apertè declarat Livius lib. 1. de ſorore Horatiorum: *Solvit crines, & flebiliter nomine ſponſum mortuum appellat.* Idem teſtatur Ovidius lib. 2. Faſtorum de Lucretia.

——— paſſis ſedet illa capillis,
Ut ſolet ad nati mater itura rogum.

Sed veniat caræ matris comitata dolore.
  Mœreat hæc genero, mœreat illa viro.
Præfatæ ante meos manes, animamque precatæ,
  Perfuſæque pias antè liquore manus,

INTERPRETATIO.

autem dilectâ genitricis ſuæ luctu comitata: hæc generi, illa conjugis vicem doleat; quæ cum priùs manes meos fuerint allocutæ, & animam meam vocaverint, atque pias manus aquâ abluerint, diſcinctâ a-

ANNOTATIONES.

Idem Epiſtolâ Ariadnes ad Theſeum.

Aſpice demiſſos lugentis more capillos,
Et tunicas lacrymis ſicut ab imbre graves.

Idem etiam docet nos Petronius in Satyr. de celebri illâ Matronâ Epheſinâ. *Non contenta vulgari more funus paſſis proſequi crinibus, aut nudatum pectus in conſpectu frequentia plangere.*

13. *Veniat matris comitata dolore.*] Amici, cognati, & affines in funeribus præcipuè conſpiciebantur: horum enim propria erat funeris cura; ut docet Ariſtoteles Ethicorum lib. 4. Εἰς τὰ κήδη καὶ μάλιστα δεῖ τοὺς συγγενεῖς ἀπαντᾶν. *In funera cognatos potiſſimùm prodire oportet.* Plin. lib. 33. cap. 11. *Semper defuncto aliquo totus aderat familia ejus, qui unquam fuerat. populus.* Non autem ſolùm viri, ſed fœminæ etiam funera proſequebantur, unaque filiæ etiam innuptæ cum reliquis cognatis mulieribus; quæ non ſolùm lacrymas ubertim fundebant, ſed ad exemplum etiam Præficarum, quæ plangendi modum cæteris dabant, pectora ſibi percutiebant, crines genaſque ſæpiùs lacerabant, vultumque etiam ipſum. Servius lib. 3. Æneid. *Varro dicit mulieres in exequiis & luctu ideò ſolitas ora lacerare, ut ſanguine oſtenſo inferis ſatisfaciant.* Ovid. lib. 3. Triſt. Eleg. 3.

Parce tamen lacerare genas, nec ſcinde capillos,
Non tibi nunc primùm, lux mea, raptus ero.

14. *Mœreat hæc genero, mœreat illa viro.*] Hoc eſt, generi ſui mortem mater, conjugis ſui filia mortem deploret, ſeu caſum doleat. *Mœrere* namque ſicut & *dolere* auferendi non minùs eleganter, quàm accuſandi caſum regit. Cicero Orat. pro Sextio. *Non verebar, ne quis perditorum civium mortem mœreret.* Serv. Sulpit. apud eumdem Ciceronem lib. 4. Epiſt. 5. *Da hoc illi mortuæ, da cæteris amicis & familiaribus, qui tuo dolore mœrent.*

15. *Præfatæ ante meos manes.*] Mirum in modum funeris, luctûs & oſſilegii formam, omneſque cæremonias noſter depinxit hac Elegiâ Tibullus. Conſuetudo igitur fuit, cum aliquis eſſet vitâ functus, ut propinquiores, & amici mortuum per intervalla proprio nomine vocarent, animamque ejus conclamarent per ſeptem dies, per quos ſervari mos erat cadaver, quod in primis aquâ calidâ abluebant, & ungebant. Octavo autem die, poſt ultimam mortui conclamationem, funus efferebatur, præcedente tibicine, qui næniam funebrem laudes mortui, atque facta recenſentem, tum ipſius virtutes, integritatem, & fidem non ſaltabundus, ſed ſtans Phrygio modulo caneret. Cum autem ad locum funus veniſſet, ubi mortuus eſſet cremandus: tunc proſequentium funus corona circumſtans fletibus Præficæ, id eſt, planctuum principi tamdiu reſpondebat, quamdiu conſumpto cadavere propinqui cineres, & oſſa colligerent, quæ vino, lacte, odoribus, & unguentis delibuta ſepulcro inferebant; mortuoque ſic compoſito omnes ſigillatim *Salve & vale*, noviſſimumque verbum illud, *Ilicet*, inclamabant, vel ſupremum *vale* ter altâ voce pronuntiabant hoc

Pars quæ ſola mei ſuperabit corporis, oſſa
Incinctæ nigrâ candida veſte legant.
Et primùm annoſo ſpargant collecta Lyæo:
Mox etiam niveo fundere lacte parent.

INTERPRETATIO.

tre veſtimento colligant oſſa mea *albicantia, quæ portio corporis mei unica ſupererit: deinde ſic collecta perfundant veteri Lyæo, ac ſtatim lacte candido con-*

ANNOTATIONES.

modo; *Vale, vale, vale; Salve & vale.* Sæpiùs etiam ſubjungebant iſta verba: *Nos te ordine, quo natura permiſerit, ſequemur.*
Virgil. lib. 2. Æneid.

Sic ô ſic poſitum affati diſcedite corpus.

Ubi Servius ait: *Senſus talis eſt: præſtate mihi vos funebre ſolatium, hoc eſt, affamini me, ut dici mortuis ſolet, Vale, vale, vale*
Virgilius etiam lib. 11.

——— *Salve æternum mihi maxime Palla,*
Æternumque vale.

Ex his manifeſtum eſt, *præfari Manes, animamque precari*, apud Tibullum noſtrum, nihil aliud eſſe, quàm eo quo diximus modo, *Manes mortui vocare, animamque inclamare*, ſeu poſtquam mortuus eſſet in tumulo compoſitus ultimum *vale inclamare*, ut moris erat, juxta illud Virgilii lib. Æneid. 3.

——— *animamque ſepulchro*
Condimus, & magnâ ſupremum voce ciemus.

Et lib. Æneid. 6.

Tunc egomet Rhœteo in littore inanem
Conſtitui tumulum, & magnâ Manes ter voce vocavi.

16. *Perfuſaque pias liquere manus.*] Mos erat, ut propinqui & amici, antequam mortui reliquias & oſſa colligerent, & ſepulcro componerent, manus aquâ purâ abluiſſent, qui etiam cum aliis circumſtantibus à Sacerdote ter aquâ purâ aſpergebantur, ſive luſtrabantur.

18. *Incinctæ nigrâ veſte,*] Qui mortuorum reliquias & oſſa colligebant, hoc feciſſe diſcinctos, & ſolutâ fluxâque veſte, conſtat ex hoc loco Tibulli. & ex Suetonio in Auguſto cap. 100. *Reliquias legerunt primores Equeſtris Ordinis tunicati, & diſcincti, pedibuſque nudis, & in Mauſoleum condiderunt.* Quod etiam induti eſſent atris, ſeu nigris veſtibus, quæ propria erant lugentium indumenta, innumera cum noſtro Tibullo probant Scriptorum teſtimonia.
Propert. lib. 4. Eleg. VII.

Denique quis noſtro curvum te funere vidit?
Atram quis lacrymis incaluiſſe togam?

Juvenalis Satyr. 10.

Hæc data pœna diu viventibus, ut renovatâ
Semper clade, domus multis in luctibus, inque
Perpetuo mœrore, & nigrâ veſte ſeneſcant.

Servius lib. 11. Æneid. *Morem lugendi quidam dicunt Ægyptios inveniſſe, eoſque primos Liberum, quem Oſirin appellant, à fratre Typhone per inſidias interemptum atrâ veſte luxiſſe, inde cæteris gentibus traditum, ut intra annum finiretur luctus.*
Sicut enim apud Veteres albus color ſemper pro ſigno lætitiæ habitus eſt, ita color niger ſemper luctûs & triſtitiæ fuit indicium.

19. *Annoſo ſpargant collecta Lyæo.*] Sumitur hic *Lyæus* ſeu Bacchus pro vino per metonymiam. Non ſolùm mos erat apud Romanos, ut cineres & oſſa mortuorum vino veteri conſpergerentur, ad Manes propitiandos, dum tumulo conderentur; ſed lex etiam erat, ut ſacrorum Novendialium ritu ſepulcra defunctorum vino perfunderentur: ut teſtatur Feſtus. *Reſperſum vinum*, inquit, *apud Antiquos dictum eſt, quo Novendialibus ſacris mortuorum ſepulcra ſpargebantur.*

20. *Niveo fundere lacte.*] Apud Anti-

Poſt hæc carbaſeis humorem tollere ventis,
Atque in marmorea ponere ſicca domo.
Illic quas mittit dives Panchaïa merces,
Eoïque Arabes, dives & Aſſyria:
Et noſtri memores lacrymæ fundantur eodem;
Sic ego componi verſus in oſſa velim.

INTERPRETATIO.

ſpergant; demúmque lineis linteis ea ſiccare laborent, ſiccataque in marmoreo monumento condere. His etiam induntur merces, quas felix profert Panchaia, pinguiſque Aſſyria, Eoïque Arabes, ſimulque unà cum his lacrymæ mei memores. Ita ego cupio in oſſa mutatus collocari. At

ANNOTATIONES.

quos in more poſitum fuiſſe, ut *lacte* etiam conſpergerentur reliquiæ & oſſa mortuorum, cum Tibullo noſtro docet Virgilius lib. Æneid. 3.

Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte,
Sanguinis & ſacri pateras, animamque ſepulcro
Condimus. ———

21. *Humorem tollere velis carbaſeis.*] Alii legunt, *ventis.* Hinc porrò conſtat oſſa mortuorum, poſtquàm eſſent vino, lacte, atque variis odoribus reſperſa, Veteres linteis exſiccaſſe, & abſterſiſſe, ut humor quo fuerant irrigata, exſugeretur. Quod etiam nunc apud Turcas fieri conſueviſſe refert Philippus Lonicerus tom. 1. part. 2. cap. 19. Hiſtor. Turc. *Ablutum cadaver duobus linteis funeralibus itidem è xyline textis abſtergunt, & exſiccant. ſiccatumque cadaver thymiamate aſpergunt, &c.*

22. *Marmoreâ ponere ſicca domo.*] Hîc *domus* ſumitur pro tumulo ſeu monumento, quod erat ut plurimùm *marmoreum* maximè ſi ditiores fuiſſent mortui, aut non infimo loco nati.

23. *Panchaia.*] Regio eſt Arabiæ felicis, in qua arbores thuriferæ ſponte naſcuntur. Hanc nonnulli putant eamdem eſſe cum Sabæa regione, in qua etiam thus naſcitur.

Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.

24. *Eoïque Arabes.*] *Arabia* Orientalis eſt & latè patens Aſiæ ad mare Erythræum inter ſinum Perſicum, & ſinum Arabicum regio, in qua eſt Panchaia à Poëtis tantopere decantata. In ea etiam regione mons eſt ille celeberrimus in ſacris Scripturis *Sina*, qui & *Oreb* dicitur. Incolæ *Arabiæ* dicuntur *Arabes*, unguentis & aromatibus ditiſſimi, qui dicuntur *Eoi*, quòd ad orientem ſeu auroram ſint poſiti; Aurora quippe Græcè dicitur [illegible]. Unde *Eous* dicitur Orientalis eodem prorsùs modo, quo Heſperius dicitur occidentalis, ſeu ad occidentem ſolem poſitus. Ovid. lib. 2. Amor.

Gallus, & Heſperiis, & Gallus notus Eois.

Propert. lib. 2. Eleg.

Sive illam Heſperius, ſive illam oſtendet Eous.

Dives Aſſyria.] *Aſſyria* regio eſt majoris Aſiæ, ita dicta ab *Aſſur* filio Sem, quæ, ſi Straboni credimus, Babyloniam, Meſopotamiam, maximamque circumjacentium regionum partem complectitur. *Aſſyria* dicta eſt etiam à Græcis, Syria, ſed longè multò latiores fuerunt fines Syriæ quam *Aſſyriæ*, quæ ſecundùm rei veritatem pars tantùm Syriæ fuit. De hac jam ſuprà diximus.

25. *Lacrymæ fundantur.*] Mortuorum oſſa antequam tumulo conderentur, lacrymis amicorum irrigari ſolita fuiſſe, innumera probant Veterum teſtimonia. Ovid. Epiſt. Hypermneſt. ad Lincæum.

Et ſepeli lacrymis perfuſa fidelibus oſſa.

26. *Sic ego componi verſus in oſſa.*] Reliquias & oſſa mortuorum vino, la-

Sed triſtem mortis demonſtret littera cauſam,
Atque hæc in celebri carmina fronte notet:

INTERPRETATIO.

mæſtam inſcriptio cauſam lethi indicet, hoſque verſus in inſigni titulo deſignet.

ANNOTATIONES.

&c, ungentis & odoribus delibuta, lacrymis etiam irrigata componebant, hoc eſt, in ſepulcro collocabant, & ſepeliebant. Unde vox illa, *componere*, & *componi*, apud Veteres pro *ſepelire*, & *ſepeliri* ſæpiùs uſurpatur.

Horat. lib. 1. Satyr. 1.

Omnes compoſui felices;

Propert. lib. 2. Eleg. 24.

Tu mea compones oſſa:

Catullus noſter de fratre ſuo.

Quem nunc tam longè, non inter noſta ſepulcra,
Nec prope cognatos compoſitum cineres.

Cornelius etiam Tacitus lib. Hiſtor. *Piſonem Verania uxor, ac frater Scribonianus compoſuere.*

Non tamen cineres & oſſa nudè componebantur ſeu ſepeliebantur, ſed vaſculis quibuſdam incluſa, quæ Latini *Urnas* vocaverunt. *Urnæ* porrò illæ pro cujuſcumque conditione & facultate erant vel viles, vel pretioſæ. Homerus enim refert lib. Iliad. Ψ. & Ω. illuſtrium Virorum oſſa aureis urnis fuiſſe compoſita, ſeu condita. Eutropius de Trajano lib. 8. *Solus omnium Imperatorum intra urbem ſepultus eſt. Oſſa ejus collocata in urna aurea in foro, quod ædificavit ſibi.*

Urnæ verò argenteæ meminit Ammian. Marcellin. lib. 19. *Poſt inconſum corpus, oſſaque in argenteam urnam conjecta, &c.*

Fictilium denique *urnarum* meminit Propertius lib. 2. Eleg. 12.

Deinde ubi ſuperpoſitus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat Manes parvula teſta meos.

Fuerunt etiam aliquando iſtæ *urnæ* marmoreæ & lapideæ, ut habet Xiphilinus in Severo. Καὶ μετὰ τοῦτο τὰ ὀστᾶ εἰς ὑδρίαν πορφυροῦ λίθου ἐμβληθέντα, ἐς τὴν Ῥώμην ἐκομίσθη, καὶ ἐς τὸ Ἀντωνίνειον ἀπετέθη. *Oſſa in urnam factam ex lapide porphyretico conjecta Romam perlata, & in Antoniano repoſita ſunt.*

27. *Mortis demonſtret littera cauſam.*] Ex innumeris veterum Authorum teſtimoniis conſtat olim tumulis titulos & inſcriptiones, quæ modò verſibus, modò proſâ oratione concipiebantur, addi conſueviſſe. Ovid. Epiſt. Hypermneſt. ad Lyncum ſeu Lyncæum.

Sculptaque ſint titulo noſtra ſepulcra brevi.

Martialis lib. 10. Epigram. 71.

Quiſquis læta tuis, & ſera parentibus optas
Fata, brevem titulum marmoris hujus ama.

Virgil. Ecloga V.

Et tumulum facite, & tumulo ſuperaddite carmen.

Trebellius Pollio in Valerianis. *Mittendum in litteras cenſui hunc Valerianum circa Mediolanum ſepultum addito titulo, Claudii juſſu; VALERIANUS IMPERATOR.*

Iſtæ porrò monumentorum inſcriptiones apud Romanos erant adeò frequentes, ut puerorum etiam & ſervorum viliumque capitum ſepulcra titulis exornarentur, quod ex infinitis lapidibus videre eſt.

Ex his autem noſtri Tibulli verbis; *Mortis demonſtret littera cauſam, &c.* innoteſcit non ſolùm nomen, parentes, familiam, & patriam defunctorum, ſed mortis interdum etiam cauſam tumulis adſcriptam fuiſſe; quod etiam teſtatur Ovid. lib. 9. Metamorph.

Neve merere meo ſubſcribi cauſa ſepulcro.

Idem Ovid. Epiſt. Phyllidis ad Demophoontem.

Inſcribère meo cauſa invidioſa ſepulchro.

Lygdamus hîc ſitus eſt : dolor huic, & cauſa Neæræ
Conjugis ereptæ, cauſa perire fuit.

INTERPRETATIO.

Hic jacet Lygdamus. Ipſi mœror & amor Neæræ ſponſæ abreptæ cauſa fuit moriendi.

ANNOTATIONES.

Idem lib. 5. Faſt. tumulo Didûs inciſum carmen fingens.

——— tumulique in marmore carmen
Hoc breve quod moriens ipſa reliquit erat.
Præbuit Æneas & cauſam mortis, & enſem :
Ipſa ſuâ Dido concidit icta manu.

Ejus generis etiam eſt illa infelicis inſcriptio monumenti apud Plin lib. 29. cap. 1. quâ mortuus vivos admonet, SE TURBA MEDICORUM PERIISSE.

28. *Celebri fronte.*] *Frons* hîc à nonnullis ſumitur pro longitudine, quomodo ſumitur à vetere Interprete Horatii Satyra 8. lib. 1. Sermon. in hunc verſum,

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat. ———

Ubi vetus Interpres ait, *in fronte*, id eſt, *in longitudine: in agrum*, hoc eſt, *in latitudine.* Ab aliis autem *frons* hic ſumitur pro tumuli *frontiſpicio*, ſeu parte illâ, quæ viam ſpectaret celebrem, ſeu tritam, ut moris erat apud Veteres, ut tumuli & monumenta ſecus vias maximè celebriores exſtruerentur. Virgil. in Culice.

His tumulus ſuper inſeritur, tum fronte locatur
Elegium.

29. *Lygdamus hic ſitus eſt.*] Solemnes erant verborum formulæ, quibus tumulorum tituli inſcriptionesſque concipiebantur, HIC SITUS EST. vel, HIC JACET.

Ovid. lib. 2. Metamorphoſ.

Hic ſitus eſt Phaeton currûs auriga paterni.

Tibullus etiam noſter lib. 1. Eleg. 3.

Quod ſi fatales jam nunc explevimus annos,
Fac lapis inſcriptis ſtet ſuper oſſa notis.
Hic jacet immiti conſumptus morte Tibullus,
Meſſalam terrâ dum ſequiturque mari.

Martial lib. 6. Epigramm. 57.

Hoc jacet in tumulo raptus puerilibus annis,
Pantagathus domini cura dolorque ſui.

Plinius Junior lib. 6. epiſt. 10.

Hic ſitus eſt Rufus, pulſo qui vindice quondam
Imperium aſſeruit non ſibi, ſed patriæ.

Dolor & cura Neæræ, &c.] Conſtat ex Horatio Ode ad Tibullum Neæram ejuſdem Tibulli amicam eſſe Glycerem ; nam de eadem re ibi ſermo, de qua hic agitur, nempè de dolore Tibulli ob ereptos ſibi amores. Unde forſan ficto nomine & ſimulato Neæram, quomodo ſe Lygdamum vocat.

ELEGIA III.

ELEGIA III.

QUID prodeſt cœlum votis impleſſe, Neæra?
  Blandaque cum multâ thura dediſſe prece?
Non ut marmorei proditem è limine tecti
  Inſignis clarâ, conſpicuuſque domo:
Aut ut multa mei renovarent jugera tauri,
  Et magnas meſſes terra benigna daret:
Sed tecum ut longæ ſatiarem gaudia vitæ,
  Inque tuo caderet noſtra ſenecta ſinu.
Tunc, cùm permenſo defunctus tempòre lucis
  Nudus Lethæâ cogerer ire rate.
Nam grave quid prodeſt pondus mihi divitis auri?
  Arvaque ſi findant pinguia mille boves?

INTERPRETATIO.

O NEÆRA, *quid juvat Superos votis oneraſſe, & grata* Diis *thura cum plurimis precibus obtuliſſe?* Non equidem hoc feci, *ut è domo ex marmore ſtructa clarus, & nobili genere illuſtris proditem, vel ut mei boves plurima* agri *jugera exercerent, & ut tellus fœcunda redderet amplas meſſes: at ut tecum,* ô Neæra, *explerem diuturna vita gaudia, & mea ſenectus occumberet in tuo gremio. Tunc* nempè *quando exacto vita ſpatio nudus compellerer vehi Lethæo navigio. Etenim quid me juvat grande pondus auri pretioſi, ac ſi mille tau-*

ANNOTATIONES.

1. *Quid prodeſt.*] Tibullus Neæram alloquens, eamque vehementer ſibi reconciliari cupiens, vota multa ſe Diis perſolviſſe, ut ipſa ſibi reſtituatur, dicit, negatque quidquam ſibi à cariſſima Neæra abſtracto poſſe eſſe aut contingere apud mortales jucundum; ſeque exoptare ſignificat è vivis abire ad Inferos, ſi nulla ſit ſpes fore, ut in gratiam cumipſa redeat.

2. *Blandaque thura.*] *Thura* dicuntur *blanda*, quod nempè Diis quaſi *blandiantur*, ut faciliùs exorentur, vel quod *blandos* eos, ſeu propitios faciant, Unde etiam Propert. lib. 4. Eleg. 6.

Ceſtum molle date, & blandi mihi
  thuris honores.

4. *Inſignis conſpicuuſque clarâ domo.*] Senſus eſt: vota Diis perſolvi, non ut nobilis & claritate generis illuſtris fierem, aut opulentus, & dives, ſed ut teipsâ frui potirique, totamque vitam tecum exigere, & in ſinu tuo ſenex obire poſſem.

10 *Lethæâ cogerer ire rate.*] Cymbam ſeu navigium Charontis intelligit; quem Veteres mortuorum animas per Paludem Stygem ad Inferos & flumen *Lethe* tranſvehere finxerunt. Unde *Portitor Inferorum* dicitur, Virgil. lib. 6. Æneid.

Ipſe ratem conto ſubigit, veliſque
  miniſtrat,
Et ferrugineâ ſubvectas corpora cymbâ.

Quidve domus prodeſt Phrygiis innixa columnis,
Tænare ſive tuis, ſive Caryſte tuis?

Interpretatio.

ri arent agros feraces? Quid etiam juvant palatia ſuſtentata Phrygiis columnis? vel tuis, ô Tænare, vel etiam tuis, ô Caryſte? Quid etiam

Annotationes.

13. *Phrygiis innixa columnis*] Marmor *Phrygium* ſeu *Phrygius lapis* magno fuit in honore apud Antiquos. Horat. lib. 3. Od.

Quod ſi dolentem nec Phrygius lapis.

Lapis autem *Phrygius* alio nomine dictus eſt *Synnadicus*, ab urbe Phrygiæ *Synnada*, in cujus ſolo olim marmor illud laudatiſſimum effodiebatur; ut teſtatur Strabo Geograph. lib. 12. cujus quidem verba referre non pigebit: Σύνναδα δ' ἐστὶν ὀ μεγάλη πόλις. πρόκειται δ' αὐτῆς ἐλαιόφυτον πεδίον, ὅσον ἑξήκοντα σταδίων. Ἐπέκεινα δ' ἐστὶ Δοκιμία κώμη, καὶ τὸ λατόμιον τοῦ Συνναδικοῦ λίθου. Οὕτω μὲν Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, οἱ δ' ἐπιχώριοι Δοκιμίτην καὶ Δοκιμαῖον. Κατ' ἀρχὰς μὲν μικρὰς βώλους ἐκδιδόντος τοῦ μετάλλου. Διὰ δὲ τὴν πολυτέλειαν τῶν Ῥωμαίων κίονες ἐξαιροῦνται μονόλιθοι μεγάλοι πλησιάζοντες τῷ ἀλαβαστρίτῃ λίθῳ κατὰ τὴν ποικιλίαν. ὥστε καίπερ πολλῆς οὔσης τῆς ἐπὶ θάλατταν ἀγωγῆς τῶν τηλικούτων φορτίων, ὅμως καὶ κίονες καὶ πλάκες εἰς Ῥώμην κομίζονται θαυμασταὶ κατὰ τὸ μέγεθος, καὶ κάλλος. *Synnada urbs eſt non magna; ante eam jacet campus oleis conſitus, ſtadiorum circiter ſexaginta. Ulterius eſt Docimia pagus & lapidicina, ſeu lapidifodina Synnadici lapidis. Sic enim Romani appellant: nam incolæ Docimitidem & Docimæam vocant. Hæ fodinæ initio exiguas glebas emittebant: ſed ob ſumptuum magnitudinem, quam nunc faciunt Romani, eruuntur magnæ columnæ ſolidi lapidis, varietate ad alabaſtricum accedentes lapidem; ita ut quanquam multum hujuſce onerum ad mare vectum deducatur, tamen & columnæ, & tabulæ Romam perferuntur magnitudine atque pulchritudine admirandæ.* Unde & Claudianus in Stilicone ſcripſit,

——— *pretioſaque picta*
Marmore purpureis cadit quod Synnada venis.

14. *Tænare ſive tuis.*] *Tænarus, i*, ſive *Tænara, orum*, promontorium eſt Laconiæ regionis in Peloponeſo, ubi antrum olim oſtendebatur per quod Herculem ab Inferis rediiſſe Poëtæ fabulati ſunt, Cerberumque vinctum ad Superos traxiſſe: vulgoque creditum eſt apud Veteres eas inferorum eſſe fauces. Juxta hunc ſpecum, qui valdè umbroſus ad radices montis eſt, marmor coloris viridis *Laconicum* dictum effodiebatur, quod & *Tænarium* à loco cognominabatur.

Propert. lib. 3. Eleg. 2.

Quod non Tænariis domus eſt mihi fulta columnis

Sive Caryſte tuis.] *Caryſtus*, ſeu *Caryſtes*, Inſulæ Eubœæ oppidum eſt in maris littore ad radices Ochæ montis ſitum, cujus meminerunt Strabo lib. 10. Plin. lib. 4. cap. 12. & Pompon. Mela lib. 2.

Apud illam olim civitatem marmoreæ columnæ excidebantur macularum multiplicisque coloris varietate in primis commendatæ, quæ à loco *Caryſtiæ* dictæ ſunt. Ibidem etiam dicitur à Strabone naſci lapis textilis, ex quo pennus & mantilia conficiuntur, quæ ubi ſordes contraxerunt, in flammam injecta purgantur, perinde atque lotione linteorum maculæ eluuntur. Locus etiam eſt in Laconica regione *Caryſtus* nomine juxta Arcadiam, unde vinum *Caryſtium* celebre, & unde etiam, ſi Stephano credatur, marmor & columnæ eruebantur.

Et nemora in domibus ſacros imitantia lucos?
Aurataeque trabes, marmoreumque ſolum?
Quidve in Erythræo legitur quæ littore concha,
Tinctaque Sidonio murice lana juvat?
Et quæ præterea populus miratur? in illis
Invidia eſt. Falſo plurima vulgus amat.
Non opibus mentes hominum curæque levantur;
Nam fortuna ſuâ tempora lege regit.

INTERPRETATIO.

proſunt *ſilvæ in tectis ſanctos* Deorum *referentes ſaltus? quid trabes deauratæ, & pavimentum marmoreum? Quid denique proſunt gemmæ, quæ in mari Erythræo colliguntur, & lana oſtro Sidonio infecta, atque inſuper* cætera *quæ plebs admiratur? In his* enim omnibus *livor eſt*. Multa ſunt *quæ temerè multitudo diligit. Non* equidem *divitiis mentes mortalium & ſollicitudines ſublevantur: ſuis enim legibus fortuna ordinat tempora.* O Cara Næra,

ANNOTATIONES.

15. *Nemora in domibus ſacros imitantia lucos.*] Silvæ manu hominum conſitæ, & viridaria voluptatis gratiâ & amœnitatis olim in nobilium virorum ædibus, & domorum tectis frequentiſſima fuerunt. Unde Seneca Epiſtolâ 121. *Non vivunt contra naturam, qui pomaria in ſummis turribus ferunt, quorum ſilvæ in tectis domorum ac faſtigiis nutant, inde ortis radicibus, quo improbè cacumina egiſſent.* Alter Seneca in Thyeſte. *Nulla culminibus meis impoſita nutat ſilva.* Horat. lib. 3. Od. 10.

Audis quo ſtrepitu janua, quo nemus
Inter pulcra ſitum tecta remugiat
Ventis.

Luci porrò ſunt loca incæduis arboribus conſita Deorum nominibus, & Religioni, vel alicujus magni Viri cineribus conſecrata: Unde maximè quondam circa delubra, aut ſepulcra erant poſita.

16. *Aurataque trabes.*] *Trabes* apud Antiquos auro illinebantur, ut ſumptuoſiores viderentur; quod noſtris quidem etiam temporibus apud multos factitari cernimus.

Marmoreumque ſolum.] Hic *ſolum* pro pavimento ſumitur. Mirum quidem eſt, quantum elegantiæ & luxûs olim ſicut & noſtris temporibus, à voluptuariis quæſitum ſit in pavimentis, quæ fuerunt picta, teſſellata, ſculptilia, ſcutulata, & ſectilia, hoc eſt, ſegmentis pretioſi marmoris, vel laterculorum, murrhinorum, aut vitri, lignive teſſelis compaginata, vel coloribus amœniſſimis tincta. Horum omnium differentiam Plin. lib. 36. cap. 25. & Vitruv. lib. 5. cap. 10. & lib. 7. cap. 1. explicarunt.

17. *Erythræo littore concha.*] Mare *Erythræum* propriè dicitur pars illa Oceani Orientalis, quæ ad Arabiam, inde Perſicum & Arabicum ſinum accedit. Hic autem ſumitur pro mari toto Orientali, in quo lapilli pretioſi, Unioneſque, & conchæ gemmas & margaritas proferentes inveniuntur. De concharum origine & luxu, vide Plin. lib. 9. cap. 35.

18. *Sidonio murice.*] Marinus piſcis eſt *murex* ex concharum genere, cujus ſucco purpura tingitur. Ideo vocatur *murex* conchylium κατ' ἐξοχὴν, & ſumitur ſæpiùs pro ipſa purpura, quæ optima apud *Sidonem* tingebatur. *Sidon* porrò civitas eſt nobiliſſima Phœniciæ ad mare, de dignitate, claritate, & antiquitate cum Tyro ejuſdem etiam regionis inclitâ urbe contendens.

21. *Non opibus mentes, curæque levantur.*] Præclaræ huic ſententiæ ſimilis eſt iſta Varronis,

Sit mihi paupertas tecum jucunda, Neæra,
  At ſine te regum munera nulla volo.
O niveam, quæ te mihi poterit reddere, lucem!
  O mihi felicem terque quaterque diem!
At ſi pro dulci reditu quæcumque voventur,
  Audiat averſâ non meus aure Deus:
Nec me regna juvant, nec Lydius aurifer amnis,
  Nec quas terrarum ſuſtinet orbis opes.
Hæc alii cupiant, liceat mihi paupere cultu
  Securo carâ conjuge poſſe frui.

INTERPRETATIO.

ſit mihi tecum grata pauperies; at verò abſque te omnes divitias regum nolo. O felicem diem, qui te mihi valebit reſtituere! ô lucem ſepties beatum! Sed ſi omnia, quæ pro jucundo reditu ad me tuo *devoventur, Deus mihi non propitius averſis auribus percipiat: neque mihi imperia placeant, nec Lydius fluvius aurum ferens, neque omnes divitia, quas totus continet mundus. Iſta alii exoptent.* Tantùm *mihi ſecuro contingat tenui cultu*

ANNOTATIONES.

Non ſit theſauris, non auro pectus ſolutum.
Horat. etiam ſimiliter.
——— non æris acervus & auri
Ægroto domini deduxit corpore febrim.

24. *Sine te Regum munera nulla volo.*] Idem jam ſuprà lib. 1. Eleg. 9. V. 34.
Et Regum magnæ deſpiciantur opes.
Idem etiam præſentis hujus Elegiæ v. 29.
Nec me regna juvant, nec Lydius aurifer amnis,
Nec quas terrarum ſuſtinet orbis opes.
Hæc alii cupiant, liceat mihi paupere cultu
Securo charâ conjuge poſſe frui.
Plautus etiam in Curcul. in eamdem ferè ſententiam dixit,
Sibi ſua habeant regna Reges, ſibi divitias divites,
Sibi honores, ſibi virtutes, ſibi pugnas, ſibi prælia;
Dum mihi abſtineant invidere; ſibi quiſque habeat, quod ſuum eſt.
Et poſt pauca.
Siquidem hercle mihi regnum detur, nunquam id potiùs perſequar
Quando ego te video. ———

25. O *niveam lucem.*] Hoc eſt, fauſtam & fortunatam, quomodo Catullus 2. Carm. 18 dicit:
Fulsêre quondam candidi tibi ſoles.

27 *Pro reditu quacumque voventur.*] Veteres pro reditu eorum, qui longè à patria peregrinarentur, ſuſcipere vota conſueverant; ut denſa probat exemplorum nubes.
Virgil. lib. 2 Æneid.
Votum pro reditu ſimulant.
Ovid, lib 2. Amor. Eleg. 11.
——— pro reditu victima vota cadet.
Sueton in Caligul. cap. 14 *Cum paucos poſt dies in proximas Campaniæ Inſulas trajeciſſet, vota pro reditu ſuſcepta ſunt*

29. *Nec Lydius aurifer amnis.*] Pactolum *Lydiæ* fluvium intelligit, qui dicitur aureas arenas & ſtrigmenta auri ſimul cum undis devolviſſe; unde Chryſorthoas dictus eſt. Cur autem Pactolus aureas arenas trahere dictus ſit, hanc afferunt rationem Hyginus fabulâ 191. & Fulgent. Mythologicon lib. 2. *Midas rex Apellinum*, vel ut vult Hyginus, *Bacchum petiit, ut quidquid tangeret, aurum fieret: quod cum impetraſſet, ac cibus etiam ejus & potus*

Adſis & timidis faveas, Saturnia, votis,
Et faveas conchâ Cypria vecta tuâ.
Aut ſi fata negant reditum, triſteſque ſorores
Stamina quæ ducunt, quæque futura canunt:
Me vocet in vaſtos amnes, nigramque paludem
Ditis in ignava luridus Orcus aqua.

INTERPRETATIO.

poſſe potiri dilectâ mihi ſponsâ. Ades mihi, ô Saturnia, & annue ſupplicibus votis; tu quoque adſis, ô Dea Cypri, quæ conchâ tuâ veheris. Vel ſi duræ ſorores, quæ vitæ noſtræ *fila volvunt, & res futuras ordinant, reddere* ad me *Neæram renuunt; triſtis Orcus languida palude me trahat in profunda flumina, & obſcuros lacus Ditis.*

ANNOTATIONES.

in aurum converterentur, & fame cruciaretur, & ita eſſet neceſſitas aurea, & locuples penuria, Deum petiit, ut ſibi tam ſpecioſum donum eriperet. Reſponſum itaque accepit, ut caput fluminis Pactoli ter ablueret; quo facto per Midæ corporis contactum fluminis aqua facta ſuit aurea, unde dictus eſt aquas aureas & fluctus aureos traxiſſe

33. *Saturnia*] Juno Saturni filia, Jovis ſoror; ſic dicta à patre Saturno. Virgil. lib 12. Æneid. v. 830.

Et germana Jovis, Saturnique altera proles.

34. *Cypria conchâ vecta tuâ*] Venus quæ *Cypris* & *Cypria* dicitur, vel quòd in *Cypro* genita ſit, ut vult Heſiodus; vel quòd ei primùm in *Cypro* Inſula Templum ſit conſtitutum, ut vult Feſtus; vel ut alii volunt, quòd maximè in *Cypro* coleretur. Dicitur autem *conchâ vehi* Venus, quòd ex ſpumis in mari concepta, & primùm genita in *concha* ſtatim devecta ſit in *Cyprum* Inſulam. Venerem *conchâ vectam* & è mari exeuntem dedicavit Auguſtus in delubro patris Cæſaris, ut refert Plin. lib 35. cap. 10.

35. *Triſteſque ſorores.*] Parcas intelligit, quæ tres à Poëtis finguntur, fatis præſidere, vitæ humanæ ſtamina ad arbitrium diſpenſantes. Hæ porrò ſunt Clotho, Lacheſis, & Atropos, quarum primam volunt colum geſtare, alteram nendo humanæ vitæ terminum præfinire, tertiam denique filum incidere, hoc eſt, vitam noſtram tempore ſtatuto abrumpere. Unde etiam illud tritum.

Clotho colum bajulat, Lacheſis net; Atropos occat.

36. *Futura canunt.*] Plures cum Scaligero legunt, *nennt*, ſed malè: barbarum enim eſt illud, nec poteſt eſſe à *neo*, *nes*, *nere*, quod in tertia perſona plurali non exit in *nennt*, ſed in *nent*. Cum autem Parcæ non modò lanificæ, ſed etiam fatidicæ dicantur à Poëtis, quales & Catullus in Epithalamio Pelei & Thetidis inducit, dicens,

Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus.

Et poſt pauca,

Talia præfantes quondam felicia Pelei
Carmina divino cecinerunt omine Parcæ.

Hinc conſtare videtur noſtræ lectionis ſinceritas. quam etiam Tibullo noſtro contra Scaligerum aſſeruit eruditiſſimus & ſagaciſſimus Nicol. Heinſius ad Ovid. Heroïd. Epiſt. 17. v. 194.

37. *Nigramque paludem.*] Stygem apud Inferos fluvium vel *paludem* à Superis tantâ in veneratione habitam, ut nefas ducerent quidquam eorum, quæ per Stygem juraſſent, quovis modo violare. Si quis verò contrà feciſſet, totos centum annos divinitate ſpoliatus à nectare arcebatur.

ANNOTATIONES.

38. *Luridus Orcus.*] Inferorum fluvius eſt ab Styge defluens, qui ſæpiùs pro Plutone ſumitur, atque etiam pro Charonte. Iſidor. lib. Originum 8. *Orcum vocant receptorem mortuum, unde & orca nuncupatur, vas, quod recipit aquas.* Hic verò ſumitur pro fluvio Inferorum, qui dicitur etiam *luridus* ab Horatio lib. 3. Carminum Od 4.

Mœretque partus fulmine luridum
Miſſos ad Orcum.

ELEGIA IV.

DII meliora ferant, nec ſint inſomnia vera,
Quæ tulit heſternâ proxima nocte quies.
Ite procul; vanum, falſumque avertite viſum:
Deſinite in vobis quærere velle fidem.
Divi vera monent, venturæ nuntia ſortis
Vera monent Thuſcis exta probata viris.
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pavidas mentes falſa timere jubent;

INTERPRETATIO.

ORo ut *meliora dent Divi, & ne ſint ſomnia mea vera quæ peſſimus ſomnus heſternâ nocte induxit. Longè abſcedite, ô* inſomnia, *& depellite fruſtraneam & fictam apparitionem, deſiſtite cupere, ut vobis fides adhibeatur. Dii vera nuntiant; futuri eventus inteſtina prænuncia approbata Thuſcis hominibus veritatem* etiam *indicant.* At *inſomnia vana doloſâ nocte*

ANNOTATIONES.

1. *DIi meliora ferant.*] Somnium ſuum refert Tibullus, illudque abominatur, ut vanum & inane, quo ſibi viſus fuerat ex Apolline ipſo didiciſſe Neæram alterius viri amore eſſe correptam: ipſam verò tandem Dei juſſu monet, ne quid ejuſmodi conſilii capiat, Deoſque precatur, ut mala iſta & inſomnia averruncent. Interdum porrò Veteres malum quodcumque imminens amolientes dicere ſolebant abſolutè, *Dii melius*, vel *Dii meliora*: ut Valer. Max. lib. 5, *Dii melius, quod hunc animum viros eorum non dederunt.* Interdum verò verbum addebant, ut hic Tibullus, *Dii meliora ferant.* Lucil. 27. Satyr. *Dii maluerint meliora, atque amentiam averruncaſſint tuam.* Symmach. lib. 2. Epiſt. 55. *Dii meliora procurent.* Sic & apud Plautum: *Dii melius faciant. Dii melius faxint.*

2. *Quæ tulit heſternâ nocte quies.*] *Noctem heſternam* Tibullus dixit etiam infrà hujus lib. Eleg. 7. v. 37.

Heſternâ quam te ſolum quod nocte reliqui.

4. *Divi vera monent.*] O ſomnia, deſinite quærere, ut in vobis fides reperiatur, quoniam ſolummodò Dii vera prænunciant, non vos. Exta etiam verè indicant Deorum voluntatem; ſomnia verò fallacibus ſpectris & imaginibus falſis, & errantibus umbris timidas mentes hominum deludunt. In oraculis & extiſpiciis veritas ineſt, non in ſomniis.

5. *Thuſcis exta probata viris.*] *Thuſcorum* gens quantopere artis *extiſpicina*, ſeu aruſpicinæ, religione, rerumque divinarum intelligentiâ excellere credita ſit, norunt omnes, qui Veterum monumenta tantiſper attigerunt.

Et vanum ventura hominum genus omina noctis
Farre pio placant, & ſaliente ſale.
Et tamen utcumque eſt, ſive illi vera moneri,
Mendaci ſomno credere ſive volent:
Efficiat vanos noctis Lucina timores,
Et fruſtrà immeritum pertimuiſſe velit,
Si mea nec turpi mens eſt obnoxia facto,
Nec læſit magnos impia lingua Deos.
Jam nox æthereum nigris emenſa quadrigis
Mundum cæruleo laverat amne rotas:
Nec me ſopierat menti Deus utilis ægræ
Somnus; ſollicitas deficit ante domos

INTERPRETATIO.

deludunt timidos hominum animos. coguntque vana etiam & *falſa metuere; ſed humana gens in ſollicitudines prona noctis omina molâ & ſale crepitante de veneratur. Attamen quomodocumque res tandem ſit, ſeu illi cupiant vera indicari, ſeu fidem habere fallaci ſopori: Lucina afferat inanes metus noctu, & incaſſum cupiat immerentem me metuiſſe; ſi meus animus malo facinore non eſt obſtrictus, neque lingua mea Divos potentes offendit. Jam tum nox ſublime Cœlum atra quadrigis emenſa, abluerat currum ſuum cæruleo oceano; neque* tamen *ſomnus animo anxio utilis me ſoporaverat. Apud domos enim curis agi-*

ANNOTATIONES.

10. *Farre pio placant.*] Hic *far* Poëta noſter pro mola poſuit; ut etiam Virgilius lib. 5. Æneid.

——— Cana penetralia Veſtæ
Farre pio, & plenâ ſupplex veneratur acerrâ.

Mola autem nihil aliud eſt quàm *far* molitum, toſtum, & ſale ſparſum, quo hoſtiæ mactandæ perfundebantur: unde immolare propriè eſt ejuſmodi molâ & ſale hoſtiam perfuſam offerre, ſeu ſacrificare.

Et ſaliente ſale.] *Sal* cum in ignem injicitur ſponte crepitans exilit, ſeu emicat. Unde & Horat. lib. 3. Od.

Farre pio, & ſaliente micâ.

15. *Lucina*] Quæ eadem eſt Diana & Luna, à luce ſic dicta. Catullus Carm. 35. v. 13.

Tu Lucina dolentibus;
Juno dicta puerperis,
Tu potens Trivia, & noto es
Dicta lumine Luna.

14. *Velit.*] Deos obteſtabantur, ut vellent annuere. Virgil. lib. 1. Æneid.

Hunc lætum Tyriiſque diem, Trojaque profectis
Eſſe velis.

Noſter etiam Tibullus infrà lib. 4. ad Priapum.

Pro quibus officiis, ſi fas eſt, Sancte, paciſcar.
Aſſiduus cuſtos ruris ut eſſe velis.

Plin. lib. 10. Epiſtol. *Precati ſumus Deos, ut velint ea ſemper ſolvi, ſemperque ſignari.*

17. *Jam nox æthereum.*] Deſcribit noctis tempus, quo ſomnia ſolent mentes hominum dormientium invadere, jam præceſſiſſe, diemque demùm adveniſſe, cùm ſomno tandem oppreſſus Apollinem ſibi viſus eſt videre.

18. *Cæruleo laverat amne rotas.*] *Amnis* hic pro *Oceano* ponitur, ut etiam ſuprà dixit lib. 2. Eleg. 5. v. 62.

Solis anhelantes abluit amnis equos.

20. *Sollicitas deficit ante domos.*] In domibus ſollicitis, ſeu ſollicitudine agitatis deſideratur, ac penitus deficit ſomnus, nec illas adit, in quibus pleni curarum homines habitant. Unde

Tandem cùm ſummo Phœbus proſpexit ab ortu,
Preſſit languentis lumina ſera quies.
Hîc juvenis caſtâ redimitus tempora lauro
Eſt viſus noſtrâ ponere ſede pedem.
Non il!o quicquam formoſius ulla priorum
Ætas, humanum nec videt illud opus.
Intonſi crines longâ cervice fluebant:
Stillabat Tyrio myrtea rore coma.

Interpretatio.

tatas deficit. Denique cùm Phœbus ab alto Oriente reſpexit, tardus ſopor languido mihi oculos obruit. Tunc juvenis coronatus lauru caſtâ viſus eſt mihi ingredi domum meam. Nihil unquam ulla Majorum noſtrorum ætas habuit iſte pulcrius, neque humanum fuit iſtud ſimulacrum. Longi capilli ſublimi cervice defluebant, flava cæſaries madebat Tyrio nardo: erat ipſi nitor, qua-

Annotationes.

Seneca in Troade dixit, *Ignotam venire afflictis quietem.* Notum denique eſt eos inſomnes maximè agere noctes, qui amoris ardore, aut quovis alio curarum æſtu percelluntur. Ovidius.

——— ignes
Ipſe ſuos nutrit, curâ removente ſoporem.

21. *Redimitus tempora lauro.*] Habitum & caracteres deſcribit Apollinis, cui appoſitè lauream in capite tribuit, juxta il'ud Ovidii lib. 1. Metamorphoſ. ubi Apollo de lauro, in quam Nympha Daphne ipſi dilecta converſa eſt, ait:

——— At quoniam conjux mea non potes eſſe,
Arbor eris certè, dixit, mea. ſemper habebunt
Te coma, te cythara, te noſtra, Laure pharetra.

28. *Tyrio myrrhea rore coma.*] *Myrrhea coma* dicitur à colore & odore, ſeu unguento; color enim *myrrha* ſubflavus eſt, rectè conveniens Apòllinis comæ, quæ etiam *myrrhea* dicitur, quòd *myrrha*, quæ ſpecies ſemper fuit odoris & unguenti apud Antiquos exquiſitiſſima, fuerit delibuta. Juxta illud Horatii lib. 3. Od. 14.

Myrrheum nodo cohibere crinem.

Ovid. lib. 1. de Arte amandi.

Illius & lacrymis, quas arbor fundet odora
Ungimur, & dominæ nomina gutta tenet.

Legitur etiam à nonnullis *myrtea coma*, ſed malè. quanquam enim Scaliger, Diis etiam invitis, iſtam lectionem voluit obtrudere, Petroniumque, Columellam & Iſidorum, ut ſua commenta approbaret, teſtes protulit, aërem tamen & aquam verberavit; nunquam enim obtinebit, ut teſtimonia Petronii, Columellæ, & Iſidori ab ipſo in ſuam ſententiam detorta probent *myrteum* colorem eſſe eumdem qui *ſubflavus* aut *flavus* dicitur. Petronii namque locus, teſtimoniumque Columellæ colorem apertè viridem, *flavum* verò minimè, ut vult Scaliger, ſignificant. Iſido:us autem, quem velut Petronii & Columellæ clarum Interpretem pro ſua ſententia aſſumpſit Scaliger, ipſius ita cauſæ contrarius eſt, ut eam penitùs evertat, & *myrteum* colorem eumdem eſſe, qui *viridis* dicitur, idoneis & conceptis verbis demonſtrat. Hæc enim ſunt ejus verba lib. 6. origin. cap. 11. *Cùm peritiores Architecti neque aurea lacunaria ponenda in Bi liothecis putent, neque pavimenta alia, quàm è Caryſtio marmore, quod auri fulgor hebetat, &*

Candor

Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus:
Ut juveni primùm virgo deducta marito
Inficitur, teneras ore rubente genas:
Ut cùm contexunt amaranthis alba puellæ
Lilia, & Autumno candida mala rubent.
Ima videbatur talis illudere palla;
Namque hæc in nitido corpore veſtis erat.
Artis opus raræ fulgens teſtudine & auro
Pendebat lævâ garrula parte lyra.

INTERPRETATIO.

lem præ ſe habet Luna Latonia, & color purpureus in candido corpore. Quemadmodum puella pudore ſuffunditur, vultu genas rubore tingente, cùm primùm ſponſo juveni traditur: ſicut quando virgines lilia candida amaranthis intexunt, ac per autumnum poma alba rubeſcunt. Infima palla ejus calces percutere videbatur; hujuſcemodi enim veſtimentum tegebat ejus candidum corpus. Cithara ſonora, miræ induſtriæ opus, teſtudinis tegmine atque auro coruſcans dependebat à ſiniſtro ejus latere. Iſtam ut advenit ſtatim pul-

ANNOTATIONES.

Caryſtæi viriditas reficiat oculos. Nam & qui Nummulariam diſcunt denariorum formis myrteos pannos ſubjiciunt, & gemmarum ſculptores ſcarabæorum terga, quibus nihil eſt viridius, ſubinde reſpiciunt, & pictores idem faciunt, ut laborem viſûs eorum viriditate recreent

Poteſtne aliquid apertius contra Scaligeri ſententiam haberi?

19. *Latonia Luna.*] *Luna*, quæ eadem & Diana eſt, Apollinis, ſeu Phœbi ſoror *Latonia* vocatur à matre Latona, quæ ipſam Dianam, ſeu Lunam ſimul cum Apolline uno partu edidit.

31. *Primùm deducta marito.*] *Deduci* vocabulum eſt ſolemne in Veterum conjugiis. Cicero apud Macrobium lib. 2. Saturn. *Comparavit hunc fundum ſervilia tertiò deducta.*

Propert. lib. 4. Eleg. 3. v. 13.

Quæ mihi deductæ fax omen prætulit, illa
Traxit ab everſo lumina nigra rogo.

Cornelius Tacitus Annal. lib. 14. cap. 63. de Octavia. *Huic primus nuptiarum dies loco funeris fuit deductæ in domum, in qua nihil niſi luctuoſum, hæſeret, erepto per venenum patre & ſtatim fratre.*

33. *Contexunt Amaranthis alba puellæ.*] Mirum ſanè eſt, quantum *Amaranthus* apud Antiquos commendetur propter coloris ſuavitatem, quanquam nullo prorſus odoris afflatu donatur; floris hujus nitor Tyrias purpuras, & coccum quodvis, ſive ſaturatum fuerit, ſive dilutum rutilanti ſuo colore ac ſplendore vincit. Gaudet decerpi, & quò frequentiùs colligitur, eò libentiùs & lætiùs renaſcitur.

35. *Talis illudere palla.*] *Palla* propriè ex Servio veſtis eſt muliebris ad veſtigia uſque deducta. Conſtat autem tàm *pallam*, quàm *ſtolam* veſtes fuiſſe mulierum ita proprias, ut iis viri vix uti poſſent ſine vituperatione. *Pallam* porrò veſtem fuiſſe longam, & talos terramque attigiſſe teſtatur etiam Ovidius.

Verrit humum Tyrio ſaturata murice palla.

38. *Garrula lyra.*] *Lyra*, tibia, cithara, fiſtula, teſtudo, & chelys ſæpiùs ſumuntur à Poëtis pro uno & eodem, licèt reverà longè inter ſe diſcrepent. Græci quidem Mercurium *lyræ*, Apollinem verò cytharæ faciunt invento-

Hanc primùm veniens plectro modulatus eburno
Felices cantus ore ſonante dedit.
Sed poſtquàm fuerant digiti cum voce locuti,
Edidit hæc triſti dulcia verba modo.
Salve cura Deûm: caſto nam ritè Poëtæ
Phœbuſque, & Bacchus Pieridesque favent.

INTERPRETATIO.

ſans eburneo pectine fauſtos edidit ſonos, ore ejus ſimul canente. At ubi digiti ſimul cum voce modulati ſunt, hac jucunda verba lugubri ſono protulit. Ave ô Divorum amor: Poeta etenim pudico & Phœbus, & Bacchus.

ANNOTATIONES.

rem, &c. Sic etiam ſuprà Tibullus:
Garrula ſilveſtri fiſtula facta Deo.

40. *Ore canente.*] Vocis modulamen pariter adhibuit Apollo, ubi plectro pulſavit teſtudinem; ſimulque digiti ſonorum varietatem moderantes concentum & ſymphoniam ediderunt.

41. *Triſti dulcia verba modo.*] Suavia & grata erant verba, ſed ea proferendi modus erat triſtis, & ad Elegiam ſono lugubri temperatus.

43. *Salve cura Deûm.*] In Divorum tutela Poëtæ ſemper fuerunt, ut etiam cum Tibullo noſtro teſtatur Ovidius Elegiâ de ipſius Tibulli obitu.

At ſacri Vates, & Divûm cura vocamur:
Sunt etiam qui nos numen habere putent.

Caſto Poëta] Quamvis aliquando verſus ſint tenelluli, & molliculi Poëta tamen debet eſſe caſtus & pudicus; cùm Muſæ & Camœnæ, quas exercet, virgines & caſtæ exiſtant.

Catullus ad Aurelium & Furium Comites Carm. XV. v. 5.

Nam caſtum decet eſſe pium Poëtam
Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt.

Et licèt aliquando laſciviant Poëtarum ineptiæ, & petulcæ videantur, animi tamen eorum ſententia debet eſſe gravis & optima, vitaque proba: juxta illud Martialis ad Cæſarem.

Laſciva eſt nobis pagina, vita proba.

44. *Phœbuſque & Bacchus, Pierideſque*] Dii Poëtarum tutelares maximè ſunt, *Apollo*, *Bacchus*, & Muſæ, quæ & *Pierides*, ut etiam Tibullo noſtro concinens Ovidius lib. 3. de Arte amandi teſtatur.

O ita Phœbe velis, ita vos, pia Numina Vatum,
Inſignis cornu Bacche, novemque Deæ.

Idem Amor. lib. 1. Eleg. 3.

At Phœbus, comiteſque novem, vitiſque repertor
Hoc faciunt, &c.

Bacchus autem inter Poëtarum Deos ideò habetur, vel quòd idem ſit qui & Apollo, vel quòd ubertatis largitor, otium & pacis, in qua florent artes, arbiter exiſtimetur: vel quòd Poëtæ aliquando ſicut bacchantes furere dicuntur, unde Horatio maleſani lib. 1. Epiſt. ad Mecœnatem vocantur: vel denique quòd facundiam Poëtis tribuat. Vinum enim, quod per Bacchum intelligunt, fomes eſt quidam, & incitamentum virtutis & ingenii, quod acuit, ut ait Horat.

Fœcundi calices quem non fecere diſertum?

Quod etiam confirmat Martialis, aſſerens à Poëtis nihil præclarum aut poſteritate dignum, aut venuſtum proficiſci, ſi biberint aquam; ſi verò vinum potarint, omnia eximia & egregia ſcribere.

Martial. lib. 11. Epigram. 7.

Poſſum nil ego ſobrius, bibenti
Succurrunt mihi quindecim Poëtæ.

Sed proles Semeles Bacchus, doctæque Sorores
Dicere non norunt, quid ferat hora ſequens.
At mihi fatorum leges, ævique futuri
Eventura Pater poſſe videre dedit.
Quare ego quæ dico non fallax, accipe, Vates:
Quodque Deus vero Cynthius ore ferat.
Tantùm cara tibi, quantùm nec filia matri,
Quantùm nec cupido bella puella viro:
Pro qua ſollicitas cæleſtia numina votis,
Quæ tibi ſecuros non ſinit ire dies:
Et cùm te fuſco ſomnus velavit amictu,
Vanum nocturnis fallit imaginibus:
Carminibus celebrata tuis formoſa Neæra
Alterius mavult eſſe puella viri.
Diverſaſque ſuas agitat mens impia curas,
Nec gaudet caſtâ nupta Neæra domo.
Ah crudele genus, nec fidum fœmina nomen!
Ah pereat, didicit fallere ſi qua virum!

INTERPRETATIO.

& Pierides favent. At Bacchus filius Semeles, & eruditæ Sorores neſciunt indicare, quid tempus futurum adducat. Sed mihi Jupiter *parens conceſſit fatorum jura, & poſſe prænoſcere futuræ ætatis venturos caſus. Itaque, ô Poeta, audi ea, quæ ego non mendax loquor, & quid deus Cynthius ore veridico proferat. Pulcra* illa *Neæra verſibus tuis* tantopere *decantata plus tibi dilecta, quàm matri filia, & quàm formoſa virgo ardenti marito, propter quam Superos votis oneras, quæ nullos tibi tranquillos permittit effluere dies, & malè nocturnis tibi illudit ſimulacris, quando te ſopor contexit nigro velamine, vult potiùs alterius eſſe mariti uxor*, quàm tua, *atque animus* ejus *perfidus ſuos alterius*, non tuos *cogitat amores: Neæra denique* illa *viro juncta non amat pudicam domum.* O *ſæva progenies, & perfidum nomen, mulier! Ah ſi aliqua novit maritum decipere, pereat. Verùm pote-*

ANNOTATIONES.

46. *Quid ferat hora ſequens.*] Non enim Bacchi Muſarumque officium eſt res futuras prænoſcere.

48. *Eventura pater poſſe videre dedit.*] A Jove præ Diis cæteris habuit Apollo, ut futuros caſus prævideret, fatorumque leges cognoſceret: unde paſſim templa, & oracula habuit. Ad mentem Tibulli Virgilius lib. 3. Æneid. v. 251.

Quæ Phœbo Pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit

53. *Sollicitas cæleſtia numina votis.*] Idem ſuprà ſuperiori v. 1.

Quid prodeſt cœlum votis impleſſe, Neæra.

55. *Fuſco ſomnus velavit amictu.*] *Somnus* habitus eſt inter Deos ab Antiquis, quem cornu manu tenentem, veſte *fuſcâ*, ſeu nigrâ indutum apud Cimmerios ſedem habere ſomniarunt. Ovid. lib. Metamorphoſ. 11.

Eſt prope Cimmerios longo ſpelunca receſſu
Mons cavus ignavi domus & penetralia Somni.

59. *Diverſaſque ſuas agitat curas.*] *Diverſas.* ſeu alienas *curas* eodem modo dixit Virgilius lib. Æneid. 12.

Diverſaque vocans animum in contraria curæ.

61. *Crudele genus.*] Nullius animalis periculoſior eſt furor, aut ira cru-

Sed flecti poterit; mens eſt mutabilis illis.
Tu modò cum multâ brachia tende fide.
Sævus Amor docuit validos tentare labores:
Sævus Amor docuit verbera ſæva pati.
Me quondam Admeti niveas paviſſe juvencas
Non eſt in vanum fabula ficta jocum.
Tunc ego nec cytharâ poteram gaudere ſonorâ,
Nec ſimiles chordis reddere voce ſonos:
Sed perlucenti cantus meditabar avenâ,
Ille ego Latonæ filius atque Jovis.
Neſcis quid ſit Amor, juvenis, ſi ferre recuſas
Immitem dominam, conjugiumque ferum.

INTERPRETATIO.

ris forſan flecti; puellis enim *animus eſt mobilis. Tu verò nunc extende illi manus conſtanti cum fidelitate. Crudelis Amor oſtendit arduos ſuſcipere labores;* crudelis, inquam, ille *Amor erudiit dura flagella perferre.* Non *eſt commentum ad jocum inanem confictum me* regis *Admeti buculas albas ſervaſſe. Ego tunc temporis nequibam lyrâ canorâ recreari, neque voce edere cantus fidicinibus conſentaneos. At ipſe ego Latonæ & Jovis filius tenui avena calamo cantum modulabar. O adoleſcens, ignoras, quid ſit Amor, ſi renuis pati ſævam puellam, & durum connubium. Ne igitur dubita mollibus uti*

ANNOTATIONES.

delior, quàm mulieris; cujus tot exempla videre eſt in Veterum monumentis. Unde etiam Virgil. lib. Æneid. 4.

Notumque, furens quid fœmina poſſit.

Nec fidam fœmina nomen.] Etſi de mulieribus ſemper conquerantur amatores, utpote querulum genus; certum tamen eſt nihil eſſe ferè verius, quàm illud; *nec fidum fœmina nomen.* Nam fœminæ non modò inconſtantes, leves, & mente mutabili, juxta illud Virgilii Æneid. 4. v. 569.

varium & mutabile ſemper,
Fœmina.

Sed ſunt etiam ut plurimùm perfidioſæ & natæ fraudes componere.
Propert. lib. 2. Eleg. IX.

Sed vobis facile eſt verba & componere fraudes,
Hoc unum didicit fœmina ſemper opus.
Non ſic in incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hyberno tam tremefacta Noto;
Quàm citò fœmineâ non conſtat fœdus in ira,
Sive ea cauſa gravis, ſive ea cauſa levis.

63. *Mens eſt mutabilis illis.*] Omnes omninò fœminæ ſunt mobiles, inconſtantes, flecti faciles, animoque mutabili, juxta illud, *mobilior ventis fœmina.*

67. *Admeti paviſſe juvencas.*] *Admetus* Theſſaliæ Regis Apollinem à Jove divinitate ſpoliatum, novem annos armenta opere paſtoritio ſervaſſe vulgò fabulantur, quòd nimirùm Cyclopas Jovis fulminum miniſtros occidiſſet: ſed aliam hic ſequitur ſententiam Tibullus, quæ eſt Callimachi in Hymno Apollinis, ubi dicitur Apollo paviſſe greges Admeti, amore ipſius incenſus.

72. *Latonæ filius atque Jovis.*] *Latona* filia Cœi Titanis à Jove compreſſa geminam ex eo prolem concepit, unoque partu apud Delon Inſulam, quæ tunc vocabatur Ortygia, Dianam & Apollinem edidit.

Ergo ne dubita blandas adhibere querelas.
Vincuntur molli pectora dura prece.
Quod ſi vera canunt ſacris oracula templis,
Hæc illi noſtro nomine dicta refer:
Hoc tibi conjugium promittit Delius ipſe
Felix: ac alium deſine velle virum.
Dixit, & ignavus defluxit pectore ſomnus.
Ah! ego non poſſum tanta videre mala.
Nec tibi crediderim votis contraria vota,
Nec tantum crimen pectori ineſſe tuo.
Nam te nec vaſti genuerunt æquora Ponti,
Nec flammam volvens ore Chimæra fero:
Nec canis anguineâ redimitus terga catervâ,
Cui tres ſunt linguæ, tergeminumque caput:
Scyllaque virgineam canibus ſubcincta figuram:
Nec te conceptam ſæva leæna tulit:

INTERPRETATIO

querimoniis; feroces animi blandis precibus franguntur. Quod ſi oracula ſanctis delubris vera nuntiant, verba iſta à me ipſi reporta. Ipſe Delius iſtud Tibulli *tibi pollicetur connubium fore fauſtum. Alterum igitur deſiſte maritum cupere. Hæc ubi locutus eſt, ſopor iners diſceſſit à me. Heu neque tam magna mala cernere. Neque ego exiſtimaveram te vota concipere meis deſideriis adverſa, nec animum tuum tam magnum ſcelus moliri. Nec enim te procrearunt immenſa ponti maria, neque chimæra vomens ignes ore immani, neque canis habens dorſum cinctum agmine ſerpentino, qui tres habet linguas, & tria capita; neque Scylla puellarem habens formam canibus inferiori parte circumſeptam; neque te genitam immanis leæna procreavit, neque bar-*

ANNOTATIONES.

79. *Delius ipſe.*] Dictus eſt Apollo *Delius* à *Delo* Inſula, in quâ natus, & educatus eſt, & oracula frequentiſſima reddebat. Alii volunt ita dici, quòd omnia τὰ δῆλα, hoc eſt, aperta, & manifeſta faciat.

86. *Chimæra.*] Monſtrum eſſe triforme, flammas ore vomens, caput, pectuſque leonis habens, ventrem capræ, & caudam draconis finxerunt. Ovid. lib. 10. Metamorphoſ. ſed reverà *Chimæra* mons eſt Lyciæ in Aſia minore altiſſimus, alio nomine etiam vocant Cragum qui flammarum globos, velut Ætna, eructans habet in cacumine leones incolas; mediam partem pinguia occupant paſcua, in quibus caprarum greges; infimam verò tenent ſerpentes. Unde nata eſt fabula.

87. *Nec canis.*] Cerberum Inferorum cuſtodem intelligit ſerpentinis jubis deformem; quem etiam aliquando ab Hercule ad Superos tractum fabulantur.

88. *Cui tres linguæ,* &c.] Tria capita, totidemque linguas Cerbero Inferorum monſtro horrendo fabuloſa attribuit Antiquitas.
Virgil. lib. 6. Æneid.

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Perſonat, adverſo recubans immanis in antro.

89. *Scyllaque.*] *Scylla* Nympha Phorci filia à Glauco Deo marino fuit ardenter amata; quòd cum Circe venefica, quæ Glaucum deperibat patienter ferre non poſſet, fontem, in quo

Barbara nec Scythiæ tellus, horrendave Syrtis:
Sed culta & duris non habitanda domus:
Et longè ante alios omnes mitiſſima mater,
Iſque pater, quo non alter amabilior.
Hæc Deus in melius crudelia ſomnia vertat,
Et jubeat tepidos irrita ferre Notos.

INTERPRETATIO.

bara terra Scythia, aut Syrtis horrida: at potiùs honeſta domus, & urbana, neque feris incolenda. Atque præ cæteris maximè tua mater longè ſuaviſſima, & ille pater, quo nullus eſt amore dignior. Inſomnia iſta infelicia Deus in melius convertat, eaque ut inania jubeat Notos tepentes auferre.

ANNOTATIONES.

Scylla ſe lavare conſueverat, ita veneficiis, & herbis magicis infecit, ut Nympha fontem de more ingreſſa, inſidiarum ſibi ſtructarum neſcia, inferiores corporis ſui partes pube tenus in canes & horrida animalia ſenſerit eſſe mutatas: unde pudore ſuffuſa, & deformitatem horrens in mare ſe dedit præcipitem, & Deorum commiſeratione in ſaxum mutata Poëtis argumentum fabulæ præbuit. Ovid. lib. 14. Metamorphoſ.

Juſtinus lib. 4. Hiſtor. ait materiam fabulæ de *Scylla* & Charybdi Poëtis fuiſſe ſuggeſtam, ob fretum, quod inter Siciliam & Italiam tam ſævo impetu agitatur, & in quo undarum inter ſe concurrentium tanta pugna eſt, ut hos modò fluctus veluti terga dantes vorticibus in imum deſidere, illos modò quaſi victrices in ſublime ferri videas: nunc hic fremitum ferventis æſtûs, nunc illuc gemitus in voragine deſidentis audias. His adde perpetuum Ætnæ vicini montis incendium, hinc latratus auditos, hinc monſtrorum credita ſimulacra, dum navigantes immenſis pelagi vorticibus terrefacti latrare putant undas, quas ſorbentis æſtûs vorago collidit. *Scylla* porrò ſaxum eſt in mari prominens, quod procul viſentibus muliebrem formam repræſentare videri dicitur, in quod illiſi fluctus, quia luporum ejulatus, & canum latratus videntur imitari, illam inferiori parte corporis canibus & feris ſuccinctam eſſe fabulantur.

91. *Nec Scythia tellus.*] *Scythia* regio eſt Septentrionalis latiſſima, cujus maxima pars in Aſia, minima ad Europam pertinet. Utraque efferatas gentes, populoſque barbaros ferè innumeros incolas habet. Vide Herodotum, Dionyſium Halycarnaſſæum, Strabonem, Juſtinum, & alios, qui de hac vaſtiſſima regione ejuſque incolis pluribus egerunt.

Horrendave Syrtis.] Locus, ſeu ſinus ad Africæ littus ſabuloſus & periculoſiſſimus, quia ibi mare vadoſum eſt arenæ immenſos contrahens aggeres, qui loci faciem variatis vicibus immutant, & brevia in alia, atque alia loca transferunt. Duplex eſt ejuſmodi Syrtis, ſeu ſinus arenoſus, alter major, alter minor dicitur. *Syrtis* minor eſt in mari Libyco, quæ oram Carthagini vicinam alluit, trecenta millia paſſuum ambitum habens. *Syrtis* verò major ad Cyrenaïcam vergit regionem, habetque circuitum ſexcenta triginta quinque millia paſſuum.

96. *Irrita ferre Notos.*] *Notus* eſt ventus meridionalis, utque ex parte mundi calidiſſima ſpirat, ad nos tepidiuſculus venit. Idem Tibullus infrà in eandem ſententiam ait.

Quid precor ah demens! venti temeraria vota,
Aëria & nubes diripienda ferant.

ELEGIA V.

VOS tenet, Etruſcis manat quæ fontibus unda,
Unda ſub æſtivum non adeunda canem.
Nunc autem ſacris Bajarum maxima lymphis,
Cùm ſe purpureo vere remittit hyems.
At mihi Perſephone nigram denunciat horam.
Immerito juveni parce nocere, Dea.

INTERPRETATIO.

VOS retinent aquæ, quæ fluunt è fontibus Hetruſcis aquæ nimirùm, quæ per æſtivam caniculam non ſunt petendæ; ſed quæ hac tempeſtate, quâ, rubeſcente vere adveniente, ſolvitur hyems, ſanctis etiam *Bajarum undis optimæ videntur. Sed Perſephone atram mihi annunciat diem.* O *Diva, deſine maleface-*

ANNOTATIONES.

1. *Vos tenet.*] Dum quidam noſtri Poëtæ amici balneas aquarum Tuſcarum adiiſſent, adverſa quindecim dierum valetudine correptus eſt Romæ; cumque de gravis illius morbi exitu ſibi timeret, Proſerpinam dominam mortis & vitæ rogat, ut ſibi diutius vivere liceat, ut pote qui eſt juvenis & pius.

Hetruſcis manat quæ fontibus unda.] Calidarum aquarum in Hetruria, ſeu apud Thuſcos meminit Varro lib. 8. de Lingua Latina: *Sic aquæ calidæ à loco, & quæ ibi ſcaterent. Cùm verò colerentur, & veniſſent in uſum noſtris, tum aliæ ad alium morbum idoneæ viſæ ſunt. Hæ cum plures eſſent, ut Puteolis, & in Thuſcis, quibus utebantur, multitudine potiùs, quàm ſingulari vocabulo appellarunt.*

2. *Sub æſtivum non adeunda canem.*] Aquæ illæ Thuſcæ ſeu Hetruſcæ non erant per æſtatem adeundæ, utpote quæ omninò tunc temporis inſalubres, maximè dum arderet canicula; ſed quæ, vere ineunte, ipſis ſacris & ſaluberrimis Bajarum aquis longè meliores, & ſalubriores eſſent, & præſtantiores.

3. *Sacris Bajarum maxima lymphis.*] *Bajæ* civitas Campaniæ ſecus mare ſita, à *Bajo* Ulyſſis ſocio ibi ſepulto ſic dicta. In hujus urbis agro aquæ calidæ ſunt, ad voluptatem, & ad varios morbos depellendos commodæ: unde *Sacræ* dicuntur. Et quia abundantiâ & copiâ rerum, ædificiis, locorumque amœnitate præſtabant, magna Romanorum multitudo ad eas confluere ſolebat.

Horat. lib. Epiſtol.

Nullus in orbe locus Baiis prælucet amœnis.

Uſus porrò aliquandò fuit, ut omnes aquæ calidæ, ſeu balneæ dicerentur *Bajæ* à *Baiis* illis Campaniæ. Unde Sidonius dixit, *Senſtas Bajas*, & *Culenſes Bajas*, ut ſenſus ſit, *Bajarum*, ſeu aquarum calidarum optimæ, & præſtantiſſimæ ſunt aquæ Hetruſcæ.

4. *Cum ſe purpureo vere.*] Vernum tempus fuiſſe, quando ægrotabat, ſignificat. *Purpureum* autem *ver* dicitur à tempeſtatis amœnitate, & florum varietate; unde propriè *purpureum* hic idem eſt, quod pulcrum, fulgens, candidum, & amœnum, ut ſæpiùs à Poëtis ſumitur.

Virgilius.

Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.

Horat. lib. 4. Od.

Pauli purpureis ales oloribus.

Olores enim albi ſunt, non *purpurei*: unde *purpureus* eſt pulcher, nitidus, & ſplendens.

5. *Perſephone.*] Alio nomine *Proſerpina* dicitur, in cujus poteſtate & arbitrio vitæ hominum fata eſſe credi-

Non ego tentavi nulli temetanda virorum
Audax laudandæ ſacra docere Deæ.
Nec mea mortiferis infecit pocula ſuccis
Dextera, nec cuiquam tetra venena dedit.
Nec nos ſacrilegos templis admovimus ignes,
Nec cor ſollicitant facta nefanda meum.
Nec nos inſanæ meditantis jurgia linguæ
Impia in adverſos ſolvimus ora Deos.
Et nondum cani nigros læsêre capillos,
Nec venit tardo curva ſenecta pede.
Natalem primò noſtrum videre parentes,
Cùm cecidit fato Conſul uterque pari.

INTERPRETATIO.

re juveni immerenti. Non ego attentavi ut temerarius evulgare myſteria bonæ Deæ nulli unquam hominum violanda, neque manus mea calices infecit letalibus liquoribus, neque cuiquam unquam toxica dira præbuit. Nunquam flammas impias ego ſacris Deorum ædibus applicui, neque animum meum mala facinora torquent. Nunquam ego agitans animo convitia impia lingua contra Divos mihi *adverſarios os aperui. Necdum* tamen *canities atros crines infecit, neque ſenectus pigro greſſu incurva advenit. Parentes primùm aſpexerunt diem natalitium* meum, *quando ambo Conſules*

ANNOTATIONES.

derunt Antiqui, & ut ait Virgilius lib. 4. Æneid. v. 695.

Quæ luctantem animam, nexoſque reſolveret artus.

8. *Laudanda ſacra docere Deæ*] Cereris & Proſerpinæ Sacra intelligit, quæ etiam *ſacria*, & *myſteria Eleuſina* dicebantur, & quæ tantâ ſilentii religione peragebantur, ut ea vulgare, & publicare cuiquam nefas eſſet, & qui id feciſſet grande admiſiſſet piaculum: unde Horat. lib. 3. Od. 1. de ſcelerato & flagitioſo homine ait:

Vetabo, qui Cereris ſacrum
Vulgarit arcanæ, ſub iiſdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat Phaſelum.

Dicitur autem Ceres *laudanda Dea*, propter magna ejus in mortales merita. Hæc enim hominibus leges tradidit, frumenta, modumque ſerendi fruges contulit, terramque eos arare docuit, unde laus ipſi non parva exhibetur à Poëtis: unde etiam Tibullo noſtro concinens Ovidius lib. 5. Metamorphoſ. ait:

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris,
Prima dedit leges, Cereris ſunt omnia munus.
Illa canenda mihi eſt. Utinam modò dicere poſſim
Carmina digna Deâ. Certè eſt Dea carmine digna.

14. *In adverſos ſolvimus ora Deos.*] Blaſphema verba, aut perjuria in Deos conjeciſſe ſe negat. Quod idem ſæpè teſtatur, ut lib. 1. Eleg. 3. v. 52.

Timidum non me perjuria terrent.
Non dicta in ſanctos impia verba Deos.

Hoc ipſo eodem lib. Eleg. 4. v. 15.

Nec læſit magnos impia lingua Deos.

16. *Curva ſenecta.*] Quia nempè *curvos* facit homines, propter imbecillitatem, quam infert ſenio maceratis; juxta illud,

baculoque adjuta ſenectus.

18. *Fato Conſul uterque pari.*] Eo tempore ſe natum ſignificat quo Hir-

Quid

Quid fraudare juvat vitem creſcentibus uvis?
Et modò nata malâ vellere poma manu?
Parcite, pallentes undas quicumque tenetis,
Duraque ſortiti tertia regna Dei.
Elyſios olim liceat cognoſcere campos,
Lethæamque ratem, Cimmerioſque lacus,
Cùm mea rugosâ pallebant ora ſenectâ,
Et referam pueris tempora priſca ſenex.
Atque utinam vano nequicquam terrear æſtu.
Languent ter quinos ſed mea membra dies.

INTERPRETATIO.

eodem mortis genere occubuerunt. Quid prodeſt autem *vineam ſpoliare racemis nondum maturis, & manu malignâ decerpere mala novella, & recens nata? Ignoſcite, ô vos, quicumque incolitis pallidas umbras* Erebi, *ac ſæva imperia Divi, cui ceſſit ſors ultima triplicis regni. Concedatur aliquando mihi perluſtrare Campos Elyſios, & cymbam Lethæam, & Cimmerios lacus, quando* nempè *facies mea palleſcet, ſenio rugas inducente, & vetulus* ego *pueris narrabo tempora antiqua. Dii verò faciant, ut inani fruſtrà concutiar formidine; at corpus meum jam quindecim dies ægritudine conficitur. Vos verò*

ANNOTATIONES.

tius & Panſa in bello apud Mutinam geſto contra Antonium, ſecundo nimirùm Octavii Auguſti anno, occiſi ſunt. Teſtatur Suetonius Conſulem utrumque Auguſti operâ occubuiſſe. Aquilius Niger ait, *Hirtium in tumultu pugna interemptum ab Octavio dixit; ſed Panſa quoque mors ſuſpecta, Glyconis Medici veneno in vulnus indito.*

Eodem porrò die quo natus eſt Tibullus, natus etiam dicitur Ovidius. Unde verſiculus hic totidem quoque verbis legitur apud Ovidium.

22. *Sortiti tertia regna Dei.*] Plutonem Inferorum Deum intelligit, cujus *regnum* infra terram vocatur *tertium*. Sortibus enim in urnam olim conjectis cùm mundum, ſeu regna patris ſui inter ſe dividerent Jupiter, Neptunus, & Pluto, primum & nobiliſſimum regnum cœlum Jovi, aquam Neptuno, & infernum Plutoni contigiſſe fabulati ſunt.

23. *Elyſios olim Campos.*] *Elyſii Campi*, ſeu *Elyſium* locus eſt, in quo piorum, virorumque virtute præſtantium animas habitare Veteres crediderunt.

Virgil. lib. 5. Æneid.

——— *amœna piorum*
Concilia, Elyſiumque colo. ———

Elyſium Poëtæ apud Inferos eſſe exiſtimaverunt, Alii *Campos Elyſios* in Inſulis fortunatis; alii circa Lunæ circulum, ubi purior eſt aër, & aura mollior, repoſuerunt. Singulas autem beatorum illorum locorum voluptates eleganti carmine breviter complexus eſt noſter Tibullus lib. 1. Eleg. 3. v. 58.

Hic choreæ cantuſque vigent, paſſimque vagantes
Dulce ſonant tenui gutture carmen aves.
Fert caſiam non culta ſeges, &c.

De his vide Natalem Comit. lib. 3. Mytholog cap. 19.

24. *Lethæamque ratem.*] Naviculam nimirùm Charontis, quâ mortuorum animas ad Inferos, & ad Lethen Inferorum flumen tranſvehit.

Cimmerioſque lacus.] Sunt famoſi quidam ſpecus, per quos ad Inferos aditum patere veteres crediderunt. Sunt

At vobis Thuſcæ celebrantur numina lymphæ,
Et facilis lentâ pellitur unda manu.
Vivite felices, memores & vivite noſtri;
Sive erimus, ſeu nos fata fuiſſe velint.
Intereà nigras pecudes promittite Diti,
Et nivei lactis pocula miſta mero.

INTERPRETATIO.

æti celitis numina Thuſcarum aquarum, molleſque undas pulſatis placidâ manuum agitatione. O Vos, vivite beati, meique memores; ſive adhuc *vivum, ſive* jam *me vitâ functum eſſe fata decernant. Interim atras belluas vovete Diti, craterasque candidi lactis vino perfuſos.*

ANNOTATIONES.

etiam *Cimmerii* populi, quos, quoniam remotiores erant, ad Aquilonem, in tenebris perpetuis & apud Inferos eſſe putavit Antiquitas.

30. *Facilis pellitur unda manu.*] Mirum eſt quantum exiſtimationis apud Antiquos natandi peritia, uſuſque balnearum habuerint, ut non minùs pueri natandi artem, quàm prima literarum elementa edocerentur, nec minus balneis grandiores & honeſti cives, quàm epulis aut cibo & potu maximè apud Orientales uterentur.

32. *Fata fuiſſe velint.*] *Fuiſſe & vixiſſe* dicebant Veteres, cùm aliquem mortuum eſſe ſignificare volebant.

33. *Nigras pecudes promittite Diti.*] Plutoni namque cæteriſque Diis Inferis pecudes, & victimæ villi nigrioris mactabantur, unde etiam ſupra dixit noſter Poëta lib. 1. Eleg. 2. v 61.

Concidit ad magicos hoſtia pulla Deos.

ELEGIA VI.

CANDIDE Liber ades; ſic ſit tibi myſtica vitis
  Semper: ſic hederâ tempora vincta feras.
Aufer & ipſe meum pariter medicando dolorem,
  Sæpè tuo cecidit munere victus Amor.
Care puer, madeant generoſo pocula Baccho,
  Et nobis pronâ funde Falerna manu.
Ite procul durum curæ genus, ite labores:
  Fulſerit hîc niveis Delius alitibus.

INTERPRETATIO.

Adsis mihi, ò formoſe Liber. Ita tibi ſacra ſit jugiter vinea, ita caput jugiter habeas coronatum hederâ; tu etiam ipſe meum eripe mœrorem mihi medendo: frequenter ſuperatus Amor ope tuâ occubuit. O famule dilecte, calices nobili Baccho perfundantur, nobiſque porrige Falerna plenâ manu. O ſollicitudines, progenies barbara & ſæva, & angores animi longè à me diſcedite. Delius hîc luceat candidis avibus. O vos amici, nunc

ANNOTATIONES.

1. *Candide Liber ades.*] *Liberum patrem* precatur Tibullus, ut ſe dolore levet, deinde pincernam jubet pocula generoſiſſimi vini ſubminiſtrare, ſociosque precatur, ut liberiùs genio indulgeant. Dicitur porrò Bacchus *candidus*, id eſt, pulcher, felix, juvenis, ſincerus, & minimè fucatus; quomodo etiam vocatur ab Ovidio lib. 3. Faſtor.

Reſtat ut inveniam, quare toga libera detur
Luciferu pueris, candide Bacche, tuis.

Dicitur etiam Bacchus *Liber*, ſeu *Liber pater*, a *liberando*; eſt enim Deus libertatis; quia nempè vinum curas ſolvit, & mentes hominum ſollicitudine liberat: vel quia, ut ait Feſtus, vino nimio uſi omnia liberè loquuntur. Plura alia inſuper habet cognomina Bacchus; dicitur enim præterea Lyæus, Lenæus, Dionyſius, Iacchus, Baſſareus, Briſæus, Bromius, Evan, Evius, Euhyas, Ligyreus, Lyſius, Nyſæus, Oſiris, Thyoneus, &c.

2. *Hederâ tempora vincta geras.*] *Hedera* planta eſt perpetuò virens, ideò Baccho ſacra, in cujus tutela dicitur eſſe, quia, ut ille ſemper eſt juvenis, ita hæc ſemper viret; vel quia eam contra ebrietatem facere Veteres crediderunt.

5. *Madeant pocula Baccho.*] *Bacchus* pro vino, ut apud Horat. lib. 3. Od. 16.

Nec Laſtrygoniâ Bacchus in amphora
Langueſcit mihi. ———

6. *Falerna funde manu.*] Vinum *Falernum* primæ notæ fuit apud Romanos. *Falernus* autem ager, regio eſt Campaniæ in Italia, generoſi vini feraciſſima. Eleganti dicto Tibulliano non minus eſt elegans illud Catulli Carm. XXVII.

Miniſter vetuli, puer, Falerni
Inger mi calices amariores.

7. *Durum curæ genus.*] Dicuntur *curæ, durum genus*, quòd nempè cor graviter urant.

8. *Delius niveis alitibus.*] Apollo dictus eſt *Delius* à *Delo* Inſula, in qua natus eſt, & educatus. Optat autem, ut candidus, felix, & ſerenus tranſeat dies, quo cupit indulgere genio; vel vino operam impendere ſe dicit, quoad pulcherrimus & alatis equis vectus ſol oriatur.

Vos modò propoſito dulces faveatis amici,
Neve neget quiſquam, me duce, ſe comitem.
Aut ſi quis vini certamen mite recuſat,
Fallat cum tecto cara puella dolo.
Ille facit dites animos Deus: ille ferocem
Contudit, & dominæ miſit in arbitrium.
Armenias tigres, & fulvas ille leænas
Vicit, & indomitis mollia corda dedit.

INTERPRETATIO

conſilio meo favete, nulluſque veſtrûm *recuſet me ducem ſequi, vel ſi aliquis ſuavem meri concertationem reſpuit, ipſum amica occultâ fraude decipias Iſte Deus mentes hominum ditat, iſte arrogantes & indociles domuit, imperioque puellæ ſubjecit. Tigres Armenias, & torvas leænas cicuravit, & immanibus feris mites dedit animos. Iſta etiam Amor*, & alia longè *majora*

ANNOTATIONES.

Horat. lib. 3. Od.

Vinaque producent lucerna
Dum rediens fugat aſtra Phœbus.

10. *Me duce.*] Me principe, magiſtro, & arbitro bibendi. Veteres enim in compotationibus, & conviviis regem, ſeu magiſtrum bibendi faciebant, ſortibus jactis.

Horat. lib. 1. Od. 4.

Nec regna vini ſortiere talis.

Idemque lib. 2. Od. 7.

——— *quem Venus arbitrum*
Dicet bibendi? ———

11. *Certamen mite recuſet.*] Suavem concertationem dixit, cùm alterum al ter ſtudet potando ſuperare. Conſueverant enim Veteres tot cyathos vini vacuare in conviviis, quot annos vivere cupiebant, vel quot annos nata eſſet amica, vel quot litteras haberet ejus nomen.

Unde Ovid. lib. 3. Faſtor.

Sole tamen vinoque calent, annoſque precantur,
Quot ſumant cyathos, ad numerumque bibunt.
Invenies illic, qui Neſtoris ebibat annos,
Quæ ſit per calices facta Sibylla ſuos.

Martialis.

Nænia ſex Cyathis, Septem Juſtina bibatur.
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.
Omnis ab infuſo numeretur amica Falerno,
Et quia nulla venit, tu mihi, Somne, veni.

13. *Ille facit dites animos Deus.*] Bacchus vino homines exhilarat, & lætiores eorum facit animos, Poëtarumque etiam fœcundiora reddit ingenia. Unde dicitur Ennius nunquam niſi potus compoſuiſſe carmen egregium; Hinc etiam Horat. lib. 3. Od. 21. v. 11. dicit aliquandò caluiſſe mero Catonem.

Narratur, & priſci Catonis
Sæpè mero caluiſſe virtus.

Propert. lib. 4. Eleg. 6.

Ingenium potis irritat Muſa Poëtis.
Bacche, ſoles Phœbo fertilis eſſe tuo.

15. *Armenias Tigres.*] In *Armenia* Aſiæ regione latiſſima inter Taurum, & Caucaſum montes à Cappadocia ad Caſpium uſque mare protenſa crudeliſſimæ naſcuntur *Tigres*; quæ, ut Solinus refert, ideircò à Baccho perdomitæ ad jugum & currum trahendum dicuntur, quòd iſtud animalium genus vino & uvis veſcatur.

Horat. lib. 3. Ode 3. v. 13.

Hac te merentem, Bacche pater, tuæ
Vexere tigres indocili jugum
Collo trahentes.

Hæc Amor, & majora valet; ſed poſcite Bacchi
   Munera, quem veſtrûm pocula ſicca juvant?
Convenit ex æquo, nec torvus Liber in illos,
   Qui ſe, quique unà vina jocoſa colunt.
Jam venit iratus nimium nimiumque ſeveris;
   Qui timet irati numina magna bibat.
Quales his pœnas qualis quantuſque minetur,
   Cadmææ matris præda cruenta docet.
Sed procul à nobis hic ſit timor: illaque, ſi qua eſt,
   Quid valeat læſi ſentiat ira Dei.
Quid precor ah demens? venti temeraria vota,
   Aëriæ & nubes diripienda ferant.
Quamvis nulla mei ſupereſt tibi cura, Neæra:
   Sis felix, & ſint candida fata tua.
At nos ſecuræ reddamus tempora menſæ;
   Venit poſt multos una ſerena dies.

INTERPRETATIO.

poteſt: at efflagitate dona Bacchi; quis enim *ex vobis calicibus vacuis delectatur? Non iraſcitur, ſed æqualiter ipſi convenit cum iis, qui ipſum venerantur, & læta vina celebrant. Sed modò advenit nimiùm ſuccenſus irâ in abſtemios.* Quicumque igitur illius Dei *indignationem, & poteſtatem auguſtam metuit, potet. Quanta ſupplicia illis minitetur, quis, & quàm magnus ſit ille Cadmeæ matris crudelis violentia teſtatur. At longè abſit à nobis iſte metus; ipſaque*, Cadmi filia, *ſi reipsâ uſpiam aliqua eſt, ſentiat quid poſſit* illius *Dei offenſi indignatio. Aſt ego inſanus quid cupio? Venti & nebulæ ætheræ auferant diſpergenda vota* mea *inconſulta.* O *Neæra, quanquam nullus tibi ſupereſt amplius in me amor, ſis beata, atque etiam fata tua ſint proſpera & felicia. Nos verò tempus ſurreptum reſtituamus menſæ tranquillæ*, quandoquidem *affulſit* tandem *unica dies jucunda poſt multas* alias.

ANNOTATIONES.

20. *Vina jocoſa.*] Quæ nimirùm hominum animos jocoſos & hilares faciunt.

21. *Severis.*] Sobriis, ſiccis, abſtemiis, & tetricis, qui nequidem tantiſper genio nolunt indulgere. Alii legunt, *Severus*, ſed male, nam verſus ſequens iſte. *quales his pœnas*, &c. ſenſu nullo modo poſſet ſtare.

24. *Cadmeæ matris.*] Agave eſt Cadmi filia, quæ ſpretis Bacchi Sacris Pentheum filium ſuum in furorem acta Dei illius potenti numine pro fera miſerabiliter dilaniavit.

25. *Illaque, ſi qua eſt.*] Mater nempè Cadmæa, niſi ficta res eſt, & commentitia.

27. *Venti temeraria vota.*] Frequens eſt Poëtarum imprecatio. Catullus.

Ac tua dicta omnia, factaque
   Ventos irrita ferre, ac nebulas aerias ſinit.

30. *Sis felix.*] Frequens apud Poëtas benè precandi formula.

Virgil. Eclog. 5.

Sis bonus ô felixque tuis.

Idem lib. 1. Æneid. inducit Æneam Venerem ita precantem.

Sis felix, noſtrumque leves quæcumque laborem.

Catullus etiam Manlium ejuſque amicam ſic alloquitur.

Sitis felices, & tu ſimul & tua vita,
   Et domus ipſa, in qua luſimus, & domina.

ELEGIA VII.

HEI mihi! difficile eſt imitari gaudia falſa;
  Difficile eſt triſti fingere mente jocum.
Nec benè mendaci riſus componitur ore,
  Nec benè ſollicitis ebria verba ſonant.
Quid queror infelix? turpes diſcedite curæ.
  Odit Lenæus triſtia verba pater.
Gnoſſia, Theſeæ quondam perjuria linguæ
  Fleviſti ignoto ſola relicta mari.
Sic cecinit pro te doctus, Minoï, Catullus,
  Ingrati referens impia facta viri.

INTERPRETATIO.

HEu *me!* quàm *arduum eſt aſſimulare lætitiam fictam*; quàm *operoſum eſt animo mœſto gaudium mentiri; neque certè vultu fallaci jocus affingitur, neque bellè vinoſa dicta conveniunt anxiis.* Sed *quid* ego *miſer conqueror? Infames abſiſtite ſollicitudines; pater Lenæus odio habet mœſtos ſermones. O Gnoſſia, olim derelicta ſola in littore incognito lamentata es falſa juramenta lingua Theſea. Ita pro te, ô Minoi, cantavit eruditus Catullus narrans infanda facinora perfidi illius hominis. Jam vos ego admoneo. Beatus*

ANNOTATIONES.

* COnqueritur Tibullus de mulierum perfidia, gravique curâ preſſus cum accumberet, ut tempora menſæ ſecura & tranquilla duceret, ſuſpirans in hæc verba prorumpit, quibus ait, difficile eſſe ſimulare lætitiam; quod quidem Virgilius Æneæ ſuo ſapienter attribuit lib. 1. Æneidos verſu 213.

Spem vultu ſimulat, premit altum
corde dolorem.

5. *Turpes diſcedite curæ.*] Quia homines efficiunt turpes & deformatos.

6 *Lenæus.*] Unum eſt ex nominibus Bacchi, qui ita dicitur à leniendo, quòd mentes hominum leniat, ut ait Donatus, qui tamen ab aliis ob hoc criminatur, cùm Græca vox non poſſit Latinam etymologiam pati. Melius autem Diodorus Siculus, & Euſebius *Lenæum* dici Bacchum ἀπὸ τῆ ληνῦ, id eſt, à torculari deducunt.

7. *Gnoſſia Theſea linguæ.*] Ariadne ita dicitur à *Gnoſſo* civitate Cretæ primariâ, quæ in Dia ſeu Naxo Inſula relicta eſt à Theſeo: unde verſiculo ſequenti dicitur: *in ignoto ſola relicta mari*, juxta illud Catulli,

Deſertam in ſola miſeram ſe cernit
arena.

9. *Cecinit pro te. Minoi, doctus Catullus.*] Pluribus retulit fabulam Ariadnes Catullus noſter in nuptiis Pelei & Thetidos. *Doctus* autem vocatus eſt *Catullus* ab omnibus Antiquis, utpote qui fuit oratione perſpicuus, & facundus, carmine laſcivus & gravis, qui omni carminum genere excelluit, hominumque mores apprimè novit, & cùm opus fuit, ad vivum & graphicè depinxit: unde etiam vocatur ab A. Gellio Poëtarum elegantiſſimus. Martialis.

Verona docti ſyllabas amat Vatis.

Vos Ego nunc moneo : Felix , quicumque dolore
Alterius diſces poſſe carere tuo.
Non vos decipiant pendentia brachia collo ,
Nec capiat blandâ ſordida lingua prece.
Etſi perque ſuos fallax juravit ocellos ,
Junonemque ſuam , perque ſuam Venerem ,
Nulla fides inerit. Perjuria ridet amantum
Jupiter , & ventos irrita ferre jubet.
Ergo quid toties fallacis verba puellæ
Conqueror ? Ite à me ſeria verba , precor.
Quàm vellem tecum longas requieſcere noctes ,
Et tecum longos pervigilare dies :
Perfida , nec meritò nobis inimica merenti,
Perfida , ſed quamvis perfida , cara tamen.
Naida Bacchus amat : ceſſas ô lente miniſter ?
Temperet annoſum Martia lympha merum.

INTERPRETATIO.

eris , *quicumque aliene male ſcies poſſe carere proprio. Ne vos fallant lacerti* collo veſtro *implicati , neque lingua perjura vos dulcibus verbis decipiat Quanquam puella mendax juravit per ſuos* etiam *oculos , per ſuam Junonem , & per ſuam Venerem. Nulla tamen erit fidelitas* ipſius *verbis. Jupiter irridet falſa juramenta amantium , eaque imperat ventos auferre* tanquam *vana.*

Quorſum igitur tam ſæpè conqueror promiſſa deleſa fœmina ? O ſeris ſermones , ore vos , longè diſcedite à me. O *quàm cuperem unà tecum* , ô puella, *prolixas dormire per noctes , & pariter tecum longos dies pervigilare ! ô* infida, *nec juſtè infenſa mihi merenti ; infida* quidem , *at licèt infida , attamen es* mihi *dilecta. Naïdem Bacchus diligit: Otiaris , iners pincerna ? Martia aqua*

ANNOTATIONES.

11. *Felix quicumque.*] Conſonat illud :

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

16. *Junonemque ſuam , perque ſuam Venerem.*] Significat nullo modo fidendum eſſe mulieribus , ſive jurent per *Venerem* , quæ præeſt Amoribus, & eſt Dea amantium , ſive per *Junonem* , quæ præeſſe dicitur conjugiis , & eſt ſponſarum pronuba , ut ait Ovidius Epiſt. Phyllidis :

Junonemque toris quæ præſidet alma maritis.

17. *Perjuria ridet amantum.*] Sic ſuprà lib. 1. Eleg. 4. v. 17.

Nec jurare time : Veneris perjuria venti
Irrita per terras , & freta ſumma ferunt

25. *Naida Bacchus amat.*] Lympham ſeu aquam ; *Naïs* enim Nympha eſt aquatica, quæ hîc ſumitur pro aqua ; Baccho autem ſeu vino aquam immiſcere utile eſt & honeſtum. Contrarium tamen vult Catullus , cùm dicit Carm XXVII. v. 5.

At vos , quò lubet , hinc abite lymphæ.
Vini pernicies , & ad ſeveros
Migrate : hic merus eſt Thyonianus.

16. *Martia lympha.*] Aqua Tiberina ſeu Romana , ita dicta à Marte armorum Deo , qui dicitur juxta Tiberim Rheam Silviam compreſſiſſe. Poteſt etiam intelligi per *Martiam*

Non ego, ſi fugiat noſtræ convivia menſæ
Ignotum cupiens vana puella torum,
Sollicitus repetam totâ ſuſpiria nocte.
Tu puer, huc liquidum fortius adde merum.
Jamdudum Tyrio madefactus tempora nardo
Debueram ſertis implicuiſſe comas.

INTERPRETATIO.

vinum vetus mederetur. Quanquam vana puella refugiat epulas menſæ meæ cubile ambiens incognitum, nunquam tamen ego anxius omnem per noctem ſingultus iterabo. Tu verò, ô famule, largiùs ingero limpidum vinum. Jampridem caput perfuſus nardo Syrio capillos corollis inſeruiſſe debueram.

ANNOTATIONES.

lympham rivulus ille ductilis, quem refert Plinius jubente Senatu à Q. Martio in urbem inductum fuiſſe, quique ab auctore ſuo nomen habuit.

31 *Syrio madefactus tempora nardo.*] Odores & unguenta Romanis diſcumbentibus in conviviis famuli miniſtrabant, quibus caput liniebant, corollaſque etiam nectebant, quibus frontem vincire & redimire conſueverant convivantes, ut ebrietatem impedirent.

Horat. lib. 1. Od. 5. v. 1.

Quis multâ gracilis te puer in roſa
Perfuſum liquidis urget odoribus.

Idem lib. 2. Od. 7. v. 6.

Cum quo morantem ſæpè diem mero
Fregi coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.

Lucret. lib. 4. de Reb Nat.

Eximiâ veſte & victu convivia, ludi,
Pocula crebra, unguenta, coronæ, ſerta parantur.

Ovid. lib. 9. Metamorphoſ. Fab. 3.

——— *quam ſi conviva jaceres*
Inter plena meri redimitus pocula ſertis.

LIBRI TERTII FINIS.

ALBII TIBULLI EQUITIS ROMANI LIBER QUARTUS.

PANEGYRICUS AD MESSALAM.

I.

TE Meſſala, canam: Quanquam me cognita virtus

INTERPRETATIO.

O MESSALA, *te celebrabo: etſi me* tua *virtus* omnibus *ſpectata*

ANNOTATIONES.

1. *TE Meſſala.*] Ad *Meſſalam* Panegyricum cum quibuſdam Elegidiis, quorum plura vocari potiùs Epigrammata convenit, Tibulli quartus & ultimus liber complectitur. Meſſalæ porrò tanquam Mecœnati patronoque ſuo individuum comitem ſemper adhæſiſſe ſe teſtatur Tibullus ipſe lib. 1. Eleg. 3. v. 55.

Hic jacet immiti conſumptus morte Tibullus,
Meſſalam terrâ dum ſequiturque mari.

Non eſt porrò facile dicere, an iſte Meſſala fuerit Corvinus Meſſala orator, de quo Plin. lib. 7. cap. 24. & lib. 35 cap. 2. & quem dicit nominis ſui fuiſſe oblitum. Sed quiſquis ille fuerit, idem ſanè eſt ipſe, cui Virgilius Cirin ſuam inſcripſit. Cujus Horatius ſæpiùs meminit, maximè verò lib. 1. Satyr. 6.

Hoc tibi Paulus, & Meſſala videris.

Satyr. 10.

Te dicere poſſum.

Pollio, te, Meſſala, tuo cum fratre.

Vocabatur M. Valerius Meſſala Corvinus, Conſul fuit cum Auguſto, ut refert Dio. lib. 50. & ipſo Conſule, Actiaca pugnata eſt, Auguſtumque ſecutus eſt in orientem. De hoc ita Velleius Paterculus lib. 2. *Protinus Meſſala fulgentiſſimus juvenis, proximus in illis caſtris Bruti Caſſiique auctoritati, cum eſſent, qui eum ducem poſcerent, ſervari beneficio Cæſaris maluit, quàm dubiam ſpem armorum tentare, nec aut Cæſari quicquam, aut è victoriis ſuis lætiùs quàm ſervaſſe Corvinum, aut majus exemplum quàm ho-*

Terret, ut infirmæ nequeant ſubſiſtere vires.
Incipiam tamen: ac meritas ſi carmina laudes
Deficiant: humilis tantis ſim conditor actis:
Nec tua præter te chartis intexere quiſquam
Facta queat, dictis ut non majora ſuperſint.

INTERPRETATIO.

deterreat, ne tenuis ingenii mei *facultas* tantum opus *ſuſtinere non poſſit. Attamen aggrediar: & quamvis verſus mei* debitis tibi *præconiis deſint, ero* ſaltem *Poeta tam magnis factis impar; neque enim alius quàm tu ipſe bene mandare tua præclarè geſta poſſit, quæ majora & graviora, quàm quæ dicta ſunt.*

ANNOTATIONES.

minùs grati ac pie, quàm Corvinus in Catrem fuit.

Canam.] Idem ipſe Tibullus lib. 1. Eleg. 8. v. 13.

At te Cydne canam, &c.

Virgil. lib. 1. Georgic. ſic exorſus eſt.

Hactenus arvorum cultus & ſidera cœli,

Nunc te, Bacche, canam.

Idem ipſe Virgilius lib. 1. Æneid.

Arma virumque cano, &c.

Ad quæ ultima vocabula ſic Servius: *Arma virumque cano. ſermo polyſemus* hoc eſt, multiplicis ſignificationis, *nam tria ſignificat. laudo; ut* regemque canebant *divino, ut* ipſa canas, oro: *& canto, ut hoc loco Canere* autem *ſeu cantare*, convenit avibus, Poëtis, & modulatoribus.

Cogni a virtus.] Probitas, ſcientia rei militaris, eloquentia, præclarè geſta tum pace tum bello, & nobilitas Meſſalæ omnibus perſpecta deterrent Poetam noſtrum, cùm turpe nimirùm ſit onus ſuſcipere, quod perferre non poſſis. Propert. lib. 3. Eleg. VIII. v 5.

Turpe eſt quod nequeas humeris committere pondus;
Et preſſum inflexo mox dare terga genu

2. *Ut nequeant ſubſiſtere vires.*] Horatii præceptum eſt in opere ad Piſones de Arte poëtica.

Sumite materiam veſtris qui ſcribitis, æquam.
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,

Quid valeant humeri.

4. *Deficiant laudes.*] Verſus pares non ſint laudibus, quas mereris. Rectè jungitur quartus caſus verbo, *Deficere.* Virgil. 4. Georgic.

At ſi quem proles ſubitò defecerit omnis.

Cicero orat. 3. in Catilin. *Res nos jam pridem, fides deficere nuper cœpit.*

Humilis ſim conditor actis.] Hic vocabulum illud, *ſim* non tam optantis eſt, pro *utinam ſim*, quàm promittentis aut ſperantis, pro *ero. Conditor* autem idem eſt ac *compoſitor, ſcriptor* & *auctor. Condere* enim eſt *ſcribere* & *componere.* Virgil.

qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant, & triſtia condere bella.

Ovid. lib. 5. Triſt. Eleg. 1.

Sitque argumenti conditor ipſe mei.

5. *Chartis intexere.*] Scriptis inſerere, mandare. Virgilius in Ciri ad eumdem Meſſalam.

Natura rerum magnis intexere chartis.

Charta porrò Latinè generis eſt fœminini; Græcè verò modò maſculini ὁ χάρτης, modò neutrius, τὸ χάρτιον. De *Chartarum* autem inventione, generibus, & uſu vide Plin. lib. 13. cap. 11.

6. *Facta queat.*] Eloquentiam Meſſalæ impensè laudat, cui nullus ſe parem præſtare poſſet.

Eſt nobis voluiſſe ſatis ; nec munera parva
Reſpueris : etiam Phœbo gratiſſima dona
Cres tulit, & cunctis Baccho jucundior hoſpes
Icarus, ut puro teſtantur ſidera cœlo,

INTERPRETATIO.

reſtent dicenda. *Sufficit mihi tentaſſe. Neque tu exigua dona rejeceris. Cretenſis quoque ille Phœbo acceptiſſima munera obtulit. Icaruſque hoſpes Baccho cæteris omnibus gratior fuit, quemadmodum Erigone, & Canis aſtra, ſe-*

ANNOTATIONES.

7. *Eſt voluiſſe ſatis.*] Conatus & voluntas inſtar facti eſt, & pro facto habetur. Eâdem ſententiâ iiſdem omninò verbis conceptâ uſus eſt Propertius lib. 2. Eleg. 10.

Quod ſi deficiant vires, audacia certè
Laus erit: in magnis eſt voluiſſe ſatis.

Munera parva.] Grammatici putant hic a Tibullo confirmari, quod Donatus in Eunuchum Terentii aſſerit, *donum* nempe eſſe propriè Deorum, *munus* eſſe hominum. Quod etiam confirmatur ab Iſidoro lib. Origin. 6. *Munus homini datur, donum Deo.*
Sæpiùs tamen apud Auctores, *munus* & *donum* idem ſunt.
Propert. lib. 2. Eleg. 28. munera Diis etiam tribuit.

Munera Dianæ debita redde choro.

Virgil. Ecloga. 3. v. 64.

—— Phœbo ſua ſemper apud me
Munera ſunt, lauri & ſuave rubens hyacynthus.

Idem Virgil. ibidem v. 68.

Parta meæ Veneri ſunt munera.

Idem lib. 2. Æneid.

—— Timeo Danaos, & dona ferentes.

Catullus noſter in Epithalamio Thetidis & Peleï.

Non ingrata tamen fruſtrà munuſcula Divæ
Promittens.

9. *Cres tulit.*] Hiſtoria vel potius fabula prorſus ignota. Alii Dædalum intelligi putant, qui cùm ex Creta aufugiſſet, Cumis remigium alarum Apollini conſecravit, juxta illud Virgilii lib. 6. Æneid.

Redditus his primùm terris tibi, Phœbe, ſacravit
Remigium alarum.

Verùm in ſua ſententia nutant, quia Dædalus, non *Cres*, ſeu Cretenſis, ſed Athenienſis erat. Sed poſtquam ſolum vertiſſet exilii causâ, timens judicium Areopagitarum, cùm diu multumque in Creta habitaſſet, habitus & exiſtimatus eſt Cretenſis. Nonnulli verò iſtud de Minoë juſtiſſimo Cretenſium rege interpretantur: quo verò fundamento nitantur, me fugit. Alii de Epimenide Cretenſi intelligunt, quem Phœbo acceptiſſimum fuiſſe confirmant, quòd Pythia conſulentibus Athenienſibus de remedio peſtis, quâ laborabant, reſpondit accerſendum eſſe Epimenidem.
Alii volunt Jovem ſignificari, qui nutritus eſt in Creta, & qui, ut ſcribit Diodorus, cùm gigantes urgeret in Creta, maximè verò Milyum Soli & Cœlo ante pugnam mactavit, quo ſacrificio certum habitum eſt indicium Jovem fore victorem.

10. *Icarus.*] Laconum regis Dedali filius, & Erigones pater, qui cum ſuâ in Bacchum fide, utpote quem hoſpitio liberaliſſimè exceperat, uſum vini meruiſſet, ejuſque conficiendi, vitiſque colendæ rationem ab eodem fuiſſet edoctus, totam illam artem paſtoribus communicavit, qui vino obruti, ſibique venenum leatum præbuiſſe opinantes, ipſum interemerunt. Erigone verò Icarii filia, cum indicio Meræ canis necem patris cognoviſſet, ejuſque cadaver ad arborem quandam defoſſum inveniſſet, ſuſpendio vitam finivit. Deorum autem commiſeratione & Bacchi favore in [illegible] Aſtra tela-

Erigoneque, Caniſque; neget ne longior ætas.
Quinetiam Alcides Deus aſcenſurus Olympum
Læta Molorchæis poſuit veſtigia tectis.
Parvaque cœleſtes pacavit mica, nec illis
Semper inaurato taurus cadit hoſtia cornu.
Hic quoque ſit gratus parvus labor, ut tibi poſſim
Inde alios alioſque memor componere verſus.

INTERPRETATIO.

regno cælo, teſtes ſunt, ne diuturnior annorum ſeries id poſſit inficiari. Præterea divus Alcides cœlum aditurus hilares intulit pedes in caſam Molorchæam. Sæpè etiam exigua mica pacificavit Cœlites, neque ipſis perpetuò cornu deaurato bos victima mactatur. Iſtud etiam exiguum opus acceptum tibi ſit, quò gratus valeam ex hoc in tuas laudes alia ſubinde nova carmina

ANNOTATIONES.

rus eſt Icarus, dictuſque Bootes, & Arctophylax; Erigone etiam inter Sidera collocata eſt, & Virgo ſeu Juſtitia nuncupata; Canis denique in Sidus ſui nominis mutatus eſt. & Sirius etiam, & Procyon, ſeu Græcè σειρίων dictus. Vide Hyginum fabula 130. lib. 2. in Arctophylax.

11. *Erigoneque, caniſque.*] *Erigone*, ut Annotatione ſuperiori diximus, filia fuit Icari, ejuſque *Canis* nomine, *Mera*, qui ambo inter aſtra collocati ſunt.

12. *Alcides aſcenſurus Olympum.*] *Alcides* dictus eſt Hercules ab avo ſuo *Alca* Amphitruonis patre, vel, ut alii malunt, ἀπὸ τῆς ἀλκῆς à virtute & robore qui propter præclarè geſta in ſedes lucidas, ſeu in cœlum per virtutum viam difficillimam inter cœleſtes tandem receptus eſt. *Olympum* Veteres cœlum dixerunt, & utrumque promiscuè paſſim ſumitur apud Poëtas, pro cœlo. *Olympus* autem mons eſt altiſſimus, Macedoniam inter & Theſſaliam, cujus vertex cœlum attingere dicitur: unde pro cœlo ſumitur. Eſt & alius ejuſdem nominis mons in Galatia, alius in Myſia ad cujus radices Pruſam urbem Annibal condidit. Alius denique in Æthiopia ad mare Rubrum non procul ab oppido Heliopoli, qui oriente Sole ad horam uſque diei quintam flammas emittere dicitur.

13. *Molorchæis poſuit veſtigia tectis.*] *Molorchus* pauper paſtor fuit Cleonæus non procul à ſilvâ Nemæâ inhabitans, cujus hoſpitio uſus eſt Hercules, cùm ad Leonem Nemæum interficiendum proficiſceretur. Apud quem cùm divertiſſet Hercules, ab eo didicit, quomodo Leo ille Nemæus coiret in terrum, & regionem circumjectam latiſſimè vaſtaret, filiumque ejus devoraviſſet. Cum autem *Molorchus* licèt tenuis cenſu, victumque ſibi manibus ſuis quærens hoſtiam immolare pararet, juſſit Hercules, ut ſacrificium hoſtiamque ad diem trigeſimum reſervaret ut ipſe eam, ſi victor rediret, immolaret Jovi ſervatori; ſi verò a Leone devoraretur, & interiret, eas ſibi ferret inferias. Hercules autem poſt interfectum Leonem rediit lætus ad *Molorchum*, ſibi jam inferias parantem, illamque hoſtiam Jovi immolavit, ut refert Apollodorus lib. 2. *Molorchus* autem in honorem Herculis ob immanem belluam interemptam ludos, ſeu ſacra ſolemnia inſtituit, *Nemæa* a ſilva, & *Molorchæa* ab auctore dicta.

14. *Pacavit mica.*] Tenue thuris, vel ſalis granum pacem, & veniam impetravit, mites & propitios effecit Deos, quod etiam teſtatur Ovid. lib. 1. Faſt.

Ante Deos homini, quod conciliare ſoleret,
Far erat, & puri lucida mica ſalis.

Idem lib. 3 Triſt Eleg. 13.

Micaque ſolemni thuris in igne ponet.

15. *Inaurato hoſtia cornu.*] Mos erat ſolemnis apud Antiquos, ut victima-

Alter dictet opus magni mirabile mundi,
Qualis in immenſum deſederit aëre tellus,
Qualis & in curvum pontus confluxerit orbem,
Et vagus è terris quâ ſurgere nititur aër,
Huic & contextus paſſim fluat igneus æther,
Pendentique ſuper claudantur ut omnia cœlo.
At quodcumque meæ poterunt audere Camœnæ,
Seu tibi par poterunt, ſeu quod ſpes abnuit ultra,
Sive minus, certeque canent minus, omne vovemus
Hoc tibi, ne tanto careat mihi carmine charta.

INTERPRETATIO.

condere. Alius canat ſtupendam vaſti mundi molem: quomodo terra depreſſa ſit ſub infinito æthere, quomodo mare concurrerit in rotundam figuram: & quomodo aër huc illuc volitans è terra in ſublime tendere conetur, ipſique flammeus æther connexus undique miſceatur: quomodo denique univerſa cœlo deſuper imminente contineantur. Sed quidquid mea Camœna valebunt, ſive valebunt dicere *aliquid dignum laudibus, ſive, quod ſpes negat, aliquid amplius, ſeu aliquid minus, & profectò dicent minus, illud totum quantumcumque eſt tibi dicamus, ne libellus meus tam præclaro nomine privetur.*

ANNOTATIONES.

rum mactandarum *cornua inaurarentur.* Juvenal. Satyr. 6.

——— *& auratam Junoni cæde juvencam.*

18. *Mundi.*] Hic appellatur *mundus*, cœlum, aër, mare, & terra, quod Cicero vocavit univerſum ſeu univerſitatem.

19. *Deſederit aere tellus.*] Terra ad centrum undequaque condenſata, & compacta ſit, Cicero 1. & 5. Tuſculanarum qq. & lib. 2 de Natura Deorum. *Terra craſſiſſima mundi regio, medium mundi locum tenet, quæ eſt infinitus in rotunda*

Ovid. lib. 1. Metamorphoſ.

Denſior his tellus, elementaque grandia traxit.
Et preſſa eſt gravitate ſui.

20. *Confluxerit orbem.*] Univerſam quippe telluris molem mare circumplectitur.

Unde Catullus.

Oceanusque mari totum qui amplectitur orbem.

22. *Fluat igneus æther.* Quatuor elementa tetigit, quibus tota mundi machina conſiſtit, quorum ignis eſt leviſſimus & liquidiſſimus. Cicero lib. 1. de Natura Deorum. *Æther nominatur ardor ultimus, & undique circumfuſus, & extremus, omnia cingens, & circumplexus.*

Lucretius dixit:

——— *flammantia mœnia mundi,*

23. *Claudantur omnia cœlo*] Non ſolùm à cavitate, quæ Græcè κοῖλ☉, ſed à celando etiam, id eſt, tegendo, dictum eſt *cœlum*, ad quod alluſit Lucanus cùm dixit,

Cœlo tegitur qui non habet urnam.

Ovid. lib. 1. Metamorphoſ.

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia cœlum.

24. *Camœna.*] Muſæ a cantûs amœnitate, ut quidam volunt, ita dictæ. Varro lib. 6. de Lingua Latina auctor eſt ab Antiquis *Carmœnas* & *Caſmœnas* dictas fuiſſe, & inde extrito r, vel ſ, *Camœna*, & *carmina*, facta fuiſſe vocabula. Feſtus. *Camœna, Muſa à carminibus dicta, vel quòd canant Antiquorum laudes, vel quòd ſint caſta mentis præſides.*

Nam, quanquam antiquæ gentis ſuperant tibi laudes,
Non tua majorum contenta eſt gloria famâ,
Nec quæris quid quâque index ſub imagine dicat,
Sed generis priſcos contendis vincere honores,
Quàm tibi majores, majus decus ipſe futurus:
At tua non titulus capiet ſub nomine facta,
Æterno ſed erunt magna volumina verſu,
Convenientque tuas cupidi componere laudes
Undique, quique canent vincto pede, quique ſoluto,

Interpretatio.

Quamvis enim inclyta tuæ familia præconia tibi ſatis ſuperque ſint; tua tamen gloria non ſufficit majorum nobilitas, neque curas quid ſubter quâvis effigie titulus loquatur. At potius genitis tua antiquam gloriam enixeris ſuperare majus ornamentum nepotibus tuis futurus, quàm tibi fuerunt majores. Solum verò elogium ſub nomine tuo *omnia præclara tua facinora non complectetur: at habebis ingentes libros ſempiterno carmine* ſcriptos*, & undequaque circumfluent auctores facta tua fortia celebrare cupientes, quorum alii ſtrictâ,*

Annotationes.

28. *Antiqua gentis.*] *Antiqua gens* Valeria à Valerio Voleſo, ſeu Voluſo, qui Romam è Sabinis cum Tatio venit. Ex hac autem gente erat oriundus Meſſala Corvinus, ſicut & plures aliæ Romanæ familiæ, ut Maximi, Publicolæ, Catuli, Flacci, Barbati, &c.

30. *Index ſub imagine.*] In hoc loco *index* nihil aliud eſt, quàm titulus imaginum, ſeu elogium virorum, quos iſtæ referebant imagines, quod apertè ſignificat Tibullus ipſe cùm dicit:

At tua non titulus capiet ſub nomine facta.

Unde patet minimè illos aſſequi mentem noſtri Poetæ, qui volunt hoc in loco *indicem* & titulum non ſumi pro eodem.

33. *Non titulus capiet ſub nomine.* Solebant Romani Majorum ſuorum imagines ſeu etiam ſtatuas religiosè & diligenter aſſervare, ſub quibus, ſeu in baſi nomen priùs inſcribi ſolebat, deinde breviter res benè geſtæ imperia, magiſtratus, & honores indicabantur, ut Marcus Valerius Corvinus Meſſala, Conſul. Augur. Triumphalis &c. Hoc etiam conveniebat Epitaphiis monumentorum.
Horat. lib. 4. Od. 14. v. 1.

Quæ cura patrum, quæve Quiritium
Plenis honorum muneribus, tuas
Auguſte, virtutes in ævum
Per titulos memoresque faſtos
Æternet?

36. *Canent vincto pede, quique ſoluto*] Oratores, Hiſtoricos, & Poëtas intelligit. Illud, *vincto pede* ad Poëtas refertur, quorum verſus pedibus, quaſi mutuis vinculis connexi currere, & fluere dicuntur.
Horat lib. 1. Sermon. Satyr. 10.

Nempe incompoſito dixi pede currere verſus
Lucilî.

Illud autem, *quique ſoluto*, ad Hiſtoricos & Oratores pertinet, qui non ſtrictâ oratione, ſed liberiori ſcribendi licentiâ, certis tamen numeris & modis, ut iubent Ariſtoteles & Cicero, ſermonis gratiam clariſſimis verborum luminibus, commatibus & periodis exornant. De quibus vide Diomedem lib. 2. cap. de Compoſitione. & Ruffinum de Metris oratoriis. Et hæc eſt quam vocant eloquentiam pedeſtrem.
Horat. lib. 2. Od. 12. v. 9.

——— tuque pedeſtribus
Dices hiſtoriis prœlia Cæſaris
Mæcenas melius.

Queis potiùs certamen erit: ſim victor in illis,
Ut noſtrum tantis inſcribam nomen in actis.
Nam quis te majora gerit caſtriſve, forove?
Nec tamen hinc aut hinc tibi laus majorve, minorve.
Juſta pari premitur veluti cùm pondere libra
Prona, nec hâc plus parte ſedet, nec ſurgit ab illa.
Qualis inæquatum ſi quando onus urget utrinque,
Inſtabilis natat alterno depreſſior orbe.
Nam ſeu diverſi fremat inconſtantia vulgi
Non alius ſedare queat, ſed judicis ira
Sit placanda, tuis poterit miteſcere verbis.
Non Pylos aut Ithace tantos genuiſſe feruntur

INTERPRETATIO.

alii ſolutâ oratione te prædicabunt: eritque inter eos *concertatio, quis te melius* laudabit. Utinam *inter ipſos victor fiam omnes, quò nomen meum tam magnis factis interſeram. Quis enim graviora ſive bello, ſive pace ſuſtinet, quàm tu? Attamen hinc, vel inde gloria non augetur, vel minuitur. Ut quando trutina æqualis onere ſimili urgetur, neque inclinata magis ex iſta lance deſcendit, neque ex ea attollitur. Quomodo fit, cùm inæquale pondus ex utrâque parte deprimit, incerta fluitat alterâ viciſſim inferior lance. Sive enim levitas plebis diſſentientis tumultuetur; nemo alter, quàm tu, eam componere poſſit; ſive judicis indignatio ſit lenienda poterit eloquentiâ tuâ mitigari. Neque Pylos, neque Ithaca tam magnos dicuntur procreaſſe* viros, *Neſtorem* ſci-

ANNOTATIONES.

37. *Certamen erit.*] Magna erit concertatio inter eos, qui te prædicare cupient, quis te potiùs, meliuſve canet; vel quibus *certamen erit*, ut alius alium eleganter & copiosè ſcribendo vincat, & te meliùs pro dignitate valeat laudare.

39. *Caſtriſve, forove.*] Pace, vel bello, militiæ, vel domi, in armis caſtrenſibus, vel forenſibus. Scriptorum quiſque excellentiora dicet de tua in militia, & domi adminiſtrationis ſapientia, & integritate. *Utinam*, inquit, *in eo mihi certamine palma detur. Nemo tamen virtutem tuam dictis æquare poterit, nec dignâ ſatis oratione comprehendere.*

44. *Alterno orbe.*] *Orbem* vocat ſcutulas, ſeu libræ lances, alternatim deſcendentes, aut exſurgentes.

45. *Inconſtantia vulgi*] Pro, *vulgus inconſtans*, ut mox *judicis ira*, pro *judex iratus*.

48. *Non Pylos.*] Latinis *Pylus* Neſtoris patria fuit, unde *Pylius* dictus eſt. Tres autem fuerunt in Peloponneſo hujuſce cognominis civitates, quarum quælibet civem ſibi vindicat Neſtorem. Una fuit in Meſſeniaca regione ad plagam Peloponeſi occidentalem; altera in Elide, quæ ambæ juxta Strabonem ad mare ſunt ſitæ. Tertia ab ipſo locatur in Arcadia, cui tribuendum Neſtorem civem lib. 8. putat. Alii tamen diſſentiunt, exiſtimantque veram Neſtoris patriam eſſe *Pylum* Meſſeniacam ad fluvium Mathuntem, unde *Pylum* Neſtoris patriam ab Homero vocari Amathoentem, ſeu Emathoentem credunt. At *Pylus* Meſſeniaca non eſt ad mare ſita, ſed a littore triginta ferè ſtadiis diſtat, quod ſanè rectè convenit Neſtoris patriæ, quam Strabo fatetur eodem libro triginta tantùm ſtadiis à mari fuiſſe diſſitam, quod rectè *Pylo* Arcadiæ non poteſt

Neſtora, vel parvæ magnum decus urbis Ulyſſem.
Vixerit ille ſenex quamvis, dum terna per orbem
Sæcula fertilibus Titan decurrerit horis:
Ille per ignotas audax erraverit urbes,
Quâ maris extremis tellus includitur undis.
Nam Ciconumque manus adverſis repulit armis:
Non valuit Lotos captos avertere curſus:

INTERPRETATIO.

licet, *vel Ulyſſem ingens exigui oppidi ornamentum. Etſi ſenior iſte vitam traduxerit: donec Titan per cœlum tria ſæcula fæcundis horis confecerit. Iſte verò invictus per incognita oppida vagatus ſit, quà parte terra ultimis fluctibus æquoris cingitur. Etenim Ciconum copias armis oppoſitis repreſſit: nec ejus iter inſtitutum Lotos potuit*

ANNOTATIONES.

convenire, quæ in Peloponeſi meditullio poſita plus trecentis ſtadiis à mari, quà propiùs accedit, ſejungitur.

Aut Ithace.] Inſula in mari Ionio ante Epirum ad oram Peloponeſi occidentalem, caprarum feracilſima, leporibus ita noxia, ut nullus in ea vivere poſſit; ſcopulis frequentibus aſperrima, Neritos etiam à monte ejuſdem nominis dicta. Hæc eſt illa Ulyſſis famoſi patria, qui inde dictus eſt *Ithachus*.

Virgil. lib. Æneid. 2.

Hec Ithacus velit, &c.

49. *Neſtora.*] *Neſtor* Nelei filius, vir fortitudine & prudentiâ ſummâ, parique eloquentiâ præditus, qui trecentis annis vixiſſe traditur, ſi fides Ovidio lib. 12. Metamorphoſ. habeatur. Alii tamen tria ſæcula vitæ quæ *Neſtori* tribuuntur ad annos nonaginta contrahunt, adeò ut ſecundum illos ſæculum aut ætas triginta annorum curriculo contineatur. Vide Cenſorin. de die Natali.

Ulyſſem.] Rex fuit Ithacæ & Dulichii Inſularum, qui fingitur ab Homero vir fuiſſe multâ præditus facundiâ, nec minori experientiâ, vafer conſilio, egregius bello, laborum patientiſſimus. Uxorem habuit Penelopen, ex quâ filium Telemachum ſuſcepit. Ad bellum Troianum profectus eſt, ejuſque operâ tandem expugnato Ilio, cùm poſt multa præclarè geſta in patriam navim conſcendiſſet rediturus, ortâ gravi tempeſtate, in plurimos diuturnoſque errores compulſus eſt, demumque ſuperatis infinitis immenſiſque laboribus & periculis domum reverſus à filio Telegono, quem ex Circe genuerat, occiſus eſt.

50. *Vixerit ille ſenex terna ſæcula.*] Hoc in loco Tibullus ſententiam ſequitur Ovidii 12. Metamorphoſ. qui trecentos ætatis annos Neſtori tribuit; niſi velis ſæculum ex plurimorum opinione annorum triginta ſpatio comprehendere. Vide Cenſorin. de die Natali, & Feſtum, in Sæculares ludi.

51. *Titan.*] Sol, & Titanis Luna quia Soli pater Hyperion & Lunæ avus Cœus, uterque è Titanibus. Unde Virgil. lib. 6. Æneid.

Titania aſtra.

54 *Ciconumque manus.*] *Cicones* Thraciæ ſunt populi ad quos Ulyſſes poſt dirutam Troiam in patriam rediens tempeſtate gravi compulſus eſt appellere, quorum urbem primariam Iſmarum expugnatam diripuit.

55. *Non valuit Lotos.*] Cum Cicones reliquiſſet Ulyſſes tempeſtate etiam delatus eſt ad *Lotophagos* homines minime malos in Africa, qui *Loton* ſeu *Lotum* edebant, ſeu potiùs ejuſdem arboris fructu victitabant; qui cibus tam ſuavis guſtu dulciſque fuiſſe dicitur, ut advenis qui guſtarent oblivionem inferret reditûs in patriam: unde ad *Lotophagos* duo ſocii ab Ulyſſe miſſi,

Ceſſit

Ceſſit & Ætnææ Neptunius incola rupis
Victa Maronæo fœdatus lumina Baccho.
Vexit & Æolios placidum per Nerea ventos,
Incultos adiit Læſtrygonas, Antiphatenque,

INTERPRETATIO.

avocare Neptuninus etiam habitator Ætnae ſaxi cruentatus oculis oppreſſis Maronae Baccho ab eo victus eſt, ventoſque Æolios ſecum abſtulit per tranquillum Nereum. Ad barbaros pervenit Laeſtrygonas & Antiphaten, quos

ANNOTATIONES.

cum præcone, cum fructus illos deguſtaſſent ad naves ſuas obliti ſunt reverti, quos vix ipſe tandem reduxit. Vide Homer. 9. Odyſſ.
Ovid. lib. 4. Triſt. Eleg. 1.

Sic nova Dulichio Lotos guſtata palato,
Illo, quae nocuit grata ſapore fuit.

56. *Ætnaa Neptunius incola rupis.*] Periphraſticôs Polyphemus ſignificatur, filius Neptuni, quem fingit Homerus Odyſſ. lib. 1. Ulyſſi vehementer iratum propter eumdem Polyphemum excæcatum. Habitabat enim Polyphemus in antro quodam montis *Ætna* in Sicilia, ut ipſe idem Cyclops ait apud Ovidium lib. 13. Metamorphoſ.

Sunt mihi pars montis, vivo pendentia ſaxo
Antra, quibus nec Sol medio ſentitur in aſtu.

57. *Maronao fœdatus lumina Baccho.*] Vinum *Maronaum* eſt Iſmarium, ab urbe Iſmaro in Thracia apud Cicones, ſic dictum; Iſmarus enim dicitur etiam *Maronaa*; Plinius tamen duas diverſas urbes *Maronaam* & Iſmarum facit. Cum autem Ulyſſes in Siciliam delatus in Polyphemum incidiſſet, ſibique ſicut ſociis inferre vim pararet, pluresque jam devoraſſet, giganti ſitienti unum cadum vini Iſmarii, quod aſportaverat, dedit, alterumque pollicitus eſt, ſi ipſum ſocioſque incolumes vellet dimittere. Cum autem gigas vino illo inebriatus ſomnum cepiſſet, Ulyſſes ipſi cum ſociis necem parans, oculum unum, quem ſolum in fronte habebat acutis palis eruit; ſicque Ulyſſes & ſocii ex antro Polyphemi tuti & incolumes digreſſi ſunt.

58. *Æolios per Nerea ventos.*] *Æolii* ſunt qui Inſulas Æolias incolunt, vel qui Æolo Regi venttorum parent. Æoliæ autem Inſulæ, quæ & Vulcaniæ dicuntur, in mari Tyrrheno inter Italiam & Siciliam ſitæ ſunt, vulgoque ſeptem numerantur. Dicuntur autem Æoliæ ab Æolo, qui quondam ibi regnavit. Fingunt autem Poëtæ Ulyſſem in Inſulam Æoliam cum veniſſet, ab Æolo Rege benignè fuiſſe exceptum, ab eoque ventos omnes, præter Zephyrum, utre incluſos accepiſſe, ut ab eo ſine tempeſtate domum ſuam poſſet enavigare. At cum novem diebus navigans portum patrium teneret, ipſeque obdormiiſſet, tanta fuit familiarium ejus lætitia, ſimulque aviditas, quid illud eſſet cognoſcendi, ut congeſtas illuc multas divitias opinantes utrem ſolverunt: unde ſtatim Ulyſſes iterùm ventorum vi contrariâ rejectus eſt in Æoliam Inſulam.

Nereus.] Oceani ſeu Ponti & Tethyos creditus eſt filius, ſumiturque hic pro mari.

59. *Laſtrygonas.*] *Laſtrygones* populi fuerunt immanes, gigantibus ſimiles, in Italia Formias Campaniæ urbem olim incolentes, quos Plinius lib. 7. cap 12. carne humanâ victitaſſe refert. Ad hos perveniſſe Ulyſſem cum Tibullo noſtro refert Homerus Odyſſ. lib. 10.

Antiphatenque.] Læſtrygonum rex fuit *Antiphates*, unus ex poſteris Lami Formiatum conditoris, ad quem cum tres è ſuis ſociis miſiſſet Ulyſſes ipſe in littore cum navibus conſiſtens, unus fuit ab eo ore dilaniatus, reliqui duo vix fugâ ſalutem quæſierunt, quos

Mobilis Artacie gelidos quos irrigat unda.
Solum nec doctæ verterunt pocula Circes,
Quamvis illa foret Solis genus apta vel herbis,
Aptaque vel cantu veteres mutare figuras.
Cimmerium etiam obſcuras acceſſit ad arces,
Queis nunquam candente dies apparuit ortu,
Sive ſupra terras Phœbus, ſeu curreret infrà.
Vidit ut inferno Plutonis ſubdita regno
Magna Deûm proles levibus diſcurreret umbris,
Prætergitque citâ Sirenum littora puppi.

INTERPRETATIO.

algentes aqua illuſtris Artaciæ alluit. Illum unum ſcientis Circes pharmaca non mutaverunt; quanquam ipſa erat filia Solis, docta, & idonea convertere vel graminibus, vel carminibus antiquas formas. Adiit etiam tenebroſas Cimmerion regiones, quibus nullo tempore, albente cœlo, viſa eſt lux, ſeu ſupra orbem terrarum, ſeu infrà volveretur Phœbus. Spectavit quomodo potens Divorum progenies Stygio Plutonis Imperio ſubjecta huc illuc tenuibus umbris volitaret, & celeri nave trajecit oras Sirenum. Hunc navigantem in diſcri-

ANNOTATIONES.

Antiphates cum magnâ manu Læſtrygonum inſecutus naves etiam Ulyſſis omni conatu oppugnavit, ſaxiſque & trabibus in eas conjectis, omnes demerſit, unâ tantùm exceptâ, quâ Ulyſſes cum nobilioribus ſociis vehebatur, qui ſucciſis repentè rudentibus vix ſe ſuoſque barbarorum furori eripuit. Vide Homerum lib. 10 Odyſſ.

60. *Quos Artaciæ irrigat unda.*] Fons eſt, & fluvius *Artacia* apud Læſtrygonas. Homer. lib. 10. Odyſſ.

61. *Solum nec verterunt pocula Circes.*] *Circe* filia fuit Solis ex Perſa Nympha Oceani filia, quæ omnes ferè ſocios Ulyſſis convertit in ſues; ſolus evaſit Ulyſſes cum Eurylocho, ut refert Homer. lib. 10. Odyſſ & Hyginus Fab. 105. *Docta*, hoc eſt, veneficæ, in malam partem ſumitur, pharmacis enim & venenis homines dementabat.

64. *Cimmerion.*] De *Cimmeriis* jam ſuprà. Populi ſunt in Aſia vicini ſedibus Amazonum, ad quos Homerus dicit Ulyſſem ex ultimo Occidentis mari appuliſſe, quos etiam ipſe ad Inferos poſuit, quod ad ſeptentrionem & Occidentem habitarent plagas & climata continuis caliginibus & tenebris cooperta, utpote à Solis acceſſu remotiora. Ibidem Somni ſedem locat Ovidius lib. 11. Metamorphoſ.

——— *quo nunquam radiis orienſve cadenſve*
Phœbus adire poteſt, nebulæ caligine mixtæ
Exhalantur humo, dubiæve crepuſcula noctis

Dicuntur etiam *Cimmerii* populi fuiſſe Italiæ ad Avernum lacum, & Baianum ſinum in ſubterraneis domiciliis habitantes, & per cuniculos commeare ſoliti toto die deliteſcebant, noctu tantùm ad latrocinia prodeuntes.

66. *Sive ſupra Phœbus, ſeu curreret infra.*] Duplex hic ſignificatur hemiſphærium, ſuperius & inferius.

67. *Vides ut Inferno Plutoni*] Ulyſſem Poëta noſter cum Homero fingit per Cimmerios deſcendiſſe ad Inferos, ubi heroës plurimos, & Deorum filios huc illuc cum cæteris umbris volitantes conſpexit.

69. *Sirenum littora.*] *Sirenes* fuerunt monſtri marini quædam ſpecies Poëtarum fabulis celebrata, ſuperiori ſui parte virginis formam referens,

Illum inter geminæ nantem confinia mortis
Nec Scyllæ ſævo conterruit impetus ore,
Cùm canibus rapidas inter freta ſerperet undas,
Nec violenta ſuo conſumpſit more Charybdis,
Vel ſi ſublimis fluctu conſurgeret imo,
Vel ſi interrupto nudaret gurgite pontum.
Non violata vagi ſileantur paſcua Solis,

INTERPRETATIO.

mine duplicis lethi violentia Scyllæ dirâ voragine non terruit, cum irreperet ſubter aquas maris à latrantibus monſtris. quibus eſt ſuccincta, *concitatas, neque illum truculenta devoravit Charybdis, ut ſolet, aut dum ſublimis in altum attolleretur è profundis undis, aut dum interciſis fluctibus maris fundum aperiret.* Nec etiam *taceantur armenta Solis vagantis mactata, neque amor, fe-*

ANNOTATIONES.

inferiori verò in piſcis caudam deſinens. Tres autem fuiſſe fabulantur Poëtæ Acheloi fluminis, & Calliopes Nymphæ filias, quarum nomina ſunt Parthenope, Ligia, & Leucoſia. Hæ littus Siculum incolebant in tractu maximè Pelori, tamque artificiosè concinebant, una voce, altera lyrâ, tertia tibiâ, ut nautas tranſeuntes cantûs ſuavitate detinerent, & in naufragium pellicerent. Sed Ulyſſes prudentiſſimus rerumque ſcientiſſimus ut periculum vitaret, cùm illac iter faceret, ſociorum aures cerâ obturavit, ne inſidioſos *Sirenum* cantus exaudirent, ſeque ipſum malo navis juſſit alligari, ſicque tutus evaſit. Unde *Sirenes* cùm ſe contemni viderent, ſe præcipitarunt in mare. Dicuntur etiam *Sirenes* in Capreis Inſulis quondam habitaſſe. De his Martialis lib. 3. ad Caſſianum. Epig. 64.

Sirenas hilarem navigantium pœnam
Blandaſque mortes, gaudiumque crudele,
Quas nemo quondam deſerebat auditas,
Fallax Ulyſſes dicitur reliquiſſe.

70. *Inter geminæ confinia mortis.*] In diſcrimine duplicis mortis, ſeu fati, hinc nempè Scyllæ, inde Charybdis; inter quas enavigavit Ulyſſes tutus & incolumis.

71. *Scylla.*] De *Scylla* jam ſuprà pluribus. Saxum eſt navigantibus periculoſiſſimum in freto Siciliam inter & Italiam.

73. *Charybdis.*] Alterum Siciliam inter & Italiam *Charybdim* fuiſſe periculum, ſeu monſtrum, quo navigantes terrerentur nemo neſcit. Gurges eſt immenſus Scyllæ ſaxo oppoſitus contrariis fluctuum concurſibus in miram altitudinem aſſurgens, ſtatiſque temporum vicibus obvia quæque abſorbens, & iterùm evomens. De qua Virgilius lib. 3. Æneid.

Dextrum Scylla latus, lævum implicata Charybdis
Obſidet, atque imo barathri ter gurgite vaſtos
Sorbet in abruptum fluctus, rurſuſque ſub auras
Erigit alternos, & ſidera verberat undâ.

76. *Paſcua Solis.*] Armenta, ſeu boves Solis, quos Lampetie ejus filia in Sicilia cuſtodiebat, cùm illac tranſnavigaret Ulyſſes, quidam ex ejus ſociis fame compulſi mactaverunt, quorum carnes & fruſta in verubus etiam toſta mugiebant. Qua de re Sol indignatus apud Jovem conqueſtus eſt de Ulyſſe: Jupiter autem Solis querelis motus navem Ulyſſis incendit vixque Ulyſſes in Ortygiam Inſulam ad Nympham Calypſo enatavit.

Non amor, & fœcunda Atlantidos arva Calypſus,
Finis & erroris miſeri Phæacia tellus.
Atque hæc ſeu noſtras inter ſunt cognita terras,
Fabula ſive novum dedit his erroribus orbem,
Sit labor illius, tua dum facundia major.
Nam te non alius belli tenet aptiùs artes,
Quâ deceat tutam caſtris prædacere foſſam,
Qualiter adverſos hoſti defigere cervos:
Quemve locum ducto melius ſit claudere vallo,
Pontibus ut dulces erumpat terra liquores:

INTERPRETATIO.

ficoſque agri Calypſus Atlantidos, neque terra Phaacia illi infelici viarum meta, ſive autem iſta ſint in noſtris regionibus nota, ſive commentum ſtis navigationibus terras affinxerit antea ignotas; ipſius ſit opus: dummodo eloquentia tua laude dignior celebretur. *Nemo autem meliùs, quàm tu, novit rei militaris diſciplinam; quomodo conveniat ſecurâ foſſâ pracingere caſtra, quo pacto cervos hoſtibus contrarios in terram demittere oporteat, & quem locum aggere conſtructo cingere tutius ſit. quomodo tellus emittat ſuaves aquas, &*

ANNOTATIONES.

77. *Non amor, & Atlantidos arva Calypſus.*] *Calypſo* fuit Atlantis filia, Ortygiæ Inſulæ regina, quæ naufragum Ulyſſem hoſpitio ſuſcepit, ardenterque adeò amavit, ut eum ſeptem annos detinuerit, abireque non permiſerit. Unde Ovidius.

Ah quoties illum doluit properare Calypſo.

78. *Phaacia tellus.*] Corcyram intelligit, maris Ionii Inſulam, quò cùm etiam appuliſſet naufragus Ulyſſes benignè ab Alcinoo rege exceptus eſt, cujus amore correpta eſt Nauſicaa Alcinoi filia. Dicitur Phæacia, ſeu Corcyra finis errorum Ulyſſis, quia nempè inde diſcedens rectà navigavit in Ithacam patriam.

81. *Tua facundia.*] Quintilianus lib. 10. Inſtitut. Orator. aſſerit Meſſalam egregiè fuiſſe facundum. *Meſſala*, inquit, *nitidus & candidus, & quodammodo preferens in dicendo nobilitatem ſuam viribus minor, qui etiam Cicerone florente non parum in eloquentia dignitatis cum Pollione obtinuerit.*

82. *Artes belli.*] Rei militaris ſcientiam.

83. *Tutam foſſam.*] *Tuta*, quia nempè caſtra tuta, militeſque ſecuros reddit. Vide Veget. lib. 1. cap. 24. & 25. & Lipſ. lib 5. de Mil. Roman. cap. 5.

84. *Defigere Cervos.*] *Cervi* ſunt in re militari arborum trunci ramoſi in ſimilitudinem cornuum cervi ad majorem caſtrorum ſecuritatem vallo adhibiti. De his vide Frontin. lib. 1. cap. 5. Mos autem fuit Romanorum, ut truncos illos firmiores in terram figerent, & paſſim ſererent itineri impediendo, aut obſtruendo. Livius lib. 44 *Romanus ad Clitas quas vocant munimenta cervis etiam objectu, ut vi in intercluderent à Macedonico ad Toronaicum mare perducit.* Alii legunt; *corvos*, quibus belli inſtrumenta intelligunt, qualia ſunt catapultæ, baliſtæ, phalericæ, ſcorpiones, arietes, &c

86. *Erumpat terra liquores.*] Caſtrametationis & periti ducis eſt providere, ne caſtra ponantur in loco ſicco & aquarum inopi. Docet Veget. lib. 4. cap. 10. quid ſit faciendum ne aquarum penuriâ laborent obſeſſi.

Ut faciliſque tuis aditus ſit, & arduus hoſti,
Laudis & aſſiduo vigeat certamine miles.
Quis tardamve ſudem meliùs, celeremve ſagittam
Jecerit, aut lento perfregerit obvia pilo?
Aut quis equum celeremve arcto compeſcere fræno
Poſſit, & effuſas tardo permittere habenas,
Inque vicem modò directo contendere paſſu,
Seu libeat curvo meliùs contendere gyro?
Quis palmâ ſeu dextra velit, ſeu læva tueri,
Sive hac, ſive illac veniat gravis impetus haſtæ,
Amplior, aut ſignata citâ loca tangere fundâ?
Jam ſimul audacis veniant certamina Martis,
Adverſiſque parent acies concurrere ſignis,

INTERPRETATIO

quomodo acceſſus pateat expeditus tuis militibus *& inimicis ſit invius. Quomodo miles jugi gloria* aſſequendæ *contentione vigeat. Quiſnam aptiùs ſtipitem gravem, aut velox telum emiſeris, vel lento haſtili occurrentia* quæque *perruperis? Vel quiſnam velocem equum ſtrictius lupatis meliùs continere queat, lentoque laxa dare lora, & viciſſim nunc curſu recto, nunc, ſi ita ferat animus, in flexum orbem minore ſpatio arctiùs contenderet? Quiſnam major aptiùs*, quàm tu, *poſſit celeri fundâ notatos ſcopos ferire, ſive cupiat ſcuto dextram, ſive ſiniſtram partem defendere, unde unque longa haſta violentia feratur? Inſuper ſtatim atque accedunt prælia Martis intrepidi, & exercitus inter ſeſe inſtituunt collatis ſignis confligere: Tunc facile tibi eſt formam*

ANNOTATIONES.

88. *Certamine laudis.*] Miles non debet torpere & otiari, ſed aſſiduo ludo & exercitio laudem quærere, ut benè erga ipſum propter ſtrenuitatem ductor afficiatur..

89. *Quis tardamve ſudem.*] *Sudes* lignum in capite acutum leviter, & igni duratum. Vetus id telum, & pleriſque gentibus ſic uſitatum. Unde Propert. lib. 4. Eleg. 1. de priſcis Romanis ait:

Miſcebant uſtâ prælia nuda ſude.

De *ſudibus* porrò ſagittiſque jaciendis vide Veger. lib. 1. cap. 14. & lib. 2. cap. 23.

93. *Directo contendere paſſu.*] A carceribus ad metam, ſive eo in ſtadio, quo haſtati decertant equites, lineâ rectâ concurrere.

94. *Curvo contendere gyro.*] Equum in orbem flectere, & circumagere primi docuêre Lapithæ, ut ait Virgilius lib. 3. Georgic.

Frena Pelethronii Lapythæ, gyroſque dedêre.
Impoſiti dorſo, atque equitem docuêre ſub armis
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.

Illud exercitii genus egregiè expreſſit Manil. lib. 5.

——— ——— *flectere equorum*
Prævalidas vires, & torto ſtringere gyro.

Vide etiam Lucan. Panegyric. ad Piſon.

98. *Certamina Martis.*] *Mars* Deus belli præſes, alio nomine dicitur *Gradivus.* Eodem quo Tibullus ſenſu Virgilius dixit lib. 12. Æneid. v. 790.

Adſiſtunt contrà, certamine Martis anheli.

99. *Adverſis concurrere ſignis.*] Acie directâ pugnare.

Tunc tibi non deſit faciem componere pugnæ,
Seu ſit opus quadratum acies conſiſtat in agmen,
Rectus ut æquatis decurrat frontibus ordo,
Seu libeat duplicem, ſeu junctum cernere Martem,
Dexter uti lævum teneat, dextrumque ſiniſter
Miles, ſitque duplex gemini victoria caſus.
At non per dubias errant mea carmina laudes;
Nam bellis experta cano: teſtis mihi victa
Fortis Iapydiæ miles: teſtis quoque fallax
Pannonius, gelidas paſſim disjectus in Alpes.

Interpretatio.

certaminis ordinare: ſive conveniat, ut cohortes ſtens in aciem quadratam, quo recta ſeries æqualibus frontibus extendatur. ſive placeat ſeparatum, ſeu commiſtum conſpicere Martem, & quo modo miles dexter ſiniſtrum, & lævus dextrum teneatur, & ſit duplicis caſus duplex victoria. Sed verſus mei non vagantur per incertas virtutes. Bellis enim comprobata refero. Teſtis eſt mihi generoſus Iapydia debellata miles: teſtis etiam eſt dolo,us Pannonius nivoſas per

Annotationes.

Lucan. lib. 1. v. 7.
——— *Infeſtiſque obvia ſignis*
Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis

Tria ſunt genera ſignorum militarium ex Veget. lib. 3. cap. 5. Vocalia, ſemivocalia, & muta. *Vocalia* ſigna ſunt, quæ voce humanâ dantur à Ducibus, ut, Apollo, Victoria, Palma, Gallicè, *le mot*. *Semivocalia*, quæ dantur per tubam, buccinam, aut tympanum, &c. *Muta* ſunt, quæ non percipiuntur auribus, ſed referuntur ad oculos, ut, Aquilæ, Aper, Leo, Dracones, Lilia, Vexilla, &c.

100. *Faciem pugnæ.*] Forma, modus, & proſpectus totius exercitus dicitur *facies*, ſeu ordinatio antequàm manus conſerantur. Dixit etiam Virgilius lib. 2. Æneid. *armorum facies*. & lib. 5. *maris facies*.

105. *Duplex gemini victoria caſus.*] Eventum prœlii vocat *caſum*. Eſt enim *caſus*, cùm id quod ita vel ita accidit, aliter evenire potuit: quia nempe ex arbitrio pendet fortunæ. Victoriæ verò ſpem maximè in duplici facie pugnæ dicit Tibullus eſſe poſitam. Sed eſt, meo judicio, *periculoſa plenum opus aleæ*.

107. *Fortis Iapydia miles.*] Iapydia, cujus incolæ *Iapydes* Ptolomæo, *Iapodes* Straboni lib. 7. dicuntur, Illyriæ, ſeu Illyrici regio eſt ad fontes fluvii Timavi ſita, quam nonnulli volunt nunc vocari Iſtriam. Alii volunt eam regionem olim vocatam etiam fuiſſe Valeriam, nunc verò Croatiam. *Iapydes* cùm ſeſe undequaque extenderent, latrociniiſque invaleſcerent ab Auguſto Cæſare, duce Meſſalâ, debellati ſunt; ut cum Tibullo noſtro Appianus Alexandrinus & Strabo lib. 4 Geograph. referunt. *Iapydum* civitates loco laudato numerat Strabo, inter quas Metulum, Arupinum, ſeu Arupenum, Monetium, & Vendrum ponit.

109. *Fallax Pannonius.*] *Pannonii* infidi, rebelles & fœdifragi, quia nempè fidem datam frangunt, facilèque poſt deditionem rebellant. De populis *Pannoniorum* & *Pannonia* agunt pluribus Strabo lib. 7. Geograph. Plin. lib. 3. cap. 25. & Appian. de Illyrico. Dio. lib. 49. 54. & 55. Sueton. in Auguſto, cap. 21. & in Tiberio cap. 9. & 10. Duplex autem eſt *Pannonia*, ſuperior & inferior. *Pannonia* ſuperior ab occaſu Norico, à ſeptentrione Germaniâ, & Iſtro terminatur; ab Oriente

Teſtis Arupinis & pauper natus in annis,
Quem ſi quis videat vetus ut non fregerit ætas,
Terna minus Pyliæ miretur ſæcula famæ.
Centum fœcundos Titan renovaverit annos,
Ipſe tamen velox celerem ſuper edere corpus
Audet equum, validiſque ſedet moderator habenis.
Te duce non aliàs converſus terga domator
Libera Romanæ ſubjecit colla catenæ.
Nec tamen his contentus eris, majora peractis
Inſtant, compertum eſt veracibus ut mihi ſignis,
Queis Amithaonius nequeat certare Melampus.

INTERPRETATIO.

Alpes huc illuc diſperſus: teſtis quoque eſt inops ille genitus in bello Arupino, quem ſi aliquis conſpiciat quomodo longa ſeries annorum non debilitarit, minus admiretur tria ſæcula Pylia laudis. Quamvis enim ex quo ſenex ille *diuturnæ vitæ tempora percurrit, Titan centum annos fertiles redintegraverit; attamen* ipſe *expeditus audet in equum citatum corpus injicere*, & in eo *firmis retinaculis inſidet, ut bonus eques. Tuo ductu, non aliter, populus ille equorum domitor cervicem anteà liberam Romanis ſubmiſit vinculis. Nihilominus iſta tibi non ſufficient, alia illuſtriora, quàm quæ geſſiſti, imminent, ut mihi certis exploratum eſt indiciis, quibus* etiam *non poſſit Me-*

ANNOTATIONES.

habet *Pannoniam* inferiorem, à meridie Illyrium. Hæc autem *Pannoniæ* pars hodie Auſtria, Stiria, Carinthia, & Carniola dicitur, caput habens Viennam urbem celeberrimam ad Danubium ſitam. *Pannonia* verò inferior, quam totam hodie Hungaria occupat, habet à Borea Germaniam & Danubium, ab occaſu *Pannoniam* ſuperiorem, a meridie Liburniam ſeu Illyricum, ab ortu Mœſiam, quæ nunc Servia & Bulgaria dicitur.

Alpes.] Montes altiſſimi Galliam inter & Italiam, quam claudunt à mari infero ad mare ſuperum, qui perpetuis nivibus albeſcunt.

110. *Teſtis Arupinis pauper.*] *Arupinum*, ſive *Arupenum*, urbs eſt Iapydum, quam expugnavit Meſſala, ubi natum quemdam hominem ait Tibullus infimo & pauperrimo loco, qui tamen annoſior & ſenior omnia duriſſima fortiſſimè perferebat.

112 *Pyliæ famæ*] Gloriæ, laudis Neſtoreæ. De Pylo Neſtoris patria in Peloponeſo jam ſuprà pluribus egimus. Celebratus autem Neſtor non tantùm propter ſapientiam, fortitudinem cæteraſque virtutes, quibus excelluit, ſed propter ætatis diuturnitatem, utpote qui per tria ſæcula vitam produxiſſe dicatur.

113. *Titan.*] Sol de quo jam ſuprà.

114. *Ipſe tamen velox.*] Significat Poëta, quòd licet ille ſenex & pauper, effœtus jam eſſet propter annorum ingentem numerum, faciìè tamen inſiliret in equum fortem, ipſumque tenacibus & validis loris regeret & moderaretur.

116. *Domator.*] Pro *domitor*, antiquitùs dicebant Veteres.

117. *Romana colla cathena.*] Imperio Romanorum.

120. *Amithaonius Melampus.*] Filius fuit *Amithaonis* & Dorippes *Melampus*, Medicus, Augur, & Vates præſtantiſſimus, de quo Homerus lib. 13. Odyſſ. Virgil. 3. Georgic. Propert. lib. 2. Eleg. 3. & Statius lib. 3. Thebaidos Is omnium avium voces, cæterorumque animalium intellexit, adeoque auguriis & arte Medicâ excelluit,

Nam modò fulgentem Tyrio ſubtemine veſtem
Indueras, oriente die duce fertilis anni,
Splendidior liquidis cùm Sol caput extulit undis,
Et fera diſcordes tenuerunt flamina venti,
Curva nec aſſuetos egerunt flumina curſus.
Quin rapidum placidis etiam mare conſtitit undis,
Ulla nec aërias volucris perlabitur auras,
Nec quadrupes denſas depaſcitur aſpera ſilvas:
Quin largita tuis ſunt multa ſilentia votis.
Jupiter ipſe levi vectus per inania curru
Adfuit, & cœlo vicinum liquit Olympum,
Intentaque tuis precibus ſe præbuit aure,
Cunctaque veraci capite annuit abditus aris.
Lætior eluxit ſtructos ſuper ignis acervos.

INTERPRETATIO.

lampus Amithaonius repugnare. Recens enim togam ſilo Tyrio ſplendentem ſumpſeras, affulgente die felicis anni ductore, ut ſol candidior caput è mari humido exeruit, & venti invicem diſſentientes ſævos flatus ſuos cohibuerunt, neque amnes flexuoſi ſolitos curſus tenuerunt; imò etiam concitatum æquor cum aquis tranquillis quievit: neque ulla avis tunc *volavit per levem aërem*, *neque* etiam *ulla ruſtica quadrupes opaca nemora detondit: imò tuis optatis omnia dederunt magnum ſilentium. Jupiter ipſe delatus per vacuum aërem velocibus quadrigis interfuit, cœloque propinquum deſeruit olympum, & arrectis auribus ſiſe tuis votis applicuit, & omnia nutu capitis ſincero annuit. Ignis altaribus ſuppoſitus emicuit proſperior ſupra congeſtos lignorum*

ANNOTATIONES.

ut ipſi templum, feſta ſolemnia, & ſacrificia, ſi fides adhibeatur Pauſaniæ, fuerint inſtituta.

121. *Tyrio ſubtemine.*] Veſtem purpuream, tramâ *Tyriâ*, ſeu ſtamine *Tyrio* contextam. Apud Tyrum enim, ut ſæpè jam dictum eſt, optima purpura tingebatur, quod etiam *oſtrum Sarranum* dicebatur. *Tyrus* autem eſt urbs Phœniciæ ad mare Mediterraneum ſita, quam olim Alexander Magnus obſedit, ægreque admodum expugnavit.

122. *Oriente die duce fertilis anni.*] Calendas intelligit Januarias, quæ præ cæteris fuerunt celebres apud Romanos, tum quòd novum annum aperirent, omniaque opera inchoarent, tum quia tota civitas eo die læto cultu, populuſque togâ candidâ indutus, coronisque redimitus Capitolium aſcendebat; novoſque Conſules magiſtratum ineuntes illuc comitabatur, ubi ſolemnia pro more ſacrificia pro votis Conſulum peragebantur. Significat verò Poëta, cùm vota illa ſolemnia in Capitolio conſulatum iniens Meſſala ſuſciperet, cœlum, terram, mare, aërem, Deos, omnia animalia, cum magno & alto ſilentio ſuas aures precibus ipſius præbuiſſe.

131. *Vicinum liquit Olympum.*] *Olympus* mons eſt altiſſimus Macedoniam inter & Theſſaliam nubes tranſcendens: unde ſæpiùs à Poëtis ſumitur pro cœlo, & Jovis Deorumque domicilio, ſed hic pro monte accipitur, qui dicitur *vicinus cœlo* propter immenſam altitudinem.

133. *Capite annuit.*] Deorum Regumque ſanctitas majeſtaſque exigit, ut motu capitis, ſeu nutu voluntatem

Quin

Quin, hortante Deo, magnis inſiſtere rebus
Incipe: non iidem tibi ſint, aliiſque triumphi,
Non te vicino remorabitur obvia Marte
Gallia, nec latis audax Hiſpania terris,
Nec fera te Tyrio tellus obſeſſa colono.
Nec quâ vel Nilus, vel regia lympha Choaſpes
Profluit, aut rapidus Cyri dementia Gyndes,

INTERPRETATIO.

cumulos. Imò etiam, impellente Deo, illuſtria facta urgere quamprimùm aggredere: non hujuſmodi triumphi tibi ſint, qui cæteris contigerunt. Nec Gallia tibi occurrens proxime Marte te retardabit, neque ferox vaſtis campis Hiſpania; neque terra barbara Tyrio agricola poſſeſſa: neque illa regio, *per quam Nilus*, neque illa per quam *Choaſpes regalis aqua delabitur*, *vel violentus*

ANNOTATIONES.

indicent ſuam, ſignificentque ſe rata habere & probare vota ipſis nuncupata.

137. *Vicino obvia Marte.*] Deus *Mars* belli præſes, hic pro bello ſumitur.

138 *Gallia.*] Vidimus ſuprà lib. 1. Eleg. 12. Meſſalam in *Gallia* geſſiſſe bellum, & inde triumphum reportaſſe.

Non ſine te eſt mihi partus honos,
Tarbella Pyrene
Teſtis. &c.

Hiſpania audax.] Vaſta ad Occidentem, & Meridiem Europæ Provincia, ab Africa freto Gaditano, & mari Mediterraneo ſejuncta, undique mari cincta, niſi quâ ſpectat Galliam, à qua Pyrenæis montibus ad Septentrionem ſeparatur

139. *Tyrio tellus obſeſſa colono.*] Alii legunt, *poſſeſſa*. Africam ſine dubio innuit, quam coloni è Tyro profecti Reginam Didonem ſecuti incoluerunt, Carthaginemque condiderunt; ut ex Virgilio notius eſt, quàm ut nunc referri debeat.

140. *Nilus.*] Ægypti fluvius, à Nilo rege ſic dictus, unuſque è majoribus orbis fluviis, qui in extrema Africa ad Auſtrum ortus non longè ab Oceano peragratis multis vaſtiſque regionibus in terram ſe condit; unde poſt viginti dierum & ampliùs iter erumpens per immenſa Africæ deſerta in Æthiopiam fluit, quam mediam ſecat, tandemque per immenſa itinera in Ægyptum delabitur, quam fœcundat, ſeptemque in Mediterraneum mare oſtiis immenſas aquarum moles effundit. Significat autem Tibullus bellum Ægyptium, quod confectum eſt ab Auguſto, Alexandriâ captâ, Ægyptoque in Provinciæ formam redactâ non remoraturum Meſſalam, qui in eo etiam bello ſuas partes habuerat, ut canit ejuſdem comes ipſe Tibullus lib. 1. Eleg 8. v. 23.

Nile pater quânam poſſum te dicere cauſâ,
Aut quibus in terris occuluiſſe caput.
Te propter nullos tellus tua poſtulat imbres. &c

Regia lympha Choaſpes.] Fluvius eſt *Choaſpes* Medorum & Perſarum, qui apud Uxios ortus urbem Suſa alluit, & ad Perſidis fines in Tigrim influit. Huius fluminis aqua tantæ dulcedinis eſſe dicitur, ut non ſolùm Perſarum, ſed vicini etiam Reges aliâ ad potum non utantur, & quocumque peregrinantur eam ſecum ferri jubeant. Unde dicitur *Regia lympha*. De hoc fluvio vide Herodot. lib. 1. Plin. lib. 30 cap. 27. & lib. 31 cap. 3. Solin cap. 41. Ælian. Plutarch. in Artaxerxe, & Strabonem lib. 15.

141. *Cyri dementia Gyndes.*] *Gyndes* Fluvius eſt Aſiæ ex Mantienis montibus, unde etiam Araxes fluit, originem ducens per Perſas & Medos, & urbem Opin in Tigrim delabitur. Hunc

Ardet Arectæis aut unda perhoſpita campis.
Nec quâ regna vago Tomyris finivit Araxe,
Impia nec ſævis celebrans convivia menſis
Ultima vicinus Phœbo tenet arva Padæus,

Interpretatio.

Gyndes amentia Cyri curris, vel aqua percommoda ægris Arectais calet: neque illa quâ Tomyris terminos imperii conclusit Araxe rapido; neque ea terrarum pars quâ Padaus Phœbo proximus instruens nefarias epulas crudelibus menſis occupat extremas terras, nec e per quam fluens Hebrus, & Tanais

Annotationes.

Seneca lib. 3 de Ira circa Babyloniam, Ammianus in Media ponit, apud Tacitum lib. II. Ann. Dahas, Arioſque disterminat. Dicitur porrò *Cyri dementia*, quod cùm *Cyrus* Perſarum Rex ad bellum feſtinans, alii volunt contra Babylonios, alii contra Tomyrin Scytharum Reginam, *Gyndem* latè effuſum amnem vado tranſire tentaret, unuſque ex equis, qui regium currum trahebant, abreptus eſſet ſubmerſuſque, *Cyrus* indignatus, dimiſſo belli conſilio & apparatu, intermiſſoque itinere, totam illam æſtatem, numeroſumque exercitum exhauriendo flumine, & in trecentos & ſexaginta rivos, ut cuilibet etiam mulierculæ eſſet permeabile, diſpergendo contriverit Hiſtoriam refert hujus rei Herodot. lib. I. eamdemque narrat Seneca verbis exquiſitiſſimis lib. 3. de Ira cap. 21. *Cyrus cùm Babylonem expugnaturus feſtinaret ad bellum, cujus maxima momenta in occaſionibus ſunt. Gyndem latè fuſum amnem vado tranſire tentavit, quod vix tutum eſt etiam dum ſenſit æſtatem, & ad minimum deductus eſt. Ibi unus ex his equis qui trahere regium currum albi ſolebant abreptus vehementer commovit regem. Juravit ergo amnem illum regis equis commeatum auferentem, eò ſe redacturum, ut tranſiri, calcarique etiam fœminis poſſet. Huc deinde omnem tranſtulit belli apparatum, & tamdiu aſſedit operi, donec centum & octoginta canaliculis diviſum alveum in trecentos & ſexaginta rivos diſpergeret, & ſiccum relinqueret, in diverſum fluentibus aquis. Periit itaque & tempus, & magna in magnis rebus jactura, & militum ardor, quem inutilis labor fregit, & occaſio aggrediendi imparatos, dum ille bellum indictum hoſti cum flumine gerit.*

142. *Arectais unda perhoſpita campis.*] Alii legunt, *Creteis ardens aut unda Caryſtia campis.* Quo ſenſu, non meum puto divinare. Legendum fortè eſt, *Aractais campis.* Regio eſt enim in Babylonia *Artacene* dicta, mendosè forſan, pro *Aractene*, unde *Aractai* ſive *Arectai campi.* In ea ſanè regione referunt Strabo lib. 16. & Plin. lib. 2. eſſe fontes & lacus ardentes. Hæc ſunt verba Strabonis: *Regio ipſa, in qua Arbela, Artacena dicitur. Circa Arbela eſt urbs Demetrias. Poſt fons, qui naphtha ſcatebras habet & ignes*, &c. Plin. verò loco citato hæc habet: *Campus Babyloniæ flagrat quadam veluti piſcina jugeri magnitudine bituminis.*

143. *Tomyris finivit Araxe.*] *Tomyris* Maſſagetarum ſeu Scytharum Regina, quæ ut filii necem ulciſceretur Cyrum vicit & occidit, ipſiuſque caput in utrem ſanguine humano plenum conjecit cum hac exprobratione: *Satia te ſanguine humano, quem tantopere ſitiiſti.*

Araxe] *Araxes* fluvius Armeniæ ex eodem monte, ex quo Euphrates naſcens contrario tamen curſu ad Orientem primò, deinde ad Septentrionem currens in mare Caſpium devolvitur. Super hunc licet rapidiſſimum pontes Alexander Magnus, & Auguſtus Cæſar fecerunt.

145. *Padæi.*] Padæi Indiæ ſunt populi ad ultimum Orientem ſiti, Antio-

Quâque Hebrus Tanaiſque Getas rigat, atque Magynos.
Quid moror? Oceanus Ponto quâ continet orbem,
Nulla tibi adverſis regio ſeſe offeret armis.
Te manet invictus Romano Marte Britannus,
Teque interjecto mundi pars altera Sole.
Nam circumfuſo conſiſtit in aëre tellus,
Et quinque in partes toto diſponitur orbe.

INTERPRETATIO.

Getas & Magynos alluit. Sed quid moror? Quacumque mari mundum cingit Oceanus, nulla natio ſeſe tibi armis contrariis opponet. Te expectat Britannus hactenus Marte Romano invictus; & alia mundi interpoſito ſole portio. Terra enim ſtat in aëre ipſam ambiente, universus uimirùm terrarum globus in

ANNOTATIONES.

pophagi, qui ægrotantibus antequàm moriantur, veſcuntur. Vide Herodot. in Thalia. Alii malunt, legere, *Sabans*.

146. *Quaque Hebrus.*] Fluvius eſt Thraciæ ex Rhodope monte naſcens aureas volvit arenas, qui è regione Samothraciæ Inſulæ in mare Ægæum ſeſe exonerat.

Tanaiſque.] Fluvius eſt Scythiæ qui è montibus Riphæis ortus, Aſiam dividit ab Europa, & à Septentrione in Meridiem fluens in paludem Mæotim ſeſe effundit. Vide Strab. lib. 10

Getas rigat.] *Getæ* populi ſunt Europæ ad Pontum Euxinum & Tanaim ſiti Nonnulli eoſdem Dacos & Gothos vocari volunt. Apud *Getas* exulavit Ovidius Poëta, in urbe Tomis, quam nunc volunt vocari *Themiſuvar*; *Getarum* regionem nunc occupant *VValachia & Moldavia*, &c.

Atque Magynos.] *Magyni* ſeu *Magini* populi Scytharum gens circa Tanaïm, qui hodie vocantur, *les petits Tartares*. Hos vocarunt Hebræi *Mageg*, ſicut *Getas*, vocarunt *Geg*.

149. *Romano Marte Britannus.*] Romanis armis nondum ſubactus *Britannus*. *Britanni* incolæ ſunt Inſulæ Britanniæ in Oceano ocidentali ſitæ, & ad Boream protenſæ, qui quidem nondum Augusti Cæſaris ætate à Romanis penitùs fuerant devicti, licèt à Julio Cæſare fuiſſent anteà jam tentati. Claudius verò Imperator primus Romanorum eos ſuæ ditionis fecit, ut refert Seneca Tragicus in Octavia.

Medò cui totus paruit orbis
Ultra Oceanum; cuique Britanni
Terga dedêre
Ducibus noſtris antè ignoti,
Juriſque ſui.

Et pauló pòſt:

Eu qui Britannis primus impoſuit
jugum, &c.

150. *Mundi pars altera.*] An intelligit Antipodas, ſeu alterum Hemiſphærium, de quo ſuprà dixit:

Sive ſupra terras Phœbus, ſeu curreret infra.

An intelligit terram aliam à noſtro continenti diviſam, & toto ſummotam Oceano, ut dixit Virgilius:

——— *Toto diviſos orbe Britannos.*

Interjecto Sole.] Quaſi tranſiturus eſſet Meſſala per Zonam torridam, quàm Sol ſemper inſiſtit, atque interpoſito Sole Zonam alteram temperatam noſtræ huic oppoſitæ debellaturus, victoriiſque & triumphis illuſtraturus.

151. *Circumfuſo conſiſtit in aere tellus.*] Terra in centro mundi poſita undique aëre ambitur. Cicero lib. 2. de Natura Deorum. *Terra in media mundi parte ſita eſt, circumfuſâ undique hac amabili ſpirabilique naturâ, cui nomen eſt aër*

Claudian. de 4. Conſulat. Honorii.

Et qui perpetuò terras ambitque vehitque.
Nec premat incumbens oneri, nec ceſſerit aer.

152. *Quinque in partes.*] Ab aëris terram ambientis temperie in quinque

Atque duæ gelido vaſtantur frigore ſemper.
Illic & denſâ tellus abſconditur umbrâ,
Et nulla incœpto perlabitur unda liquore,
Sed durata riget denſam in glaciemque nivemque,
Quippe ubi non unquam Titan ſuperegerit ortus.

INTERPRETATIO.

quinque portiones diſtinguitur, quarum dua rigido algore inculta ſunt, ibique terra opacis tenebris tegitur, nullaque aqua inchoato latice profluit, at conſtricta concreſcit in gelu durum, & nivem opacam. Nam illic nunquam Ti-

ANNOTATIONES.

zonas orbis dividitur, quas Latini *cingulos, faſcias, plagas, circulos* vocant Aër vel eſt frigidus, vel temperatus, vel æſtuoſus, ſeu calidus. Æſtuoſus eſt in ea plagâ quam Sol ſemper inſiſtit, utpote quam duo Tropici, Cancri ſcilicet & Capricorni, intercludunt, quæque gradibus 47. comprehenditur. Illaque terræ plaga dicitur *Zona torrida*, utpote quæ ſemper Solis ardore torretur. *Zona temperata* ea eſt in qua aër eſt temperatus, & *miſta enim frigore flamma*, & ad quam Sol ita non accedit, ut jugiter torreatur, nec etiam perpetuo gelu rigeat. Ea autem terræ pars ſeu *Zona* duplex eſt, altera *Septentrionalis*, quæ eſt noſtra, altera *Auſtralis*. *Septentrionalis*, quæ & noſtra, à Tropico Cancri, ſeu Solſtitio Æſtivo ad parallellum 67. Boream verſus, ſeu Circulum polarem Arcticum extenditur. *Auſtralis* ſeu Meridionalis noſtræ oppoſita ad *Auſtrum* Tropico Capricorni, ſeu Solſtitio hyemali, & Circulo polari Antartico, ſeu parallello 67. Meridiem verſus clauditur. Utraque tamen non æquabiliter temperata eſt, ſed vel frigidior, vel calidior eſt, prout propiùs, vel longiùs à Tropico recedit Adi Macrob. lib. 2. in Somn. Scipionis cap. 7. *Frigida* denique *Zona* dicitur ea terræ plaga, quæ perpetuo gelu riget. & jugi frigore premitur, utpote quæ longiſſimè abeſt à Sole, Circulo polari, ſeu parallelo 67. ſeu gradu latitudinis 66. ſub polis utrimque comprehenſa Duplex autem hæc etiam eſt, *Arctoa*, ſeu *Septentrionalis*, ſub polo ſeptentrionali, ſeu Arctico ſita; *Meridionalis* altera, ſeu *Auſtralis*, quæ ſub Polo Antartico ſeu *Meridionali*, vel *Auſtrali* iiſdem latitudinis gradibus à parallello nempè 67. clauditur.

Virgil. lib. 1. Georgic.

Quinque tenent cœlum zonæ, quarum una corusco
Semper Sole rubens, & torrida ſemper ab igni,
Quam circum extremæ, dextrâ lævâque trahuntur
Caruleâ glacie concretæ, atque imbribus atris
Has inter mediamque duæ mortalibus ægris
Munere concesſæ Divûm, &c.

Vide etiam Ovidium lib. 1. Metamorphoſ.

154. *Tellus abſconditur umbra.*] Perpetuis caliginibus, & æterno frigore premuntur zonæ polares ambæ, vixque ad eas Solis radii perveniunt, unde & incultæ, & inhabitabiles.

Virgil. lib. 3. Georgic.

Tum Sol pallentes haud unquam diſcutit umbras
Nec cùm invectus equis altum petit æthera, nec cùm
Præcipitem Oceani rubro lavit æquore currum.

155. *Incœpto liquore.*] Significat vi frigoris fluvios non habere ſibi naturalem curſum, ſed ſimul ac fluere & manare incipit, aquam in glaciem & gelu concreſcere, ut verſu ſequenti declarat.

Ăt media eſt Phœbi ſemper ſubjecta calori,
Seu propior terris æſtivum fertur in orbem,
Seu celer hibernas properat decurrere luces.
Non ergo preſſo tellus conſurgit aratro,
Nec frugem ſegetes præbent; nec pabula terræ.
Non illic colit arva Deus, Bacchuſve, Cereſve,
Nulla nec exuſtas habitant animalia partes.
Fertilis hanc inter poſita eſt, interque rigentes,
Noſtraque, & huic adverſa ſolo pars altera noſtro,
Quas ſimilis utrinque tenens vicinia cœli
Temperat, alter & alterius vires necat aër.
Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus,
Hinc & colla jugo didicit ſubmittere taurus,
Et lenta excelſos vitis conſcendere ramos.
Tondeturque ſeges maturos annua partus,
Et ferro tellus, pontus confinditur ære.

INTERPRETATIO.

tam exercitur; ſed media jugiter ardoribus Phœbi ſubjacet, ſive telluri viciniter decurrit in æſtivalem circulum, ſive rapidus feſtinat hyemales dies emetiri. Haud itaque ibi terra excitatur adunco vomere; neque meſſem ſata afferunt, neque ullas *herbas agri. Nullus ibi Deus agros exercet, neque eſt ibi Ceres, nec Bacchus, neque* ulla *animalia torridas illas plagas incolunt. Inter iſtam & duas frigidas ſita eſt* Zona *temperata noſtra, & alia huic noſtra Zona oppoſita, quas ex utraque parte æqualis vicinitas cœli complectens moderatur; & alter aër alterius robur frangit. Inde nobis annus per* quatuor *tempeſtates agitur. Hac in regione bos aſſuevit cervices jugo ſubjicere, flexiliſque vinea conſurgere ad ſublimia uſque* arborum *brachia, & fruges quotannis maturis fœtibus demetuntur, terraque ferro aratur, mare verò ære*

ANNOTATIONES.

159. *Æſtivum fertur in orbem.*] *Orbis æſtivus* eſt ſpatium illud, quod Sol in orbem eundo tempore æſtatis, cùm ad ſolſtitium Cancri volvitur, decurrit: unde propriè *orbis æſtivus* idem eſt quod *æſtas*.

162. *Nec frugem ſegetes præbent.*] Zonam torridam penitùs eſſe deſertam & incultam, ſed omnibus animalibus inhoſpitam & inhabitabilem Veteres crediderunt; unde nec frumenta nec fructus, nec herbas aut aliquid aliud ibidem naſci poſſe crediderunt: ſed eos turpiter erraſſe poſteriora tempora prodiderunt, cùm & fructus ibidem optimos, fœcundiſſimaſque fruges, plurimaque animalia, & herbas naſci, populoſque innumerabiles, ſubjectas zonæ torridæ regiones etiam incolere compertum ſit, & exploratum.

163. *Colit arva Deus.*] Hinc apparet Deos Agricolas agnoviſſe Tibullum: vnde etiam dixit ſuprà lib. 1.

Redditur Agricolis gratia Cœlitibus.

Bacchuſve, Cereſve.] *Bacchum* & *Cererem* Poëtæ ſemper conjungunt, quorum munera ſunt vinum & panis. *Bacchus* enim eſt vitis ſator, & *Ceres* frugum Dea, ſeu arationis & agricolationis inventrix. Virgil.

Liber & alma Ceres.

Terent.

Sine Cerere & Baccho friget Venus.

166. *Noſtraque & huic adverſa.*] Significat Zonam noſtram, & alteram

Quinetiam ſtructis exurgunt oppida muris.
Ergo ubi per claros ierint tua facta triumphos,
Solus utroque idem diceris magnus in orbe.
Non ego ſum ſatis ad tantæ præconia laudis,
Ipſe mihi non ſi præſcribat carmina Phœbus.
Eſt tibi qui poſſit magnis ſe accingere rebus
Valgius. Æterno propior non alter Homero,

INTERPRETATIO.

ſuleatur. Præterea mœnibus ædificatis urbes excitantur. Cum igitur tua præclarè geſta meritos petent triumphos, tu unus celebraberis in utroque orbe magnus. Ego verò tam magnæ gloriæ prædicationi non ſufficio, quamvis etiam Phœbus ipſe mihi *verſus dictet. Valgium habes, qui ſe factis ingentibus parem præſtare queat,* quo *nemo alius magis accedit ad Homerum immorta-*

ANNOTATIONES.

ad Meridiem huic noſtræ oppoſitam, inter torridam & duas gelidas ſeu rigentes æqualiter ad dextram & lævam collocari

176. *Utroque diceris magnus in orbe.*] In noſtro ſcilicet & Antipodum, ſeu in zona noſtra temperata Septentrionali, & in illa altera Meridionali, cùm illuc, interjecto Sole, ut ait ſuprà, tranſieris, triumphoſque reportaveris.

180. *Valgius.*] Cum Tibullo noſtro *Valgium* celebrat Horatius lib. 1. Sat. 10. ſed & ipſi libri ſecundi Oden nonam inſcripſit, ut cum de morte filii dilectiſſimi, quem amiſerat, ſolaretur, hortareturque ut tandem flere deſineret.

> ——— *deſine mollium*
> *Tandem querelarum; & potiùs nova*
> *Cantemus Auguſti tropæa*
> *Cæſaris*, &c.

Hunc Acron & Porphyrion Horatii Interpretes conſularem dicunt. C. *Valgium* Rhetorem etiam meminit Quinctilian. pluribus in locis, maximè verò lib. 3. cap. 1. & 3. & lib. 5. cap. 10. Sed an ſit idem cum *Valgio*, de quo Horatius & Tibullus, non meum eſt dijudicare. Sed C. *Valgium*, quem Plinius memorat, lib. 25. cap. 2. non dubium eſt fuiſſe eundem cum *Valgio*, de quo hic Tibullus. Hæc ſunt Plinii verba: *Unus illuſtrium idem tentavit* (de herbis & medicina ſcribere) C. *Valgius eruditione ſpectatus, imperfecto volumine ad D. Auguſtum, inchoatâ etiam Præfatione religioſâ, ut omnibus malis humanis illius potiſſimùm Principis ſemper medicetur Majeſtas.*

Æterno propior Homero.] Poëtarum *Homerus* fuit longè excellentiſſimus, qui cœcus fuiſſe dicitur. Unde natus ſit incertum. Nominis enim ejus fecit claritas, ut quem vivum, rebuſque omnibus egentem, nemo agnoverit; multæ eum Græciæ urbes ſibi mortuum vindicarent, adeò, ut quibus potiſſimùm credere debeamus, non facile ſit diſcernere. Quod etiam Cicero Orat. pro Archia Poëta teſtatur. *Homerum*, inquit, *Colophonii civem dicunt eſſe ſuum, Chii ſuum vindicant, Salaminii repetunt. Smyrnæi verò ſuum eſſe affirmant. Itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt; multi alii prætereà pugnant inter ſe, atque contendunt.*

Eadem de re legitur apud Gell. lib. 3. cap. 11. hoc diſtichon Græcum.

> Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν
> Ὁμήρου
> Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφών, Σαλαμίν,
> Χίος, Ἄργος, Ἀθῆναι.
> *Septem urbes certant de ſtirpe inſignis*
> *Homeri,*
> *Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis,*
> *Chios, Argos, Athenæ*

Inde conjicere eſt *Valgium*, de quo

Languida non noſter peragit labor otia , quamvis
Fortuna , ut mos eſt illi , me adverſa fatiget.
Nam mihi cum magnis opibus domus alta niteret ,
Cui fuerant flavi ditantes ordine ſulci
Horrea , fœcundas ad deficientia meſſes :
Cuique pecus denſo paſcebant agmine colles ,
Et domino ſatis , & nimium furique , lupoque.
Nunc deſiderium ſupereſt ; nam cura novatur ,
Cùm memor anteactos ſemper dolor admonet annos.
Sed licèt aſperiora cadant , ſpolierque relictis :
Non te deficient noſtræ memorare Camœnæ :

INTERPRETATIO.

lem. Noſtrum opus inertia non terit otia ; quanquam mala me fortuna , ut ſolet , inſectatur. Etenim dum mihi ſu perba domus multis divitiis ſplenderet, qui habebam agros horrea locupletantes non ſufficientia copioſis frugibus capiendis ; qui pecus etiam habebam magnâ multitudine colles detondens , quod here ſuo ſufficeret , & prædonibus , & lupis nimis pluſque eſſet , modò tantùm horum *reſtat memoria. Dolor enim refricatur , quoties jugę deſiderum facit me meminiſſe temporis præteriti. At quamvis graviora & duriora eveniant , & exuar iis , quæ ſup.rfuerant ; non ta*men *deſinent meæ Camœnæ te celebrare.*

ANNOTATIONES.

noſter Tibullus optimum Poëtam fuiſſe & clariſſimum ; quoniam eum maximè ad Homerici carminis , quod ſanè eſt immortale & divinum , accedere prædicare non dubitavit.

182. *Fortuna me adverſa fatiget.*] Mirabilis ſanè varietas *fortunæ* eſt , adeò ut dicatur jocari , quoties ignavos extollit , & honeſtos deprimit ; moſque eſt illi , ut bonos vexet , malis autem maxime faveat : unde rectè dicitur , *viris invida fortibus.*

183 *Nam mihi cum magnis.* &c.] Imperfectus videtur ſententiæ tenor , niſi ſuppleas , *languida tum peragebam otia , cum mihi domus niteret cum magnis opibus* ; hoc eſt , dum locuples eſſem , operam dabam Muſis & carminibus. Jam ſuprà lib. 1 Eleg. 1. vidimus Tibullum noſtrum magnis quondam bonis floruiſſe.

Horat. lib. 1. Epiſt. 4. ad Tibull.

Non tu corpus eras ſine pectore , Dii tibi formam ,
Dii tibi divitias dederant , artemque fruendi.

185. *Meſſes ad deficientia horrea.*] Notat abundantiam frugum , quibus aſſervandis horrea quæ ſatis magna habebat , non ſufficerent.

189. *Nunc deſiderium ſupereſt* , &c.] Senſus eſt , Ego quidem olim divitias poſſedi opimas ; nunc autem iiſdem carens dolor tantùm , & deſiderium earum ſupereſt ; quod quidem me maximè pungit , cùm me multâ jam video provectum ætate , cui defuturum eſt viaticum. Quamvis noſter Poëta bonorum jacturamque inopiamque queratur ; Horatius tamen ejus amicus Epiſtolâ modò laudatâ indeficientem ei crumenam ad ipſum ſcribens tribuit epiſtolâ 4 lib. 1. modò laudatâ.

——— *& cui*
Gratia , fama , valetudo , contingat abundè ,
Et mundus victus non deficiente crumenâ.

191. *Noſtra memorare Camœna.*] Muſæ meæ te prædicare non deſinent , ut dixit ſuprà.

Et quodcumque meæ poterunt audere Camœnæ.

Nec ſolùm tibi Pierii tribuentur honores.
Pro te vel rapidas auſim maris ire per undas,
Adverſis hiberna licèt tumeant freta ventis,
Pro te vel ſolus denſis ſubſiſtere turmis,
Vel parvum Ætnææ corpus committere flammæ,
Dum quodcumque tuum eſt, noſtri ſi parvula cura
Sit tibi quanta libet, ſi ſit modò, non mihi regna
Lydia, non magni potior ſit fama Gylippi.
Poſſe Meletæas nec mallem vincere chartas,
Quod tibi ſi verſus noſter totuſve minuſve,
Vel benè ſi totus, ſummo vel inerret in ore:

INTERPRETATIO.

neque tibi tantùm Pieria laudes dabuntur à me: 1 *tuá* namque *cauſâ aggrediar lubens inſanos fluctus æqueris adire, quamvis maria hiberna ventis contrariis intumeſcant: tuá* quoque *cauſâ* ego *etiam unus* audeam *me objicere numeroſis catervis, aut etiam exiguum corpus* meum *ignibus Ætneis tradere. Tuum* enim *eſt illud, quidquid ſum. Si mei quantulumcumque ſtudium tibi ſit, dummodò* tibi *ſit, non imperium Lydiæ, non gloria clari Gylippi præſtantior mihi videatur, neque magis optarem valere tibi offerre Libellos Meletaos. Si verò meum* hoc *Poema univerſum, ſeu aliqua pars illius, optimè autem erit ſi univerſum, in primoribus ſaltem labris tuis vagetur; nulla*

ANNOTATIONES.

191. *Pierii tribuentur honeres.*] Ornamenta nempè & munera Muſarum, quæ dictæ ſunt *Pierides*, ut inquit Feſtus, propter amœnitatem & ſolitudinem *Pierii* Theſſaliæ montis. Secretis enim locis Muſæ ad ſtudia liberalia delectantur.

196. *Ætnæa corpus committere flammæ.*] Vidimus jam ſuprà *Ætnam* montem eſſe Siciliæ flammas eructantem, quem dixit etiam *Ætnæam rupem*. De quo vide Virgilium lib. 3. Æneid. qui etiam lib. 7. Æneid. ait, *Ætnæos afflantem faucibus ignes*

199. *Lydia.*] *Lydia regnum* fuit olim ditiſſimum, ſummâque potentiâ pollens & imperio, ut omnes ſcribunt Auctores de Crœſo *Lydorum* Rege. Quondam enim *Lydia* flumina, & lacus aureas glebulas, & argentea ramenta, ſeu ſtrigmenta tuliſſe dicuntur; quæ jampridem defeciſſe ſcribit Strabo Geographic lib. 13. agens de Pactolo, & monte Tmolo.

Fama Gylippi.] Nonnulli legunt *Philippi* Alexandri patris gloriam, & potentiam, qui plura memoratu digna fecit, innuentes. *Gylippus* autem fuit vir Lacedæmonius, qui miſſus in auxilium Syracuſanis contra Athenienſes centum & triginta naves Athenienſium cepit & incendit, Syracuſanoſque ab hoſtium obſidione liberavit eorum captis bello Ducibus Demoſthene & Niciâ Vide Juſtin. lib. 4. Hiſtor. & & Plutarch. in Nicia. *Famam* tamen *Gylippi* Ducis inclyti contaminaſſe ſordes, & avaritiam, quod vitium habuit à Clitandro patre hæreditarium, idem ſcribit Plutarchus.

200 *Meletæas chartas.*] Homericos libros à Melete fluvio ſic dictos. Loquitur noſter Poëta ex multorum opinione, qui Homerum Smyrnâ ortum putant. Eſt autem Smyrna Ioniæ minoris Aſiæ ad mare Mediterraneum civitas, & prima inter eas ſeptem quæ de patria Homeri certant *Meles* autem fluvius eſt Smyrnam alluens ad cujus ripas dicitur natus Homerus, ut

Nulla

Nulla mihi ſtatuent finem te fata canendi.
Quinetiam mea tunc tumulus cùm texerit oſſa,
Seu matura dies celerem properat mihi mortem,
Longa manet ſeu vita tamen mutata figuram,
Seu me finget equum rigidos percurrere campos
Doctum, ſeu tardi pecoris ſim gloria taurus:
Sive ego per liquidum volucris vehar aëra pennis:
In quemcumque hominem me longa receperit ætas,
Inceptis de te ſubtexam carmina chartis.

Interpretatio

ulla faterum mihi modum imponet te cantandi. Imò, quando corpus meum monumentum clauſerit, ſive tempeſtiva lux extremam mihi horam accelerárit, ſive diuturna mihi ſupereſt vita altera converſa nihilominus in aliam formam, ſive me faciat equum per latos campos diſcurrere eruditum, ſive fiam bos lentarum pecudum decus, ſive ales factus ferar plumis per fluidum atherem, in quemcumque virum me diuturna vita admiſerit, novos ſemper verſus libellis de tuis laudibus jam inchoatis ſubjungam.

Annotationes.

refert Strabo lib. 12. ex Critheïda Apellis cujuſdam filia ibidem a Mæone patruo vitiata. Unde dictus eſt Μελησιγένης *Meleſigenes* Homerus à *Melete* fluvio.

206. *Longa vita tamen mutata figuram.* Pythagoræ Μετεμψύχωσιν, ſeu de animarum de corpore in corpus tranſitu opinionem attingit, de qua Plato lib. 10. & ultimo de Legibus, ubi refertur Orpheus vitam in corpore Cygni delegiſſe averſatus humanum corpus odio mulierum: dicuntur etiam ibidem Thamyras in corpus Philomelæ, Ajax Telamonis filius in corpus leonis, Agamemnon in corpus aquilæ poſt humanum corpus ademptum tranſmigraſſe Sic etiam Ennius ſomniavit in ſuum corpus animam Homeri migraſſe, ſeque in pavonem mutatum Ovidius lib. 15 & ultimo Metamorphoſ. idem omninò canit.

Omnia mutantur, nihil interit, errat, & illinc
Huc venit, hinc illuc, & quoſlibet occupat artus
Spiritus, èque feris humana in corpora tranſit,
Inque feras noſter: nec tempore deperit ullo.

107 *Seu me finget equum.*] Sive mihi tribuet equi formam vita altera & longa ætas. *Fingi* dicitur *equus*, cùm a natura generatur, quæ dat omnibus formam & figuram vel cùm à magiſtro docetur & inſtituitur. Horat. lib. 2. Epiſt. 1.

Fingit equum tenerâ docilem cervice magiſter
Ire viam quà monſtrat eques.

108 *Tardi pecoris. Tardum pecus* ab inceſſûs *tarditate*, & molis gravitate, dicuntur boves, ut vidimus ſuprà, *Et ſtimulo tardos increpuiſſe boves.*

209. *Sive ego volucris.* Id eſt, ales factus, ut Orpheus in Cygnum mutatus, Thamyras in Luſciniam, & Agamemnon in Aquilam.

210. *In quemcumque hominem me receperit ætas.*] Senſus eſt, cùm demùm poſt varias, innumeraſque figuras brutarum animantium aſſumptas, poſt longinquam ætatem, in humanam formam rediero, inchoata jam de factis, & laudibus tuis carmina abſolvam, & alia aliis apte ſubjungam: ut dixit ſuprà: *Inde alios aliosque memor componere verſus.*

LAUS SULPITIÆ

AD MARTEM.

II.

SULPITIA eſt tibi culta tuis, Mars magne, Calendis;
  Spectatum è cœlo, ſi ſapis, ipſe veni.
Hoc Venus ignoſcet; at tu, violente, caveto,
  Ne tibi miranti turpiter arma cadant.
Illius ex oculis, cùm vult exurere Divos,
  Accendit geminas lampadas acer Amor.
Illam quidquid agit, quoquo veſtigia movit,
  Componit furtim, ſubſequiturque decor.

INTERPRETATIO.

O Mars inclyte, Sulpicia eſt ornata tibi tuis Calendis. Si ſapis, ipſemet de cœlo deſcende illam conſpecturus. Iſtud tibi Venus condonabit: Sed tu, ô impetuoſe, cave ne ſtupenti tibi inhoneſtè excidant arma. Quando cupit Amor Deos incendere, ex ipſius oculis duas faces inflammat. Quodcumque facit, & quemcumque in locum vadit, ipſam venuſtas clam exornat.

ANNOTATIONES,

1. *SUlpicia.*] Miræ pulcritudinis puella fuit, Servii Sulpicii nobiliſſimi & clariſſimi viri filia, quam Cherinthus dilexit. Hanc miro cultu exornatam, ut Calendarum Martiarum diem feſtum ageret, celebrat Tibullus, Martemque precatur ut adeſſe velit eam ſpectaturus.

Tuis, Mars magne Calendis.] *Calendæ Martiæ* ſunt menſis Martii, à *Marte* Deo bellorum præſide ſic dicti primus dies, quo ſcilicet conſuetudo fuit apud Romanos, ut Matronarum feſtum *Matronalia* dictum celebraretur à Matronis in honorem Martis. Cujus quidem rei quinque recenſet cauſas Ovidius lib. 3. Faſtorum. *Prima* eſt, quòd mulieres Sabinæ à Romanis raptæ atrox bellum, quod inter maritos & patres atque amicos motum erat, compoſuiſſent; ideoque conſtitutum eſt, ut quotannis eo die *Marti* ſacrificarent. *Altera* eſt, ut favore *Martis* eam felicitatem conſequerentur in filiis, quam videbatur is *Deus* Iliæ conceſſiſſe, quæ à *Marte* compreſſa Romulum ſummæ felicitatis filium peperit. *Tertia*, quòd Menſe *Martio* terra fœcunda eſſet, quales Matronæ fieri cuperent. *Quarta*, quòd eo die Junonis ædes erecta ſit, & coli cœpta. *Quinta*, quòd *Mars* Junonis, quæ Conjugiis præerat, filius diceretur.

3. *Hoc Venus ignoſcet.*] Excellens Sulpiciæ laudatio; *Venus* enim ipſa formoſiſſima ſciens puellam tantæ eſſe pulchritudinis, ut à Diis etiam ſpectari mereatur, quamvis cum Marte ſibi dilectiſſimo aſſueſcat, ipſi tamen ultrò conceſſura eſt, ut de cœlo Sulpiciam ſpectatum veniat.

4. *Turpiter arma cadant.*] Contingit ſæpiùs, ut qui mulierum illecebris irretiuntur, in ignaviam & libidinem turpiter devolvantur.

Seu ſolvit crines, fuſis decet eſſe capillis:
Seu compſit, comptis eſt veneranda comis.
Urit, ſeu Tyriâ voluit procedere pallâ;
Urit, ſeu niveâ candida veſte venit.
Talis in æterno felix Vertumnus Olympo
Mille habet ornatus, mille decenter habet,
Sola puellarum digna eſt, cui mollia caris
Vellera det ſuccis bis madefacta Tyros,
Poſſideatque, metit quicquid benè olentibus arvis
Cultor odoratæ dives Arabs ſegetis,
Et quaſcumque niger Rubro de littore conchas
Proximus Eois colligit Indus equis.

INTERPRETATIO.

& comitatur. Sive capillos effundit, ſolutis eam juvat eſſe crinibus: ſive comam compoſuerit, adoranda eſt compoſitis capillis. Inflammat, ſive cupit Tyreâ veſte incedere; inflammat, ſive nitens albâ pallâ procedit. Ipſi ſimulus Vertumnus ferax in ſublimi Olympo nitet eleganter mille & mille leporibus. Una iſta virginum meretur, ut ipſi Tyrus præbeat tenues lanas iterùm tinctas coloribus pretioſis, & ut ſola *poſſideat quodcumque ex agris odoratis meſſem odoriferam colonus Arabs opulentus percipit, & omnes gemmas, quas*

ANNOTATIONES.

11. *Tyriâ pallâ.*] *Palla* propriè veſtis eſt muliebris deducta uſque ad veſtigia, ſi fides Servio habeatur. Nonius autem dicit *pallam* eſſe honeſtæ mulieris veſtimentum, hoc eſt, tunicæ pallium. *Palla* igitur ſicut & *ſtola* veſtes mulierum peculiares fuère, maxrumque familiæ causâ comparatæ, ut iis viri non facilè uti poſſent ſine vituperio. *Tyria* autem dicitur, id eſt, *purpurea* ſeu *coccinea*, quòd optima purpura apud *Tyrum* Phœniciæ urbem tingeretur.

Felix Vertumnus Olympo.] Alii legunt, *Vortumnus*: ſic Deus ille dicebatur apud Veteres, qui rebus contrahendis, ac vertendis, id eſt, permutandis, ſeu mercaturæ præerat; vel quòd omnium fructuum anni vertentis primitiæ ipſius eſſent, ſeu quòd hortorum maximè dominationem haberet, in quorum figuras varias ſe transformaret: unde etiam cogitationibus, & mentibus hominum præſidere credebatur. Itaque mobili ingenio, & inconſtantes homines, qui ſuas cogitationes regere non poſſent, *iniquo & irato Vertumno* natos fuiſſe dicebant. Inter Deos Ruſticos *Vertumnus* cenſebatur. Lege Ovid. lib. 6 Faſtor. & lib. 14. Metamorphoſ. & Propert. lib. 4. Eleg. 2. ubi ipſe ait;

Opportuna mea eſt cunctis natura figuris,
In quamcumque voles, verte decorus ero.

18 *Odorata dives Arabs ſegetis.*] In Arabia Aſiæ Meridionalis regione ad Mare Rubrum, Oceanum Orientalem, & ſinum Perſicum ſita aromata & odores provenire jam ſuprà vidimus. Unde *Arabes* non modò thure, ſed omnibus etiam aromaticis fruticibus abundant. Plures *Arabiam*, *Panchaiam* & *Sabæam* gentem eandem eſſe exiſtimant.

20. *Proximus Eois Indus aquis.*] Oceano Indico vicinus. Alii legunt, *equis*, hoc eſt, vicinus Auroræ quadrigis, ſeu Solis Orientis equis. Fingebant enim Veteres Solem & Auroram curru, ſeu quadrigis vehi. De curru Solis & equis, qui quatuor dicun-

Hanc vos, Pierides, feſtis cantate calendis,
Et teſtudineâ, Phœbe ſuperbe, lyrâ.
Hoc ſolenne ſacrum multos celebretur in annos;
Dignior eſt veſtro nulla puella choro.

INTERPRETATIO.

fuſcus Indus Eois undis vicinus colligit. O vos, *Pierides*, tuque, ô *Phœbe inſignis cytharâ teſtudine cultâ*, iſtam puellam *celebrate veſtris ſolemnibus Calendis Feſtum iſtud ſanctiſſimum annos complures agatur, nulla virgo magis meretur veſtrum chorum.*

ANNOTATIONES.

tur, *Pyrois* nimirùm, *Phlegon*, *Eoüs* & *Æthon*. Videſis Ovid. lib. 2 Metamorphoſ. De roſeis quadrigis Auroræ, quæ diem ducit audi Virgilium lib. 6. Æneid. v. 535.

Hac vice ſermonum roſeis Aurora quadrigis
Jam medium ætherio curſu trajecerat axem.

Indi porrò populi ſunt procul à nobis ad Orientem ſiti, prope Oceani Orientalis reflexus, & ad Solis exortum in extremis terrarum orbis regionibus. Horum fluvii præcipui ſunt Ganges & Indus, qui vaſtis illis regionibus & populis dat nomen. In littore Indico, ſeu in mari Orientali colligi margaritas & lapides pretioſos teſtatur non modò Tibullus, ſed etiam Plinius, Solinus, Herodotus, Strabo, aliique innumeri. Hæc ſanè notiora ſunt ut de iis agatur hîc pluribus.

21. *Pierides.*] Muſæ.

22. *Phœbe ſuperbe lyrâ.*] Eratoſthenes ſcribit *lyram* Mercurium inveniſſe, eamque teſtudine exornatam Orpheo dediſſe. Alii verò aſſerunt inventam primùm à Mercurio *lyram* datam eſſe Phœbo, qui & Apollo, qui dedit etiam viciſſim caduceum à ſe inventum Mercurio. *Teſtudinea* dicitur *lyra*, quòd ſit incurva, aut quòd primùm ex teſtudinis cortice ſeu corio fieri cœpta eſt. Unde ſæpè Poëtæ *teſtudinem* pro *lyra* uſurpant.

Horat. de Arte Poët.

Saxa movere ſono teſtudinis, &c.

Propert lib. 2. Eleg. ultimâ.

Tale facis, carmen doctâ teſtudine quale
Cynthius impoſitis temperat articulis.

SULPICIA

AD CHERINTHUM.

III.

PARCE meo juveni, ſeu quis bona paſcua campi,
Seu colis umbroſi devia montis, aper.
Nec tibi ſit duros acuiſſe ad prœlia dentes;
Incolumem cuſtos hunc mihi ſervet Amor.
Sed procul abducit venandi devia cura.
Opereant ſilvæ, deficiantque canes.
Quis furor eſt, quæ mens, denſos indagine colles
Claudentem teneras lædere velle manus?
Quidvè juvat furtim latebras intrare ferarum,
Candidaque hamatis crura notare rubis?
Sed tamen, ut tecum liceat, Cherinthe, vagari,
Ipſa ego per montes retia torta feram.

INTERPRETATIO.

O APER, *quiſquis incolis ſive opima pabula agri, ſive luſtra invia mentis opaci, ne læde meum adoleſcentem; neque tibi ſit animus ſaves acuminaſſe dentes ad pugnam; Cupido defenſor* Amantium *iſtum mihi ſalvum cuſtodias. At longè enim abſtrahit nimium venandi ſtudium.* O *utinam diſpereant nemora, & nulli ſint canes. Quæ inſania eſt, quis animus, nemoroſes mentes plagis cingentem molles manus offendere velle? Quid verò prodeſt ferarum latibula clam ingredi, & nivea crura ſentibus uncinatis ſignare? Verumtamen, ô Cherinte, egomet per colles libens traham caſſes tortuoſos,*

ANNOTATIONES.

1. *PArce meo juveni.*] Tibullus ſub perſona, ſeu nomine *Sulpiciæ*, hoc Carmen inſcripſit *Cherintho*, egregiæ nobilitatis & formæ adoleſcenti. Hunc cùm amore deperiret *Sulpicia*, eumque impenſiùs quàm vellet venationis ſtudio deditum videret, timens ne lædatur à feris, apros rogat incolentes loca, ad quæ acceſſurus eſt *Cherinthus*, ut ab eo dentes amoveant. Deinde adoleſcentis inſaniam carpit, qui ſe potiùs lacerari inter luſtra ferarum & vepres patiatur, quàm ſuis amplexibus frui velit, demumque, quibus poteſt eum blanditiis ab alienis amoribus, & nimiâ venandi curâ ad ſuas delicias invitat.

7. *Quis furor.*] Ut ſuprà lib. 1. Eleg. 11. v. 33.

Quis furor eſt atram bellis arceſſere mortem

Indagine colles.] *Indago* metonymicῶς retia vel plagas, quibus locus aliquis cingitur, ad capiendas feras ſignificat. *Indago* enim eſt propriè ferarum inquiſitio, ut ait Servius lib. 4. Æneid. ad illud, *ſaltuſque indagine cingunt.*

10. *Hamatis crura notare rubis.*] Spinis, ſeu ſentibus, cuſpidibus armatis, Ovid. lib. 1. Metamorphoſ.

Me miſerum! ne prona cadas indignave lædi
Crura notent ſentes. ——

Ipſa ego velocis quæram veſtigia cervi,
Et demam celeri ferrea vincla cani.
Tunc mihi tunc placeant ſilvæ, ſi, lux mea, tecum
Arguar ante ipſas concubuiſſe plagas.
Tunc veniat licet ad caſſes, illæſus abibit,
Ne Veneris cupidæ gaudia turbet aper.
Tunc ſine me ſit nulla Venus, ſed lege Dianæ
Caſte puer, caſta retia tange manu.
Et quæcumque meo furtim ſubrepit amori,
Incidat in ſævas diripienda feras.
At tu venandi ſtudium concede parenti,
Et celer in noſtros ipſe recurre ſinus.

INTERPRETATIO.

dummodò mihi concedatur tecum vagari. Egomet inveſtigabo ſigna pedum cervi prapetis, detrahamque citis canibus copulas ferratas. Tum quidem *me nemora delectent, ſi inſimuler tecum, ô vita mea, coram ipſis retibus dormiiſſe. Etiamſi per id temporis aper* aliquis *incidat in plagas, inde ſalvus expedietur, ut Veneris ardentis voluptatem non pra pediat. Tum nulla Venus ſit abſque me, At juxta Diana mandata, ô juvenis pudice, diſpone caſſes puris manibus. Si verò alia* puella *meas delicias clam occupavit, quacumque ea ſit, diſcerpenda belluis immanibus occurrat: ſed tu, ô Cherinthe, patri* tuo*, relinque venationis curam, feſtinuſque tu noſtros amplexus accurre.*

ANNOTATIONES.

14. *Ferrea vincla cani.*] Melium vocavit Antiquitas, illud *vinculum* ſeu collare, quo colla canum vinciuntur, & adſtringuntur, ut lib. 2. de Re Ruſt. cap. 9. notavit Varro. Fit autem è corio firmo cum clavis capitatis, inſuiturque pellis mollis, ne noceat collo canis duritia ferri, Hic ſumitur pro copula, quâ canes à Venatoribus retinentur. Juxta illud Ovid. lib. 7. Metamorphoſ.

Copula detrahitur canibus quos illa ſequentes.

Idem etiam lib. 8. Metamorphoſ.

Vincula pars adimunt canibus. ——

15. *Tunc placcant ſilva.*] Virgil,

Rura mihi, & rigui placeant in vallibus amnes

16. *Ante plagas.*] *Plaga* differunt à retibus, & caſſibus, quòd caſſes, & retia longo tractu tendantur; *plaga* nonniſi in viarum anguſtiis, quæ retibus continuari nequeunt, internectuntur. *Caſſes* verò nonniſi ad majores feras capiendas adhibentur.

19. *Lege Diana.*] *Diana* Venationis Dea, ipſaque Venatrix, quæ caſta ſemper fuit virgo & illibata, cujuſque comites perpetuâ virginitate inſignes fuerunt.

AD PHOEBUM

IV.

HUC ades, & teneræ morbos expelle puellæ:
Huc ades intonſâ Phœbe ſuperbe comâ.
Crede mihi, propera, nec te jam, Phœbe, pigebit
Formoſæ medicas applicuiſſe manus.
Effice, ne macies pallentes occupet artus,
Neu notet informis pallida membra color.
Et quodcumque mali eſt, & quidquid triſte timemus,
In pelagus rapidis evehat amnis aquis.
Sancte veni, tecumque feras quicumque ſapores,
Quicumque & cantus corpora feſſa levant.
Neu juvenem torque, metuit qui fata puellæ;
Votaque pro domina vix numeranda facit.
Interdum vovet: interdum quòd langueat illa,
Dicit in æternos aſpera verba Deos.

INTERPRETATIO.

O PHOEBE *inſignis crinibus incaduis fer opem, virginiſque tenellæ medere languoribus. Habe mihi fidem, ô Phœbe, feſtina, neque modò te pœnitebit adhibuiſſe medicas manus pulcræ* puellæ. *Fac ne tabes pallida ipſius membra non invadat, & quidquid eſt morbi; & quodcumque funeſtum metuimus flumen undis citatis in mare auferat. Adſis, ô Dive, & unà tecum affer omnes ſuccos, & omnes cantus qui corpus ægrum poſſunt relevare.* Oro, *ne cruciâ adoleſcentem, qui timet amicæ mortem & innumeras preces fundit propter* ſuam *heram. Aliquando* autem *vota facit, aliquando verò contra Divos ſem-*

ANNOTATIONES.

1. *HUc ades.*] Votum eſt ad Artis Medicæ Principem Phœbum, pro Sulpicia Cherinthi puella ægrotante.

2. *Phœbe ſuperbe comâ.*] Semper comatus & juvenis *Phœbus* fingitur, & intonſos habens crines, quia Sol nunquam ſeneſcit, & perpetuos radios in remotiſſima quæque extendit, ut de ſe ipſe loquitur apud Ovid.

Uſque mihi intonſis caput eſt juvenile capillis.

Unde etiam Tibullus Eleg. 4. lib. 1. v. 31.

Solis æterna eſt Phœbo Baccheque juventus,

Et decet intonſus crinis utrumque Deum.

4. *Medicas applicuiſſe manus.*] Phœbus dicitur Artis Medicæ Magiſter, quia Sol temperie ſuâ ſalutis cauſa eſt, corporaque ſibi ſubjecta tecteat, reſque omnes, quibus aluntur & conſervantur, producit.

6. *Informis color.*] Exſanguis nimirùm pallor, & tabes, quæ corpora protſus exedunt.

9. *Quicumque ſapores.*] Herbas omnes, ſuccos, & pocula, atque etiam incantationes quæcumque morbos depellere poſſunt, intelligit.

11. *Neu juvenem torque.*] O Phœ-

AD CHERINTHUM.

V.

QUI mihi te, Cherinthe, dies dedit, hic mihi ſanctus,
 Atque inter feſtos ſemper habendus erit.
Te naſcente novum Parcæ cecinêre puellis
 Servitium: & dederunt regna ſuperba tibi.
Uror ego ante alias, juvat hoc, Cerinthe, quòd uror,
 Si tibi de nobis mutuus ignis adeſt.
Mutuus adſit amor, per tua dulciſſima furta,
 Perque tuos oculos, per Geniumque rogo.

INTERPRETATIO.

O CHERINTHE, *dies ille qui te mihi tradidit, colendus eſt, & in Sacris perpetuè mihi ponendus erit. Te naſcente novam ſervitutem Parcæ fœminis indixêre, tibique imperia magna dederunt. Egomet amore præ omnibus aliis ardeo. Placetque iſtud, ô Cherinthe, quod ardeo, modò tibi pro me ſit ardor reciprocus Te obſecro, per tuas ſuaviſſimas rapinas, per tuos ocel-*

ANNOTATIONES.

1. *QUi te mihi, Cherinthe.*] Hoc etiam Carmen Sulpiciæ nomine ſcriptum eſt, quo ſuum in juvenem Cherinthum teſtatur amorem ardentiſſimum, cujus etiam mutuum in ſe vehementer exoptat ardorem, & ideò ſe ejus diem natalem, tanquam ſanctiſſimum, celebraturam profitetur. Ad Genium deinde Veneremque ſe convertit, eoſque enixè precatur, ut Cherintho adſint, votiſque ejus faveant, ſi modò Sulpiciam verè & ſincerè diligat.

3. *Parcæ cecinêre puellis.*] Sunt *Parcæ* Deæ fatales vitæ humanæ ſtamina diſpenſantes. Tres eſſe finguntur Sorores, Clotho, Lacheſis, Atropos, Erebi, Noctiſque filiæ, quarum primam colum volunt geſtare, ſecundam nendo humanæ vitæ terminum præfinire, tertiam filum incidere, & ſtaruto tempore vitam abrumpere. Unde *Sorores lanificæ* vocantur à Poëtis.
Martial. lib. 6.

Si mihi lanifica ducunt non pulla Sorores
Stamina, nec ſurdos vox habet iſta Deos.

4. *Regna ſuperba.*] *Superbum* ſanè eſt, & faſtuoſum, ſi non ſæpiùs etiam inſolens, ſive in fœmina, ſive in viro, eximiæ pulchritudinis imperium.
Ovid. lib. 1. Faſtor.

Faſtus ineſt pulcris, ſequiturque ſuperbia formam.

7. *Dulciſſima furta.*] Veteres *furtum* dixerunt quidquid clam rapiebatur, aut etiam admittebatur: unde ſæpiùs Poëtis *furta* dicuntur clandeſtini concubitus, adulteria, oſcula, cæteraque Veneris lenocinia.
Tibullus ſuprà lib. 1. Eleg. 2. v. 34.

——— *Celari vult ſua furta Venus.*

8. *Per Geniumque rogo.*] Vetus precandi mos per cujuſque *Genium*, ſicut & per rem cariſſimam.
Horat. Epiſt. lib. 1. Epiſt. 7.

Quid te per Genium, dextramque,
Deoſque Penates
Obſecro, & obteſtor.

Magne Geni, cape thura libens, votiſque faveto:
Si modò, cùm de me cogitat ille, calet.
Quod ſi fortè alios jam nunc ſuſpirat amores,
Tunc, precor, infidos, ſancte, relinque focos.
Nec tu ſis injuſta Venus: vel ſerviat æquè
Vinctus uterque tibi, vel mea vincla leva.
Sed potiùs validâ teneamur uterque catenâ,
Nulla queat poſthac nos ſoluiſſe dies.
Optat idem juvenis, quod nos: ſed tutiùs optat.
Nam pudet hæc illum dicere verba palam.
At tu, Natalis, quoniam Deus omnia ſentis,
Annue: quid refert clamve palamve roget?

INTERPRETATIO

los, & per genium tuum. *O potens Geni, accipe lubens thura, & votis annue, ſi ipſe quoque ardet, quando de me cogitat. Sed ſi modò forſan alienas* à me *delicias exoptat; Te oro, tum perfidos illius focos deſere. Tu* verò, *ô Venus, ne ſis mihi iniqua; aut fac ut æqualiter* nos *ambo tibi addicti famulemur; aut meas catenas ſolve. At potiùs ambo jam forti ſimul conſtringamur vinculo, ut nulla dies nos deinceps poſſit disjungere. Hoc ipſum expetit adoleſcens, quod ego; at ſecuriùs expetit. Ipſe enim erubeſcit iſtud apertè profiteri. Sed tu, ô Dive* Natalis, *quandoquidem cuncta cognoſcis, votis annue. Quid* enim *intereſt an te furtim, an apertè oret.*

ANNOTATIONES.

9 *Magne Geni. Genius* dicebatur à Priſcis Deus naturalis, & qui omnium rerum gignendarum vim haberet; ſeu Deus naturalis uniuſcujuſque loci, vel rei, vel hominis. De *Genio* hominis ſic Cenſorinus, *Genius ita nobis aſſiduus obſervator eſt appoſitus, ut ne puncto quidem temporis longiùs abſcedat, ſed ab utero matris acceptos ad extremum vitæ diem comitetur.* Veteres autem unicuique hominũm duos *Genios* attribuebant, alterum bonum, alterum malum; non aliter atque Chriſtiani aſſerunt unumquemque ſuum *Angelum Cuſtodem* habere, & contrà malum Angelum inſidiatorem. De his vide Servium lib. 6. Æneid. in illud Virgilii: *Quiſque ſuos patimur Manes.*

12. *Infidos relinque focos.*] Cherinthi nempè fallacis, qui detinetur alterius amoribus.

13. *Nec tu ſis injuſta Venus.*] Dicitur *injuſta Venus*, cùm alter amantium eſt mentis impos præ nimio amoris æſtu, alter verò prorſus à cura ſolutus.

19. *Natalis Deus.*] Genius, & *Natalis Deus* apud Antiquos idem prorſus erat, qui & Deus etiam naturæ dicebatur. Colebatur autem & celebrabatur *Natalis Deus*, ſeu Genius à quolibet viro, die ſuo natali, non a fœminis: ut manifeſtum fit ex illo Perſii teſtimonio Satyr. 2. *Funde merum Genio.* Viri namque tantummodò Genium habere cenſebantur, non fœminæ, quæ loco Genii Junonem ſuam colebant, quæ etiam *Juno Natalis* dicebatur, ut ex noſtro patet Tibullo Eleg. proximè ſequenti, V. 1.

Natalis Juno ſanctos cape thuris acervos

Genius igitur propriè erat virorum, ſicut Juno fœminarum. Unde quemadmodum tot erant Genii, quot viri; ita tot etiam colebant Junones, quot

Annotationes.

erant mulieres, & ſicut ſervi per *Heri Genium*, ſic etiam ancillæ per *Domina Junonem* jurare ſolebant. De *Genio* Horat. lib. 2. Epiſt. 2 v. 187.

Scit Genius, natale comes qui temperat aſtrum,
Naturæque Deus humanæ, mortalis in unum
Quodque caput, vultu mutabilis, albus, & ater.

20. *Clamve palamve roget.*] Interior enim ſenſus, deſiderium, & voluntas pro verbis, ſeu verborum vim habet.

AD JUNONEM.

VI.

NATALIS Juno, ſanctos cape thuris acervos,
Quos tibi dat tenerâ docta puella manu.
Tota tibi eſt hodie, tibi ſe lætiſſima compſit:
Staret ut ante tuos conſpicienda focos.
Illa quidem ornandi cauſas tibi, Diva, relegat:
Eſt tamen, occultè cui placuiſſe velit.
At tu, ſancta, fave, ne quis divellat amantes:
Sed juveni, quæſo, mutua vincla para.

Interpretatio.

O JUNO, *Natalitia, ſuſcipe devotam tibi thuris congeriem, quam tibi perita virgo niveis manibus offert. Omnis eſt tua hodiernâ die, tui causâ ſeſe ſummâ animi alacritate exornavit, quo ſpectanda coram tuis altaribus appareret. O Diva, ipſa profectò tibi attribuit ornatûs ſui cauſas, ſed nihilominus eſt* etiam aliquis, *cui etiam placere cupiat. Sed tu, ô Diva, adſis, ut nullus amantes diſtrahat. At pares catenas, oro, adoleſcenti injice.*

Annotationes.

1. *NAtalis Juno.*] Hoc Elegidio continentur votum & preces ad *Junonem* pro Sulpicia, quæ diem ſuum natalem celebratura, ut rem divinam *Junoni* faceret ſeſe compſit eleganter: rogaturque Dea, ut ſacrificiis ſibi oblatis adeſſe velit, Sulpiciam amoribus fortunatam, votorumque compotem efficiat, ut Cherinthi nempè formoſiſſimi adoleſcentis connubio frui poſſit. Hinc conſtat quòd ſuperiori Elegiâ obſervavimus, Genium marium, Junonem fœminarum Deam fuiſſe natalem.

2. *Docta puella.*] Qnia nimirùm aut literis imbuta, aut rerum non ignara, ſed prudens; aut denique quia rectè novit quomodo Junoni ſacrum ſit faciendum, dieſque natalis celebrandus.

5. *Ornandi cauſas relegat.*] Aſſerit nempè eam ob cauſam ſeſe tam eleganter compſiſſe, ut rem tibi divinam faceret, quamvis ſub illo prætextu juveni Cherintho placere, probarique vel maximè cupiat.

7. *At tu, ſancta fave*] Invocatio ritè & ex dignitate concepta; nuptiis enim contrahendis præeſſe Juno credebatur apud Antiquos

8. *Mutua vincla para.*] Conjugii nempè, nuptiarumque conſtantem ne-

Z 2 ij

Sic benè compones: ulli non ille puellæ
   Servire, aut cuiquam dignior illa viro.
Nec poſſit cupidos vigilans deprendere cuſtos,
   Fallendique vias mille miniſtret Amor.
Annue purpureâque veni perlucida pallâ.
   Ter tibi ſit libo, ter, Dea caſta, mero.
Præcipit & natæ mater ſtudioſa, quod optet,
   Illa aliud tacitâ jam ſuâ mente rogat.
Uritur, ut celeres urunt altaria flammæ,
   Nec, liceat quamvis, ſana fuiſſe velit.
Sic juveni grata, veniet cùm proximus annus,
   Hic idem votis jam vetus adſit amor.

INTERPRETATIO.

Ita eos rectè conjunges. Nulli fœmina iſte, nec ulli juveni iſta magis mereatur obſequi. Fac, ut nequeat amantes vigil explorator deprehendere, ſed ut mille decipiendi modos ſuggerat ipſis Amor. Annue, & adſis fulgens veſte tuâ coccineâ. O Diva pudica, ter tibi ſacrum ſit libo, & ter vino. Sedula etiam parens filiæ præſcribit, quod expetat; ſed aliud ſecum nunc intimo animo à te ſibi precatur. Ipſa ardet eodem modò, quo rapidi ignes aras inflammant, neque tamen cuperet ſanari, quanquam poſſet. Fac ut adoleſcenti placeat, & ut quando ſequens annus aderit, is eorum ipſe amor vetus jam antiquus ſit.

ANNOTATIONES.

xuri; quod quidem beneficium rectè Junonem rogat, utpote quæ præeſt conjugiis: unde Græcis *Gamelia* dicitur à vocabulo Græco γάμος, Latinè *nuptiæ*, ſeu *conjugium*.

14. *Ter tibi ſit libo.*] *Facere* dicebant Veteres, pro, *rem divinam*, ſeu *ſacram facere*, vel *ſacris operari*: unde fit *libo*, id eſt, *ſacrum ſit libo*. *Liba* verò in ſacrificiis adhiberi ſolita fuiſſe jam dictum eſt ſuprà. Vide etiam Ovidium lib. 4. Faſtor.

Quæ precor eveniant, & nos faciamus ad annum
Paſtorum Dominæ grandia liba Pali.

18. *Sana fuiſſe velit.*] Id eſt, ſine amore; qui namque amoribus corripiuntur, inſani efficiuntur. Hinc Propert. lib. 2. Eleg. 12. v. 3.

Is primùm vidit ſine ſenſu vivere amantes,
Et levibus curis magna perire bona.

AD VENEREM.

VII.

TANDEM venit Amor, qualem texiſſe pudori,
Quam nudaſſe alicui, ſit mihi fama magis.
Exorata meis illum Cytheræa Camœnis
Attulit in noſtrum, depoſuitque ſinum.
Exolvit promiſſa Venus: mea gaudia narret,
Dicetur ſi quis non habuiſſe ſua.
Non ego ſignatis quicquam mandare tabellis,
Ne legat id nemo, quàm meus ante, velim.
Sed peccaſſe juvat: vultus componere famæ
Tædet: cum digno digna fuiſſe ferar.

INTERPRETATIO.

TANDEM *aliquando is adfuit Amor, quem pudori etiam* ipſi *potiùs occultaſſe mihi ſit gloria, quam cuiquam indicaſſe. Hunc Cytheræa meis Camœnis propitia in noſtrum gremium adduxit, & effudit. Promiſſiones ſuas implevit Venus. Si* verò *aliquis caruiſſe dicetur ſuis deliciis, meas ipſe prædicet. Nolim autem ego pugillaribus obſignatis aliquid committere, ne quiſpiam hoc legat, priuſquam meus ſit* intimus, & familiaris. *At peccaviſſe placet, factumque rumori accommodare piget, cum digno digna dicar fuiſſe.*

ANNOTATIONES.

1. T*Andem venit Amor &c.*] Votorum tandem Sulpicia compos exultat, libenſque delicias ſuas amoribus potita palam prædicat.

3. *Cytheræa Camœnis.*] Peculiare Veneris cognomentum ab Inſula Cytheris ipſi dedicata impoſitum. Virgil. 1. Æneid.

Parce metu, Cytheræa, manent immota tuorum
Fata tibi.

Camœnæ ſunt Muſæ ſic à cantûs amœnitate dictæ, ut quidam volunt. Vario tamen auctor eſt eaſdem Antiquis *Carmenas*, & *Caſmœnas*. quæ poſteà abjecto *r* & *ſ* ſunt appellatæ.

Alternis dicetis, amant alterna Camœnæ.

8. *Ne legat id nemo.*] Duæ negationes pro una: id eſt, *ne legat id aliquis.* Propertius lib 2. Eleg. 19. v. 32.

Abſente nemo non nocuiſſe velit.

9. *Sed peccaſſe juvat.*] Sed cur, inquit, tantopere diſſimulare & occultare laborem, quod gloriæ & laudi mihi potiùs apud omnes fore confidam?

10. *Cum digno digna fuiſſe ferar.*] Quod ſibi deliciis cum Cherintho tandem frui contigerit, nihil apud populum Romanum opus eſſe diſſimulatione gloriatur Sulpicia; quandoquidem tam digno auctore facinus admiſſum non veniam modò, ſed & gloriam mereatur.

AD MESSALAM.

VIII.

INVISUS natalis adeſt, qui rure moleſto,
Et ſine Cherintho triſtis agendus erit.
Dulcius urbe quid eſt? an villa ſit apta puellis,
Atque Eretino frigidus annus agro?
Jam nimium Meſſala mei ſtudioſe quieſcas,
Non tempeſtivæ ſæpè propinque viæ.
Hîc animum, ſenſuſque meos abducta relinquo,
Arbitrio quamvis non ſinis eſſe meo.

INTERPRETATIO.

DIES ille natalis mihi moleſtus advenit, qui in villa odioſa, & abſque Cherintho mœſtus erit traducendus. Quid verò urbe jucundius eſt? Eſtne autem virginibus conveniens rus, & tempeſtas gelida in prædio Eretino? Nunc in urbe *morare, ô Meſſala de me nimis ſollicite, & itineri incommodo frequenter accincte. Ibi mentem, & meos ſenſus aliò avecta derelinquo, quandoquidem non mihi permittis eſſe mei juris, & ubi lubet.*

ANNOTATIONES.

1. *INviſus Natalis adeſt.*] Ad Meſſalam Sulpicia conqueritur dolens natalem adveniſſe diem, quem ſit ruri ſine dilecto ſibi Cherintho celebratura. Sulpiciam amavit Meſſala, eaque eſt, ut volunt multi, quam ſuis carminibus celebravit; de qua Virgilius in proluſionibus ad ipſum Meſſalam ſcribens ait:

Certatim ornabant omnes heroida Diva,
Certatim Diva munere quæque ſuo.
Felicem ante alias tanto Scriptore puellam!

Sulpiciam igitur Meſſala rus ad celebrandum natalem ſuum in agro Eretino invitaverat. Sulpiciam verò piget illuc ire, quòd relinquendus eſſet Romæ Cherinthus, ſine quo omnes epulas triſtes, & injucundas, & quodcumque ſolemne feſtum nefaſtum putaret.

4. *Eretino frigidus annus agro.*] Legunt nonnulli, *Aretinum*, civitatem Hetruriæ, vulgò nunc *Arezzo* dictam. Sed *Aretinum* videtur ab urbe remotius nimiſque diſtans, quàm ut illuc puella animi causâ invitaretur: unde longè meliùs locus hic intelligitur de agro *Eretino* Romæ magis vicino. *Eretum* autem ſeu *Eretum* oppidum eſt Sabinorum non procul à Tiberi, unde ager *Eretinus* totus ille tractus eſt appellatus.

6. *Non tempeſtiva propinque via.*] Hoc eſt, qui ſæpè te accingis itineri incommodo, ingrato, & intempeſtivo. Erat enim forſan tempus aſperrimum, & quod caput rei eſt, injucundum maximè urbem deſerere, Cherinthumque relinquere dilectiſſimum, ut in villam commearet.

7. *Hic animum ſenſuſque relinquo.*] Quanquam rus abducor, Romæ tamen, ubi Cherinthum deſerere cogor, animum ſenſuſque meos relinquo.

DE DIE NATALI.

IX.

SCIS iter ex animo ſublatum triſte puellæ,
Natali Romæ jam licet eſſe tuo.
Omnibus ille dies nobis natalis agatur,
Qui nec opinanti nunc tibi fortè venit.

INTERPRETATIO.

C*OMPERTUM habes ablatam eſſe ex mente puellæ viam ipſi moleſtam. Nunc fas eſt Romæ verſari die tuo natalitio. Dies iſte natalitius nobis omnibus celebretur, qui jam tibi forſan adeſt non expectanti.*

ANNOTATIONES.

1. S*Cis iter ex animo.*] Verba Tibulli ſunt ad Meſſalam, quibus eum certiorem facit Sulpiciam à conſilio ruris petendi deſtitiſſe; ideoque cum illa Romæ natalem ipſius diem eſſe celebrandum.

2. *Natali Romæ jam licet eſſe.*] Jam, inquit, conceditur, permittitur Romæ commorari, dum tu celebras diem tuum natalem ruri, quandoquidem Sulpicia, cujus nos futuri comites eramus, tua omninò decrevit non ire.

SULPICIA

AD AMICUM.

X.

GRATUM eſt, ſecurus multum quod jam mihi de me
Permittis ſubitò, ne malè inepta cadam.

INTERPRETATIO.

L*ÆTOR, quòd tam quietus, & de me ſecurus nunc meipſam mihi repentè committis, ut turpiter, quaſi ſtulta, non cadam. Cura potiùs*

ANNOTATIONES.

1. G*Ratum eſt, &c.*] Sulpicia ad Cherinthum ſeipſam negligentem, & ſcorti illecebris delinitum ſcribit ſe lætari, quòd tam liberè fateatur ipſam ſe non adeo multùm curare, ne in eum turpi adulterio peccet. Exprobrat autem Cherintho eum amore ingenuo non eſſe dignum, ſed aliquâ quaſillariâ muliere, aut aliquo turpi proſtibulo.

2. *Ne malè inepta cadam.*] Ut ſtultæ mulieres & amore perditæ, quæ quid conveniat non decernunt, ſed in infamiam à pudoris ſublimitate prolabuntur.

Sit tibi cura togæ potior, preſſumque quaſillo
Scortum, quàm Servi filia Sulpicia.
Solliciti ſunt pro nobis, quibus illa dolori eſt,
Ne credam ignoto maxima cauſa thoro.

INTERPRETATIO.

tibi ſit toga, & meretricula calathiſco addicta, quam Sulpicia Servii gnata. Ii quibus dolori eſt ipſa, anxii de me ſunt, ne ego ſumma cura ignobili vilis pellicis lecto cedam.

ANNOTATIONES.

3. *Cura toga potior.*] *Togatam* potiùs mulierem ama, id eſt, meretricem. *Togata* enim apud Romanos meretrices incedere ſolebant, ſeu potiùs cogebantur. *Toga* enim nnn ſolùm virorum fuit, ſed & mulierum, quæ corpore quæſtum faciebant.

Preſſum quaſillo.] Pauper nempè, & inops meretricula aſſiduo attrita opere, utpote quæ lanificio victum quærat. *Quaſillus* vas eſt lanificio aptum, idemque quod calathus, ſeu calathiſcus.

4. *Quam ſervi filia Sulpicia.*] Togatas potiùs, ſeu meretrices, & fœda proſtibula ſectare, & ama, quàm Senatorum ac primariorum civium filias. *Servius* enim *Sulpicius Sulpicia* pater vir fuit nobiliſſimus & conſul; ut jam ſuprà vidimus.

5. *Solliciti ſunt.*] Amici omnes, & benevoli mihi, quibus *ſcortillum illud quaſillo preſſum* tibi deliciis eſſe & amoribus dolet, de me ſunt ſolliciti, & anxii, ne ego legitima conjux, & quæ maximæ curæ tibi eſſe debebam, cedam, ſeu poſthabear nunc vili thoro ancillulæ, ſeu ignobili pellici quaſillis, & penſis attritæ.

AD CHERINTHUM.

XI.

EST NE tibi, Cherinthe tuæ placiture puellæ,
Qui mea nunc vexat corpora feſſa calor?
Ah ego non aliter triſtes evincere morbos
Optarim, quàm te ſi quoque velle putem.

INTERPRETATIO.

O CHERINTHE *placiture tua amica, habeſne parem ardorem illi, qui modò corpus meum torquet? Haud ſecùs certè morbum ſuperare voluerim, quàm ſi te etiam*

ANNOTATIONES.

1. *Eſtne, Cherinthe*] Sulpicia febre laborans ob amoris impotentiam Cherintho ſuo ſignificat ſe longè majori amoris quam morbi igne torreri, faseturque ſe non aliâ ratione poſſe ſanari, quam ſi Cherinthum ſuum mutuo amore uri ſentiat.

2. *Calor.*] Sumitur hìc pro amoris igne, & pro febris ardore, nec equidem deeſt ſimilitudo, non enim minus urit animum amor vehemens, quàm corpus febris ardens.

Ah mihi

Ah mihi quid proſit morbos evincere, quod tu
Noſtra potes lento pectore ferre mala?

INTERPRETATIO.

idem velle exiſtimem. Sed quid juvat me morbum depellere, quoniam tu æquo animo mea mala ferre valeſt

AD EUMDEM.

XII.

NE tibi ſim, mea lux, æquè tam fervida cura,
Ut videor paucos antè fuiſſe dies,
Si quicquam totâ commiſi ſtulta juventâ,
Cujus me fatear pœnituiſſe magis,
Heſternâ quam te ſolum quod nocte reliqui,
Ardorem cupiens diſſimulare meum.

INTERPRETATIO.

O MEA *vita, non ſim tibi tanta cura, quanta fuiſſe videor ante paucos dies. ſi quid in omni mea juventute* ego *incauta commiſi, quod mihì plus doluerit, quàm quod te ſolum heſternâ nocte deſerui volens tibi meum amorem occultare.*

ANNOTATIONES.

1. *NE tibi ſim.*]. Sulpicia nimio amoris igne ſuccenſa Cerinthum ſuum amatorem alloquitur, ſe apud illum, quòd heſterna nocte ipſum deſeruerit amorem ſuum volens diſſimulare, excuſat, optatque ſibi contrarium voto ſuo evenire, ſi non vehementer dolet, quòd ipſum pridie reliquerit.

3. *Commiſi ſtulta juventa.*] *Juventa, a*, & *juventus, utis*, tempus eſt juvenilis ætatis. *Juventas* verò Dea eſt, quæ & Hebe dicitur, adoleſcentiæ, ſeu florentis ævi præſes.

AD AMICAM.

XIII.

NULLA tuum nobis ſubducet fœmina lectum,
Hoc primùm juncta eſt fœdere noſtra Venus.
Tu modò ſola places: nec jam, te præter, in urbe
Formoſa eſt oculis ulla puella meis.
Atque utinam poſſes uni mihi bella videri,
Diſpliceas aliis, ſic ego tutus ero.
Nil opus invidiâ eſt: procul abſit gloria vulgi:
Qui ſapit, in tacito gaudeat ipſe ſinu.
Sic ego ſecretis poſſum benè vivere ſilvis,
Quâ nulla humano ſit via trita pede.
Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atrâ
Lumen, & in ſolis tu mihi turba locis.
Nunc licèt è cœlo mittatur amica Tibullo,
Mittetur fruſtrà, deficietque Venus.
Hæc per ſancta tuæ Junonis numina juro,
Quæ ſola ante alios eſt mihi magna Deos.

INTERPRETATIO.

NULLA puella tibi ſubtrahet meum thorum. Iſta namque pactione ab initio copulata eſt noſtra Venus. Nunc tu unica mihi jucunda es: nullaque nunc fœmina in civitate, te exceptâ, oculis meis pulcra videtur. Sed ô utinam mihi ſoli poſſes videri formoſa, & aliis omnibus diſpliceres: ita ego eſſem ſecurus. Non opus eſt invidiâ. Procul ſit à nobis plebecula jactantia. Qui ſapiens eſt, in ſecreto ſinu apud ſe ipſe lætetur. Ita ego queo rectè vitam agere in nemoribus remotis, in quibus nullum eſt iter humanâ plantâ calcatum. Tu mihi ſollicitudinum quies, tu nocte etiam obſcuriſſimâ mihi *lux es; tu denique mihi numeroſus cœtus in deſertis locis. Quamvis modò de cœlo puella mittatur Tibullo, incaſſum veniet, & deerit Venus. Iſtud tibi teſtor per auguſtam tuæ Ju-*

ANNOTATIONES.

1. *NVlla tuum nobis.*] Amicam alloquitur Tibullus, cui ſuum amorem fore ſempiternum pollicetur.

7. *Nil opus eſt invidiâ.*] Non ego ex tua pulcritudine quæro, ut mihi ab aliis invideatur; vulgi enim, & imperitæ multitudinis jactantia illa eſt; ut omnes ſciant te habere uxorem formoſiſſimam.

8. *Qui ſapit gaudeat ipſe ſinu.*] Libro 3. Tuſculanarum qq. Cicero dixit: *gaudere in ſinu.* Similiter etiam in Epidico Plautus. *Quod boni eſt, id tacitus taceas tute tecum, & gaudeas.*

11. *Tu mihi curarum requies.*] Sic etiam Propert. lib. 1. Eleg 11.

Tu mihi ſola domus, tu Cynthia ſola parentes;
Omnia tu noſtra tempora lætitia.

12. *Turba.*] Multitudo & numeroſa ſocietas. Ovid.

Nos duo turba ſumus.

15. *Iunonis Numina juro.*] Per Ju-

Quid facio demens ? heu heu mea pignora cedo!
  Juravi ſtultè : proderit iſte timor.
Nunc tu fortis eris, nunc tu me audaciùs ures,
  Hoc peperit miſero garrula lingua malum.
Jam faciam quodcumque voles, tuus uſque manebo,
  Nec fugiam notæ ſervitium dominæ.
Sed Veneris ſanctæ conſidam vinctus ad aras,
  Hæc notat injuſtos, ſupplicibuſque favet.

INTERPRETATIO.

nonis divinitatem, quæ una præ cæteris Divis eſt mihi veneranda. Sed quidnam ſtultus ago? Eheu! omnem mea pignora trado? Ineptè juravi, hic metus tibi proderit. Jam tu audacior eris; jam tu me fortiùs inflammabis. Iſtam mihi infelici calamitatem lingua loquax attulit. Nunc ego agam, quidquid cupies, & ſemper tui juris ero, neque refugiam obſequium heræ mihi cognitæ. At verò aſſidebo ligatus ad altaria Divæ Veneris. Iſta enim Dea punit improbos, & ſupplicibus propitia eſt.

ANNOTATIONES.

nonem jurabant fœminæ, fœminarumque ſæpè amatores & ſervi. Unde & apud Petronium Arbitrum Quartilla ſcortum ait. *Junonem meam iratam habeam, ſi me unquam meminerim virginem fuiſſe.*

23 *Sed Veneris ſancta.*] Poëta ſuæ ſe dominæ, ſeu amicæ mancipium profitetur; ſed quia durius illius eſſe ſervitium ſentiebat, ad aram Veneris confugere ſe velle teſtatur, ut amicæ ſævitiam evitet.

24. *Hæc notat injuſtos*, &c.] Dea illa pœnâ improbos & iniquos afficit, iis verò, qui ad ipſam confugiunt, propitia eſt.

Idem ferè jam ſuprà lib. 3. Eleg. 6.

Blanditiis vult eſſe locum Venus ipſa querelis,
Supplicibus miſeris flentibus illa favet.

DE INFAMIA SVÆ PVELLÆ.

XIII.

RUMOR ait crebrò noſtram peccare puellam,
  Nunc ego me ſurdis auribus eſſe velim.
Crimina non hæc ſunt noſtro ſine ficta dolore.
  Quid miſerum torques? rumor acerbe tace.

INTERPRETATIO.

